REFECTIO
SPIRITUALIS



R^mus H. PARKINSON S. T. D.

RECTOR COLLEGII S. MARIAE DE OSCOTT

Refectio Spiritualis

Alumno Clerico meditanti proposita

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

VOLUMEN II

De Liturgico Anno. De Sanctis Dei.
De Singulis Orationibus.

BRUGIS

Apud Carolum BEYAERT Bibliopolam

1906.

REFECTIO SPIRITUALIS

AB ANGLICAE ECCLESIAE ANTISTITIBUS LAUDATUR ET COMMENDATUR.

Verba apprime commendatitia, quae Episcopus Birminghamiensis approbationi hujus operis adjecit, in capite voluminis I leguntur. Accedunt verba non minus commendatitia, quae habentur in litteris nuper ab Archiepiscopo et octo Episcopis Hierarchiae Anglicae ad auctorem datis, quaeque inde excerpta hic ponuntur.

Archiepiscopus Westmonasteriensis scribit :

« I congratulate you heartily on the result of your long and persevering labour. You have produced a book which will, I am sure, aid many generations of ecclesiastical students in understanding the greatness of their calling, and in putting in practice the many means which they enjoy for spiritual training and the acquisition of solid virtue. »

† *Francis*,
Archbishop of Westminster.

Die 16ta Junii 1906.

Episcopus Cliftoniensis :

« The « Refectio » will serve to prove the great and watchful interest which you have ever taken in the daily meditation of those under your charge, and should be of great use to them in after life, not only as supplying matter for times of recollection but handy headings and points for their sermons. »

† *G. A. Burton.*

Die 31ma Maii 1906.

4000

Episcopus Hagulstadensis et Novocastrensis :

« They (the meditations) seem to me excellent, and calculated to produce real good work in the hands of ecclesiastical students. I shall recommend them wherever I have the chance. »

† *Thomas William,*
Die 20ma Maii 1906. Bishop of Hexham and Newcastle.

Episcopus Liverpolitanus :

« Such a book has long been needed : and by publishing yours, both Church students and those who are responsible for their training are your debtors. Constant use of these meditations would go a long way towards raising up a fervent priesthood. They are clear, logical, pithy, full of theology, and best of all saturated with Holy Scripture. Whilst intended primarily for Church students, they nevertheless would as a rule suit those who are engaged in missionary labours. »

† *Thomas,*
Die 19na Maii 1906. Bishop of Liverpool.

Episcopus Menevensis :

« I have looked through a number of the meditations and they seem admirably suited not only for those who are studying for the Priesthood, but also for those who are already ordained. I wish you every success with this work, and shall welcome the second volume when it comes out. »

† *Francis,*
Die 17ma Maii 1906. Bishop of Menevia.

Episcopus Neoportensis :

« ... I have been through the vol. and find the meditations admirable — rich in matter, well adapted to excite

affections, very suitable for Church students, and clear and unaffected in language. I venture to comgratulate you on your work, and on the good which such a course must have done and must still be doing in the Oscott students.

I shall be glad to look forward to the second volume.

† *J. C.*
Bishop of Newport.

Die 17ma Maii 1906.

Episcopus Northantoniensis :

« I thank you heartily for the first volume of the *Refectio Spiritualis :* this will be of great service to your students and priests. I shall welcome the second volume. »

† *Arthur Riddell,*
Bishop of Northampton.

De 18va Maii 1906.

Episcopus Salfordiensis :

« Many sincere thanks for your admirable volume of meditations for Seminarists. I know no book quite like it, or so peculiarly adapted to the spiritual needs of our Church students. The method seems to me to be an ideal one, and I should wish to see the little book in the hands of every one of my Seminarists in whatever College they may be. »

† *Louis Charles,*
Bishop of Salford.

Die 16ta Maii 1906.

Episcopus Suthwarcensis :

« I have often heard your former students praise your Meditations, and I am exceedingly pleased with them. The are truly helpful to our Church students. »

† *Peter,*
Bishop of Southwark.

Die 7ma Junii 1906.

MATERIAE CONSPECTUS.

Pars III. Iter per liturgicum annum.

Caput I. Gemmae ex Missali collectae et contemplatae.

Caput II. Gemmae ex Breviario collectae et contemplatae.

Pars IV. De Sanctis Dei.

Caput I. De Beata Dei Matre.

Caput II. De Angelis et de Apostolis.

Caput III. De Martyribus deque ceteris Sanctis.

Pars V. De Singulis Ordinibus.

PARS TERTIA

ITER PER LITURGICUM ANNUM.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Caput. I. Gemmae ex Missali collectae et contemplatae.

I. Dominica I. Adventus. [1]

i. Hodie spiritum religiosum in cordibus instauremus. Religio est Dei cultus, quo homo suam persentiens imbecillitatem ad Deum se convertit, et doctrinis revelationis instructus, ad consolationem redemptionis intensius anhelat.

ii. « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. » Gen. 18, 27.

iii. « Domine, mitte quem missurus es. » Exod. 4, 13.

---

1. *Mens ad Deum erigitur.*

Ad te levavi (Nam Deus in altissimis habitat, spatia infinita sua implens praesentia. E meipso egrediar ad praesentiam Spiritus Creatoris.)

animam meam : (spiritus enim ad spiritum loquitur;)

Deus meus,(Ubi nota quod sit Deus non omnium simul, vel populi Israël, vel urbis sanctae Sion, sed proprius ipsius loquentis.)

2. *Loquitur spiritus fiducia immobili.*

in te confido, (Te scilicet esse robur meum, consolatorem, et adjutorem veluti turrim inexpugnabilem accipio, teneo, ex corde profiteor.)

. Introitus. Ps. 24, 1-4.

non erubescam (confisus in te, confundar nunquam) :
neque irrideant me inimici mei : (sed hostes ipsi testes mihi sunt Deum populo suo fuisse semper praesidium munitissimum ;)
etenim universi qui te expectant, (in Vulg. *qui sustinent te* : i. e. tibi inhaerent tamquam petrae refugii, vel veritatem tuam retinent)
non confundentur (Centies enim populus Dei summis fuit circumdatus malis, periculis, aerumnis, et interire videbatur, sed manet).

3. *Petitio.*

Vias tuas, (i. e. mandata et consilia legis divinae : id quod me vis facere, sive quoad divinum cultum, sive quoad fratres meos, sive quoad munera mea accuratius peragenda)
Domine (Pie invocatur sanctum nomen conditoris, benefactoris, consummatoris.)
demonstra mihi (luce clara aperiatur voluntas divina, certa cognitione, suavi persuasione) :
et semitas tuas (secretiora beneplacita Magistri, familiora et breviora media te diligendi)
edoce me (Ego quidem sum creatura et infans Dei. Et sane : « Beatus homo quem tu erudieris, Domine. » Ps. 93, 12).

2. De spiritu Adventus.

i. Ecclesia verbis et actionibus te alloquitur.
ii. Ecclesiam audi ; Deum lauda. Monita ad te applica. Statue firmiter.

I. Expectatio —
1. *Adventus primi* Salvatoris sub specie infantis :

« Excita potentiam tuam et veni » (Oratio Dom. 1, ex psal. 79, 3).

« Dominus dabit benignitatem » (Communio).

« Deus manifeste veniet » (Ex Grad. Dom. 11).

Tantus erat adventus nascentis Domini, ut eum singulis annis quodammodo renovare oporteat.

2. Christi *adventus secundi* cum apparatu judicis supremi.

II. Praeparatio simul ad utrumque adventum —

« Hora est jam nos de somno surgere » (Ex Epist. Dom. 1).

« Ut reparationis nostrae futura solemnia congruis honoribus praecedamus » (Ex Postcom.)

« Excita corda nostra ad praeparandas Unigeniti tui vias » Ex Orat. Dom. 11).

« Induimini Dominum Jesum Christum » Ex Ep. Dom.1).

Haec autem praeparatio secundum piam Ecclesiae consuetudinem fit —

1. *per humiliationem* (quae significatur per omissionem canticorum laetitiae [Gloria in excelsis,Sequentiarum, Te Deum], et per colorem poenitentialem ; sed quia Sponsus jam nobiscum est, nec nos unquam deserit, retinetur cantus Alleluia) ;
2. *per secessum*, quantum fieri potest, a distractionibus, et dissipationibus hujus vitae terrestris; nam animus in se collectus stupendam Dei apparentiam in terra nostra plenius, suavius, fructuosius meditatur ;
3. *per jejunium* poenitentiale ;
4. *per meditationem et orationem*. Opus enim est —
   a. ut mens contempletur naturam Salvatoris venturi, finem ejus adventus, ut ejus benignitate et humanitate rite aestimata debitas pro modulo nostro gratias solvamus ;
   b. ut corda praeparentur oratione. Oremus itaque ut

lumen accipiamus, ut opera tenebrarum abjiciamus, ut jam melius perspecta hujus mysterii celsitudine, corda nostra ad exemplar Salvatoris efficacius reformemus.

3. Dominica II. Adventus. [1]

Populus Sion: (Natio illa quam singulari dilectione honoravit Deus, et suam fecit. Populus autem Dei nunc dicitur ipsa sponsa Salvatoris.)

Ecce Dominus veniet (apparebit Rex Jehovah ; non erit deinceps Deus absconditus, sed visibilis, quem humani oculi conspicient, et manus palpabunt ;)

ad salvandas gentes : (neque veniet tantum ut videatur, sed ut suos ore doceat, ut languidos confirmet, coecos illuminet, dubia resolvat, peccatores ad se trahat, ut offensas Dei Deus ipse extinguat, corda polluta suo abstergat sanguine, et omnes ad amandum potenter alliciat ;)

et auditam faciet Dominus gloriam vocis suae (Cujus verba naturam transmutant, diabolos dejiciunt, leprosos mundant, mortuos vivificant, pauperes, humiles operarios, peccatores benigne alloquuntur, coelestem doctrinam mundo annuntiant, corpus et sanguinem Redemptoris nobis indignis legant).

in laetitia cordis vestri (Qualis et quanta sit laetitia et exultatio in Salvatore nostro Deo, pia sola cogitatio attingere valet. Qua de re S. Petrus ait : « et credentes exultabitis (Gr. exultatis) laetitia inenarrabili. » 1 P. 1, 8. De se profitetur S. Paulus : « superabundo gaudio. » 2 C. 7, 4. Quod et nos secundum mensuram

---

1 Introitus. Is 30, 19. 29. 30 ; Ps. 79, 2.

nostram praegustare valemus ; sancti autem modo ineffabili : « Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere :
Expertus potest credere.
Quid sit Jesum diligere »).

Qui regis Israël, (omnes, bonos et malos) *intende :*

qui deducis, velut ovem (dulcis et amabilis sicut bonus pastor qui oves suas praecedit, ducit, et pascit)

Joseph (i. e. tribum Joseph, quae pro universis rebellibus populi Israëlitici hoc loco accipitur).

4. Dominica III Adventus. [1]

Gaudete (suavi boni divini praegustatione ; exultate ;)

in Domino (De majestate numinis ubique praesentis, et de proxima incarnationis commemoratione festiva gaudendum est. « Evangelizo vobis gaudium magnum. » L. 2, 10 ; de gratia insuper gaudete, qua Spiritus corda nostra replere dignatus est. Jure meritoque ait S. Augustinus : « Gaudium proprie dictum bonorum et piorum est. « De Civitate Dei. 14, 8. Gaudendum quoque de contemplatione Dei, secundum illud Sapientiae : « Non habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus ejus. » Sap. 8. 16.)

semper : (indesinenter enim adsunt viro bono causae gaudendi, et de tristitia hujus vitae parum curat ;)

iterum dico, gaudete (Nunc tertio apostolus gaudium commendat. [cf Phil. 3, 1.] Hoc sane proprium est regni Christi et Dei : gaudium, idque in Spiritu sancto —

« Laetamini in Domino, et exultate justi. » Ps. 31, 11.

1. Introitus. Phil. 4, 4 ; Ps. 84, 2.

« Servite Domino in laetitia. » Ps. 99. 2).

Modestia vestra (τὸ ἐπιεικὲς i. e. suavitas morum, affabilitas, lenitas, seu benignitas)

nota sit omnibus hominibus : (Experimentum ejus habeant : et sicut Christus ut mitis voluit agnosci, ita et nos. De mansuetis dicitur : « Exaltabit mansuetos in salutem. » Ps. 149, 4. Et revelationis axioma quoddam est, mansuetos haereditaturos esse terram. Ps. 36, 11 ; M. 5, 4.)

Dominus enim prope est (« Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. » M. 21, 5).

Nihil soliciti sitis (mente serena in coelestia estote intenti) :

sed in omni oratione (Tempus hoc innuitur esse proprium ad orandum.)

petitiones vestrae (gaudii, animi serenitatis, ceterarumque hujus temporis gratiarum)

innotescant apud Deum (tamquam Deo placentes).

Benedixisti, Domine, (jam diu tuis benefecisti, opus incoeptum certe complebis ;)

terram tuam : (neque unum tantum populum Israëliticum, sed genus hominum universum ;)

avertisti captivitatem Jacob (victor et Redemptor abstulisti captivitatem erroris, ignorantiae, et diaboli, atque libertatem et Christi lumen nobis donasti).

5. De spiritu Adventus (2).

1. *Expectatio.* Nova nunc vox auditur : « Regem venturum Dominum ; venite adoremus » (Invitatorium).

Hoc nuntium adventantis Domini instantius proclamatur : —

« Dominus enim prope est » (Ex Introitu).

« Excita potentiam tuam, et veni » (Ex Graduali).

« Ecce Deus noster veniet, et salvabit nos » (Communio).

2. *Fiducia.* Quia tantus est Redemptor, et adeo sensu humano commotus, ut nostrae conditionis formam benignus accipiat, et plenam in se fiduciam alliciat et compellat.

« Dicite: pusillanimes confortamini, et nolite timere » (Communio).

3. *Gaudium*, « Gaudete in Domino. » « Omnis amans gaudet ex conjunctione amati. » S. Th. 1, 2, q. 70, a. 3. Accedit Christus ; laetitia perfunditur anima fidelis.

Mens igitur defigatur in objectum gaudii, scilicet, Deum et dona ejus ; ceteris, sive laetis sive tristibus (quantum tenuitati nostrae licet) spretis et neglectis. « Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. » Hab. 3, 18.

4 *Mentis serenitas.* « Nihil solliciti sitis » (Epistola). Serenitas est absentia dubii, pugnae, perturbationis, vel timoris. Deus in se est serenissimus, ordinatissimus, lucidissimus, et fortissimus. Adhaereamus Deo et divinis. Ipsum amplectamur adjutorem, illuminatorem, et provisorem nostrum.

« Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. » 1 P. 5, 7.

5. *Pax ;* quae quies est spiritus sine vexatione ab exterioribus, vel perturbatione ab interioribus, conjuncta cum plena satisfactione et securitate boni possessi. 1, 2, q. 70, a. 3. « Et pax Dei quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu Domino nostro » (Epistola).

« Haec dicit Dominus : Ecce ego declinabo super eam (scil : Jerusalem) quasi fluvium pacis. »Is. 66, 12.

6. Dominica IV Adventus. [1]

Rorate coeli, (Quemadmodum subitaneo naturae impulsu congregantur humores, ut in terram sub forma roris descendant, ita e coelis cito appareat desideratus gentium. Pii Judaei immo et ipsi ethnici studio ardente Messiam expectabant : nec nos minori sed quidem longe majori affectu ipsum expectare oportet.)

desuper, (Terra et homines sibi relicti spinas proferunt et tribulos, errores et crimina : remedium nullum nisi coeleste.)

et nubes pluant justum : (sicut pluvia in terras sitientes veloci lapsu decidit, et diu expectata in animum infundit suavitatem et quietem, sic erit nobis Salvatoris adventus ;)

aperiatur terra, et germinet Salvatorem (Ut terra supernis imbribus irrigata sponte gremium suum aperit, et facies ejus citissime transmutatur, ita pulcherrimus ille flos de radice Jesse nobis appareat : —

qua de re notentur —

1. prophetae desiderium flagrantissimum, quod verbis vix efferre valet ;

2. tituli Justi et Salvatoris (seu justitiae et salutis), quae sunt attributa propriissima Regis regnique Messianici ;

3. suspiria animi desiderantissimi, quae Sponsa Christi sibi adoptat, et in ora et corda fidelium ponit, ut Christi sui adventum his affectibus salutent ;

ac praeterea

4. quo propius accedit dies Nativitatis dominicae, eo

---

1. Introitus. Is. 45, 8 ; Ps. 18, 2.

vividius ardeant desideria et frequentiora sint suspiria nostra ;

5. rei adeo stupendae commemoratio et repetitio spiritualis celebratur, ut debeat ita implere et possidere hominum corda, et in mentibus regnare, ut dissipationi vel distractioni locum vix ullum cedat.

Coeli enarrant gloriam Dei : et opera manuum ejus annuntiant firmamentum (Coelorum fulgor et vastitas carmen Deo dignum concinunt.

At si coelorum infiniti ferme splendores divinam proclamant majestatem, quanto magis Domini adventus ; et si firmamentum materiale attributa Dei annuntiat, quid dicemus de amore Domini Incarnati ?).

7. In Circumcisione Domini. [1]

i. Ob oculos ponatur Jesus infans supra genua beatissimae Matris reclinans

ii. Gratia petatur perennis fidelitatis erga Dominum Salvatorem.

Apparuit (Post plurima saecula subito tandem divinus infans se manifestavit, quin tamen maxima hominum pars illum vel expectaret, vel cogitaret ; nunc vero adventus ejus acceleratus est Virginis Mariae desiderio et meritis. Illuxit Oriens ex alto, — sol justitiae, — lux vera.)

gratia (favor ineffabilis, donum coeleste, thesaurus amoris et auxiliorum, « mysterium absconditum a saeculo.» Eph. 3. 9.)

DEI (Nomen et esse divinum veneremur. Dei nostri benignitatem, qua voluit a suis videri et amari admiremur.

1. Tit. 2, 11 et sqq.

Salvatoris nostri (Ipse verus Deus est, et jure proprio et absoluto suos a delictis purgat, a periculis eripit, ab infirmitate sanat, gratia ornat, gloria beatificat. Eum omni modo honorifico salutemus.)

omnibus hominibus, (cujuslibet aetatis et conditionis et nationis : —

a. iis qui ipsum recipere noluerunt ;

b. iis qui recipiunt eum, sed absque animo magno et generoso ;

c. iis qui amatorem suum recipiunt alacri animo et ingenti affectu redamandi et cooperandi ;)

erudiens nos (tamquam rudes et parvulos ad viam coelestem nos voce, exemplo et remediis instituens)

ut abnegantes (sincero corde dimittentes, penitus resecantes, et fortiter conculcantes ; absolutae enim est necessitatis ut Christi gratia plura abjiciamus ;)

impietatem, (peccata quaecunque, et praesertim cor superbum et infidele)

et saecularia desideria, (quae in triplici concupiscentia resumuntur)

sobrie, (erga nos ipsos per moderamen virtutum)

et juste, (erga proximum, et maxime in veritate, misericordia, et caritate)

et pie, (cum reverentia et affectu filiali erga Dominum Deum)

vivamus in hoc saeculo, (velut in loco exilii et afflictionis)

expectantes (continuo et cum ardore respicientes)

beatam spem, (operum fructum, societatem cum Deo, nullis verbis satis laudandam et extollendam).

et adventum gloriae magni DEI, et Salvatoris nostri, Jesu Christi.

(Gratias agamus de beneficiis incarnationis.

Exultemus in vocatione christiani.

Adhaereamus regi nostro.

Studeamus mores nostros magis magisque conformare divino nostro exemplari).

8. De Circumcisione Domini (2).

i. Contemplabor domum in Bethlehem ubi, octavo die, Joseph divinum infantem circumcidit, et nomen Salvatoris imposuit.

ii. Obedientiam et gratum animum supplex rogabo.

Circumcisio signum fuit peccati, et locum baptismatis tenuit.

I. Quare Christus innocens circumcidi voluit ?

1. Ad carnis assumptae veritatem ostendendam. Fratrem salutemus.
2. Ut ostenderet se esse ex genere Judaeorum. Fidelem promissionum et legis adimpletionem revereamur.
3. Ut perfectae obedientiae exemplum nobis legaret ; quatenus, qui legi non fuit subjectus, legem secundum tempus et substantiam implevit ; — factus sub lege, ut nos a lege redimeret ; — servus factus, ut servos redimeret : vitam dedit, ut nos a morte aeterna liberaret.

   Ita alia mihi ad salutem via nulla est, nisi illa quam Christus suo consecravit exemplo.
4. Quia venit in similitudinem carnis peccati, ideo remedium peccati non respuit.

II. « Vocatum est nomen ejus Jesus. » L. 2, 21. In proprio suo munere Salvator constitutus est universalis, efficacissimus, qui etiam cum aliis veram salvandi virtutem participavit.

Et si circumcisio fuit in signum peccati, infans vocatus est Jesus, in signum quod peccata ablaturus erat.

9. In Vigilia Epiphaniae Domini.

i. Novam Christi habitationem in Bethlehem imaginabor.
ii. Gratiam melius sequendi Magistrum meum Christum studiosissime rogabo.

I. Necessaria fuit Christi manifestatio, ut Salvator hominibus innotesceret ; nos pariter ejusdem manifestatione opus habemus, ut credere ac diligere valeamus.

De Christo igitur illuminatione nostra, qui ex Deo venit ad docendum nos, et ad amorem nostrum ciendum, gratias agamus quam maximas.

II. Quae Christi prima manifestatio secundum divinum beneplacitum facta est — *Mariae et Joseph*, electis prae ceteris hominibus, — humilibus *pastoribus*, — *Magis*, gentilibus lumen sincere et ardenter quaerentibus, — *Judaeis* per prophetas, — *Elizabeth*, — *Annae*, — *Simeoni*.

Facta est etiam licet frustra sacerdotibus, qui audiverunt, sed noluerunt inquirere, — regi Herodi, qui invidia obcaecatus fuit, — Bethlehemitis, mundana laetitia distractis.

A mundanis affectu recedam, ut veris bonis divinis tenacius adhaeream. Meliora sincere intendam.

III. Modus manifestationis.

Christus variis modis dignatus est se manifestare :

1. Mariae nempe et Joseph per angelum et per visibilem suam praesentiam ;
2. Elizabeth, Annae et Simeoni, vel per revelationem internam, vel etiam per visum, quo, Dei operatione, gloriam infantis divini conspexerunt ;

3. pastoribus per lumen, nuntium, voces coelestes et internam illuminationem ;
4. Magis per stellam, per dicta sacerdotum et per gratiae inspirationem.

Divini Spiritus multiplicem operationem admirabor.

IV. Mihi autem revelatio Domini Salvatoris fit in meditatione, in oratione, studiis, exhortationibus, regula, lectione spirituali.

10. In Epiphania Domini.

i. Domum mente tibi repraesenta ubi Maria cum divino infante recepit Magos. Conspice ingredientes claros illos advenas cum pedissequis et thesauris.

In Magis gentium primitias agnosce. Mentis oculum nunc in occidentales conjice gentes ad fidem Christi conversas.

ii. Cum Christo ardenter desidera unum omnium ovile unumque gentium omnium pastorem.

De tua ad fidem vocationem actum elice grati animi ; gaude de ethnicorum conversione ; spem fiduciamque nutrias de aliorum plurium accessu ad Ecclesiae lumen et unitatem.

Surge, (e miseria, luctu, ignorantia, peccato)
illuminare (nova et splendida luce redemptoris)
Jerusalem, (qua intelligendus venit universus populus Dei)
quia venit lumen tuum, (Christus, Oriens, lux, illuminatio)
et gloria Domini (Dei Hominis notitia quaquaversus pervulgata, ejus cultus universalis et augustus, ejus denique honor et laudatio perennis)

super te orta est (Sicut olim Israëlitis aderat nubes lucida, ita nunc lumen de coelo, Verbum Patris, quod caro factum est et habitavit in nobis, Christifidelibus illuxit)
quia ecce tenebrae (Gentes sine Christo dicuntur ab apostolo : « abalienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. » Eph. 2, 12.)
operient terram, (quatenus vix in ullo terrarum angulo invenietur religio genuina et certa, et purus cultus Omnipotentis)
et caligo populos: (etenim dum doctissimus quisque viam caecorum more praetentabat, ceteris veritas maxima ex parte in occulto latebat, ac mentes illusionibus diabolicis replebantur ;)
super te autem (Jerusalem significatur, seu populus Dei)
orietur Dominus, (« De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Is. 2, 3.)
et gloria ejus (A populo electo Deus cognoscetur, laudabitur, diligetur, et Deus populum suum honorificabit.)
in te videbitur (Testimonium de semetipso perhibebit Christus, et Pater ejus, et opera. J. 8, 14).

II. In Epiphania Domini (2). [1]

i. Conspice tot homines curis saeculi oppressos et vexatos, qui nihil unquam nisi terrena, materialia et sordida pertractant.

Deus et omnium creator universos ad se allicere cupit ; omnibus itaque se suo tempore manifestat.

ii. Magnam divinae claritatis effusionem supplex pete.

---

1. Ex Epistola. Is. 60, 3-5.

Et ambulabunt (vivent, recte agent, progredientur)
gentes (omnes tribus et populi in familia Christi)
in lumine tuo, (cujus splendor mentes illustrabit, calor incendet corda [Textus hebraicus habet « ad lumen : » ac si illud omnibus foret instar phari perlucidae.])
et reges in splendore ortus tui (proceres regnorum religione consecrabuntur, virtutibus christianis honestabuntur, et divina gratia et sacramentis sanctificabuntur).
Leva in circuitu oculos tuos (O Sion antiqua, calamitatibus oppressa, ad bona futura magno corde aspice !)
et vide (contemplare attente) :
omnes isti (i. e. populi universi)
congregati sunt, (divina attrahente gratia)
venerunt tibi : (ad gregem novae Jerusalem ;)
filii tui de longe venient (Peregrini ex omnibus terrae partibus accurrent cum magna devotione ad centrum unitatis Christianae ; vel (filii Sion) Judaei erunt dispersi in toto orbe.)
et filiae tuae de latere surgent (filiae tuae ad latus gestabuntur [sicut nutrices in Oriente filiolos portabant] i. e. qui debiliores sunt magna cura fovebuntur).
Tunc videbis, (oculis et intelligentia)
et afflues, (i. e. perfunderis gaudiis)
mirabitur (Obstupefactus eris prae magnitudine gloriae.)
et dilatabitur cor tuum, (sensu vastitatis et libertatis)
quando conversa fuerit ad te multitudo maris, (opulentia regionum maritimarum et insularum)
fortitudo gentium venerit tibi (reges et nationes potentes cum suis divitiis).

12. Dominica infra Octavam Epiphaniae. [1]

Angeli colunt Deum-hominem.

« *Et adorent eum omnes angeli Dei.* »
Heb. 1, 6.

Alis fidei evectus ad curiam regis altissimi assurgam, ubi universorum creator et Dominus in throno splendoris gloriose assidet, fulgentium spirituum corona circumdatus. Lumine claro coruscant spiritus innumeri ; coeli proceres coram ineffabili regis majestate gaudiis et grato animo repleti procumbunt. Tamquam fluctus maris vastissimi voces erumpunt carmina paradisi cantantes.

O mirum, inauditum, ac mentis humanae captum excedens ! Qui in throno sublimi sedere conspicitur altissimus omnium Dominus est, sed hominis sponte accepta conditione, humana passus est, ac demum victor redux, imperii sempiterni thronum occupat.

Contemplemur ac revereamur cum choris angelicis Filii incarnati praecelsum statum ac eminentiam ; quia si nos de divina stirpe quodammodo facti sumus, Rex ille de genere nostro stupenda prorsus dignatione nasci voluit.

In excelso throno vidi sedere virum, (Spectaculum illud diu, reverenter ac peramanter intueamur. Vir ille Deus est noster : Deus Israel, Deus meus, frater et Salvator, — Jesus, decorus ille infans, quem nunc in terris colimus.)

---

1. Introitus. Is. 6, 1 ; Ps. 99, 2.

quem adorat multitudo angelorum (numerus quem nemo cogitatione valet assequi ; multitudo enim innumera significatur a propheta dicente : « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei : » Dan. 7, 10)

psallentes in unum (O suavis Dei providentia, quae carminum et musices voluptate in exilio ipso nos vehementer delectari intendit ! Sed quale erit melos et harmonia concentuum in aula numinis supremi, ubi torrente dulcedinis inebriabuntur beati !)

ecce cujus imperii nomen est in aeternum (Nomen enim proprium Dei « Vivens in saecula saeculorum, » Christo attribuitur, unde elucet ejus divinitas ; inde apparet quod sit Pater futuri saeculi, et quod in aeternum sit regnaturus. Transibunt terrena cuncta ; vocante Deo instaurabantur coelum et terra ; manebit Deus cum suis. Audiatur demum vox apostolica : « Soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne saeculum, et in omnia saecula saeculorum. » Judae, 25).

Jubilate Deo omnis terra : (Haec verba thema sunt temporis hujus festivi ; gaudiis immergamur divinis.)

servite Domino in laetitia.

13. Dominica II post Epiphaniam [1].

Universi homines invitantur ad Christum Deum colendum.

« Et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit : et in conspectu ejus obtulerunt eum.

1. Introitus. Ps. 65, 4.1. 2.

Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient : potestas ejus, potestas aeterna, quae non auferetur : et regnum ejus quod non corrumpetur. » Dan. 7, 13. 14.

Omnis terra adoret te, (Deum adorare est infinitae ejus excellentiae honorem supremum deferre. Ipsi « principaliter alligari debemus, sicut indeficienti principio. » 2, 2, q. 81, 1.

Quicunque igiter homines lumine Dei in fronte insigniti, quicunque natura pariter famuli Omnipotentis, profundo mentis et cordis honore Conditoris excelsam majestatem venerentur, eique genua flectant, caput demittant.)

DEUS, (Omnium principium et ultima ratio, ad quem cuncta sicut in metam vergunt sublimem : Deus ille est aeternus, qui nescit initium ac finem, et dum cetera quaecunque transeunt, ipse permanet immobilis : « Qui est, et qui erat, et qui venturus est,omnipotens » Ap. 1. 8.)

et psallat tibi : (Verba inflammata proferamus, verba nobis propria : corde ad cor Deo Salvatori Jesu cultum sincerum praestemus.)

psalmum dicat nomini tuo (Carmen universale jam scriptum traditur amantibus : « Et omnem creaturam quae in coelo est, et super terram, et sub terra, et quae sunt in mari.. omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum. » Ap. 5. 13.)

ALTISSIME (Siquidem cultus propter excellentiam exhibetur, ideo Deo competit modo plane singulari, ac proprio « in quantum (ipse) omnia in infinitum transcendit secundum omnimodum excessum. » 2, 2, q. 81, 1 ad 3).

Jubilate Deo, omnis terra, (Hoc praeconium, quod in

offertorio diei repetitur, sumi posset tamquam hujus laudationis summa frequenter iteranda.)

psalmum dicite nomini ejus : date gloriam laudi ejus (Psaltes nos ad laudandum provocat ; quid et quomodo ipsi respondebimus ?).

14. Dominica III post Epiphaniam [1].

Angeli et homines Filium incarnatum venerantur.

Cogita te esse in Deo velut immersum. Divina enim substantia subtilissima in te est, et extra te in spatiis omnibus terrestribus, et planetariis ac sidereis ; immo Dei immensitas omnia quaecunque loca et replet, et continet, et infinite excedit.

« Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies ?

Excelsior cœlo est, et quid facies ? profundior inferno, et unde cognosces ?

Longior terra mensura ejus, et latior mari. » Job 11, 8. 9.

Adorate Deum omnes angeli ejus : (Deo soli adorationis cultus debetur, quia ipse solus infinitus, ab ipso solo cetera, quaecumque sint.

« Ipse omnia fecit, et summum in omnibus rebus obtinet principatum. » 2, 2, q. 81, a. 1 ad 3. Per illud principium praegrande juravit angelus, qui stans « super mare et super terram, levavit manum ad coelum : et juravit per viventem in saecula saeculorum, qui creavit coelum, et ea quae in eo sunt : et terram, et ea quae in

1. Introitus, Ps. 96, 7. 8. 1.

ea sunt : et mare, et ea quae in eo sunt : quia tempus non erit amplius. » Ap. 10, 5. 6.)

andivit et laetata est Sion : (Servi Dei fideles nuntia de coelestibus ore prophetarum et apostolorum data reverenter et grato animo receperunt; agminibus angelicis se jungunt ; de Dei praestantia et beneficiis ejusque largitate laetitia communi perfunduntur.)

et exultaverunt filiae Judae (nec sola urbs Jerusalem, vel pars populi electa gaudiis cumulatur, sed oppida omnia et vici, et plebs Dei universa, omnesque qui voluerint bonum Dei nuntium recipere).

Dominus regnavit,exultet terra: (Novum nunc thema proponitur terrae gaudio tripudiantis sub gubernatione suavi ac stabili Conditoris nostri.)

laetentur insulae multae (Hominum multitudo sive universitas significatur insulis ferme innumeris maris Aegaei).

15. Dominica in Septuagesima. [1]

1. Anima Christiana sua plangit peccata, labilem statum, infirmitatem, tentationes, aerumnas sive spirituales sive temporales.

Circumdederunt me (Maxime periclitor, immo perire videor ; omni ex parte oppressus sum angustiis.)

gemitus mortis, (ipsa mortis apprehensio, horribilis incertitudo sortis futurae, timor judiciorum Dei)

dolores inferni (poena mortuorum sive damnatorum sive animarum in purgatorio detentarum)

circumdederunt me : (ita ut vix locus appareat evadendi; mens repleta est formidine rationis strictae quam reddere debet conditori:)

1. Introitus. Ps. 17, 5-7. 2.

2. Anima pia ad Deum se convertit.

Et tribulatione mea (quaecunque sit, sive ex delictis, sive ex tentationum frequentia, sive ex difficultatibus vitae)

invocavi Dominum, (non hominem adii, sed Deum meum, proprium meum consiliatorem, et mihi plus quam patrem vel matrem vel amicum)

et exaudivit (Vide nexum immediatum ; invocavi et statim exaudivit ; gratiose recepit me, et petitioni meae benigne annuit.)

de templo sancto suo, (Licet in coelo coelorum constituat paradisum beatorum, tamen adest in cordibus parvulorum suorum.)

vocem meam (Vocem dicit exilem, imperfectam, rudem, humanam, peccaminosam. Nos non dedignatur, sed mirabili aequalitatis modo diligit).

3. Propior adhuc ad Deum accessus.

Diligam te Domine, (Te sinu meo ardenter amplector ; quia tu es, Domine, qui tantopere cupis animam meam ad te vincire.)

fortitudo mea : (Deus est, quem possum et debeo liberrime appellare ;)

(Dominus (Animae fideli Deum tamquam rem suam familiariter habere licet, quia est Deus noster, qui super cetera omnia nos ad se fecit.)

firmamentum meum, (petra, seu rupes, in cujus immobili firmitate, fidelitate, et potentia radicatus sum)

refugium,(arx munitissima, ad quam in angustiis universis mihi licet confugere)

et liberator meus (Qui ab omni malo me valet eripere).

16. Dominica in Sexagesima. [1]

i. Secundum naturae realitatem Deus altissimus, nos infirmi et extra omnem cum Deo comparationem. Nobis tamen dedit legem, et nostrum invitavit amorem, nosque pariter ad societatem suam destinavit, adeoque statu, privilegiis, et ornamentis filiationis suae nos ditavit.

ii. Ob oculos ponatur tristis ille mundi status, quo tam rebus publicis gubernandis quam litteris scientiisque colendis a Deo alienus exsistit.

iii. Juvabit contemplari propriam imperfectionem, inopiam et socordem cum auxiliis divinis cooperationem.

iv. Quibus propositis, ex visceribus christiani erumpit clamor audacissimae pietatis, qua agnoscens se ingentibus nunc malis opprimi, experientia tamen et ex divinis promissis novit Dei benignitatem, misericordiam, teneritudinem.

---

1. *Anima clamat instanter.*

Exurge, (Sine ut ego sicut parvulus et dilectus ad te clamem.)

quare obdormis (oculus tuus vigilat semper, sed mihi nunc videris ad res nostras non attendere ;)

Domine (Domine mi, ad quem tamquam sibi carissimus curro) ?

2. *Clamat instantius.*

Exurge, (proba te esse vere adjutorem)

et ne repellas me in finem : (ne projicias me a te in aeternum :)

. Introitus Ps. 43. 23 26

1. *quare faciem tuam avertis,* (ne audias me)
2. (quare) *oblivisceris tribulationem nostram* (et inopiam nostram) ?
3. *adhaesit in terra venter noster* (animâ ignobiles sumus ; affectu terreni ; mundana sapimus, non coelestia :)

3. *Instantissime clamat.*

Exurge Domine, adjuva nos, (Infunde auxilia potentissima ; frange voluntates obduratas ; illumina omnes qui in umbra mortis vagantur, et corda nostra ad te allicias.) *et libera nos.*

Deus, auribus nostris audivimus : patres nostri annuntiaverunt nobis (Id est : quod Deus fecerit pro populo novimus ex historia sacra, ex Ecclesiae documentis, ex vitis sanctorum).

17. Dominica in Quinquagesima. [1]

i. Anima Christiana de recogitatis peccatis dolore commovetur.
ii. De innumeris suis defectibus humiliatur.
iii. De propria proficiendi impotentia plene conscia est.
iv. Ad Deum factorem suum, adjutorem, et amicum sese convertit.

---

1. *Petitio fidentis animi.*

Esto mihi (licet reus sim, ac debilis, et unus ex centenis millibus, mihi tanquam filio eris praesidio efficaci)

in Deum protectorem, (i. e. rupem fortissimam contra

1. Introitus Ps. 30, 2.-4.

tentationes, et impetum concupiscentiae, et debilitatem)

et in locum refugii, (sane ad te confugio sicut ad arcem inexpugnabilem)

ut salvum me facias : (nempe, ut me eripias a periculis, ut debilitatem meam corrobores, ut me in omnibus viis meis custodias :)

2. *Fidentis animi pia motiva.*

quoniam : —

a. *firmamentum meum* (i. e. rupes in qua constitutus sum)

b. *et refugium meum* es tu : (Deus meus ; qui mihi intime ades, et adeo benignus es, ut me indignum et hebetem divino affectu constringas :)

c. *et propter nomen tuum* (sanctissimum, potentissimum)

α. *dux mihi eris*, (ut agnum me deduces ; me itaque tibi prorsus committo ;)

β. *et enutries me* (Ad pascua nova deduces ; nova mihi concedes auxilia, lumina fulgentiora, motus suavissimos. O bone Deus !)

3. *Fiduciae professio ardens.*

In te, Domine, speravi (i. e. ad te confugi, auxilium meum certum ac firmissimum)

non confundar in aeternum : (Deus amicus fidelis non ad mortem usque, sed in aeternum :)

in justitia tua libera me, (Quia es auctor justitiae ; quia amas illam, et jubes eam a me excoli. Ab injustitia omni manu forti salva me.) *et eripe me.*

18. In Feria Quarta Cinerum [1].

Cum vivida peccatorum conscientia, cineribus aspersus, mente gravis, vir christianus accedit ad sacrosanctum Missae sacrificium contritus quidem sed animo non despondens ; quando inopinatum quemdam fiduciae clamorem audit : —

Misereris (Misereri est miti corde aspicere defectum seu malum alterius, sicut potens sustinet impotentem, sicut opulentus opem fert indigenti, sicut judex clementer pertransit jus, quod stat contra sontem.)
omnium, (hominum) *Domine*, (appellatur ad conditorem nostrum sapientissimum, benignissimum, et nobis intime praesentem)
et nihil odisti eorum quae fecisti, (Advertas illud « *nihil* » i. e. plane nullum. Et si alicui sors minus bona minusque felix contigerit, id divino amore reluctante evenisse non est dubitandum. Nunquam igitur me odit, licet potuerit odisse mea dilicta, sed me nunquam.)
dissimulans peccata hominum (O suave verbum ! Delicta non attendit Deus ; punire differt ; gratias et dona temporalia interim non recusat, sed expectat ut immutemur in melius : « Expectat Dominus ut misereatur vestri. » Is. 30, 18. Sustinet peccata et defectus sacerdotum, ut tandem in fine vitae perfectiores evadant.)
propter poenitentiam, (Hoc tantum vult, ut ex malo nostro ad bonum divinum corde contrito convertamur.)
et parcens illis : (Summus Deus injurias hominum infinite superat, quia omnia potest ; sicut enim primitus

---

1. Introitus. Sap. 11, 24-27 ; Ps. 56, 2.

nos fecit, ita nunc reficit ; et sicut dedit arbitrium delinquendi, ita etiam vel summi flagitii remedium praestabit.)

quia tu es Dominus (et quemadmodum Dominus supremus, ita scelera contra se patrata, ipse, nullo refragante, delere potest)

Deus (« Qui omnia providet procuratque Deus, qui omnes capillos nostros in numerato habet, curabit res nostras, non tantum ut sint, sed ut bene riteque constitutae sint. » Corn. a Lapide in h. l.)

noster (Deus est nobis, seu incolis probabiliter solius hujus universi, at certe nobis, immo et mihimetipsi, ac si aliae nullae essent creaturae. Noster est, quia novit nos ; noster, quia nimium nobis indulget ; noster, quia quodammodo ad gloriam suam nobis indiget).

Miserere mei, Deus : (ex divitiis tuis nostram imple paupertatem ; tua sanctitate nostram tolle nequitiam ; tua rectitudine nostram condona pravitatem ;) *miserere mei :* (filio tuo benigne indulgeas :)

quoniam in te confidit anima mea (In textu hebr : quoniam ad penetralia tua ingressus sum, et penes te me abdidi).

19. Feria Quarta Cinerum (2). [1]

i. « Immutemur habitu, jejunemus et ploremus ante Dominum, quia multum misericors est dimittere peccata nostra Deus noster. »

ii. Ut concedat tibi Deus spiritum poenitentialem iterum atque iterum obsecra.

---

1. Antiphona ad benedictionem cinerum. Joel. 2, 12. 13.

I. Sentiendum est et agendum cum Ecclesia tum in hoc loco, tum per orbem diffusa. An haec sincere facere intendo ?

Ecclesia autem vult et hortatur nos —

1. ut *novissima* nostra serio consideremus ;
2. ut de *peccatis* sincere doleamus ; adeoque oportet nos
   - *a*. peccata admittere ; nosmetipsos accusare ;
   - *b*. de iis humiliari : « Deus enim humiliatione flectitur ; »
   - *c*. de iis dolere : « facinora deplorare. »
   - *d*. satisfactionem praebere, mortificatione corporali et spirituali :
   - *e*. emendare in melius.

Congruos elice affectus.

II. Prima solemnioris hujus actionis religiosae pars est

1. *precatio* :
   - *a*. *humilis* : « Parce poenitentibus, supplicantibus » clamat Ecclesia. Petimus spiritum conpunctionis : « Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent Parce, Domine, parce populo tuo : et ne claudas ora canentium te, Domine. » Ant. 4.
   - *b*. *fiducialis* : « Quoniam benigna est misericordia tua ; expectamus praemia poenitentibus promissa.

III. Pars autem altera est actus *humiliationis* « cineres super caput recipiendi : ubi

1. significatur spiritus humiliatio, et mortis symbolum proponitur et
2. signum exhibetur poenitentiae et mortificationis.

Quomodo has cogitationes memoriae infiges ?

Quid hoc sacro tempore facere institues ratione
   - *a*. precum, et
   - *b*. ratione tui ipsius abnegationis, quoad regulas, studia, mortificationem corporalem ?

20. Feria Quinta post Cineres. [1]

Mens jam illuminata circa tristem suum statum, et spiritu fortasse conturbata et perterrita, iterum ad Deum confugit.

---

1. *Orandi potestas.*

Dum (inter meas angustias vel timores)
clamarem (affectu ferventiori)
ad Dominum, (Deum supremum)
exaudivit (petitionem meam non solum audivit, sed concessit)
vocem meam, (quamvis sum homuncio, pauper, privatus, ignotus et peccator)
ab his qui appropinquant mihi (varii mei adversarii, sive praesertim spiritus nefarii, sive homines :)
et humiliavit eos, (i. e. superavit)
qui est ante saecula (in textu hebraico : judex cujus thronus est aeternus :)
et manet in aeternum : (Quid de humano et temporaneo tribunali, si tandem coram tribunali aeterno innocens et justus inveniar ?)

2. *Nunc psaltes pulchre seipsum alloquitur.*

Jacta cogitatum tuum in Domino,
(1. Non enim longe est a nobis, nec indifferens quoad res nostras.
2. Egredere a te ; accede ad Dominum.

---

1. Introitus. Ps. 54, 2-23.

3. Quae tibi obscura sunt et perplexa, Domino simpliciter trade ; illa in eum jacta, projice.)

et ipse te enutriet (roborabit,te sustinebit, dubia dissolvet, lumine te consolabitur, dulci pascet affectu).

3. *Petitio.*

Exaudi, Deus, orationem meam, (Humana quidem haec petitio, Deus enim semper audit. Deus, audi benignus, et concede quod rogo.)

et ne despexeris orationem meam: (petitio ardentior : ne abscondas te a me :)

intende mihi, et exaudi me.

21. Dominica I. Quadragesimae [1].

Deus fiducia nostra.

Quis sum ego ? Homuncio conatu inconstans, consilio mutabilis, voluntate debilis, praeda desideriorum complurium, hostibus lacessitus, continuis hujus vitae molestiis probatus atque probandus.

Quantis indigeo praesidiis ad communem nostrae mortalitatis infirmitatem sublevandam, torporem videlicet, inordinatum mei ipsius amorem, animum dejectum fractumve, et ad medendum indolis propriae defectui ?

Quisnam adjutor ? Nemo mihi valide opem feret nisi conditor meus. De negotiis istis supremis sapienter dictum est : « Vana salus hominis. » Ps. 59, 13. « Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. » Ps. 117, 8.

Ipse, cujus est omnia disponere, se constituit adjutorem nostri ; alio confugere esset consilium ejus dirimere.

1. Introitus Ps. 90, 15. 16. 1.

Invocabit me, (cum sensu indigentiae propriae, serio, ardenter, incessanter, perseveranter)

et ego exaudiam eum : (sic enim precantibus spopondit, se preces esse accepturum. Quid porro sibi velit promissio adeo solemnis mox ipse declarat : —)

1. *eripiam eum*, (dubia resolvet, difficultates expediet, tenebras dissipabit,ab hostium incursu liberabit eum)
2. *et glorificabo eum* : (fama decorabit eum, ac laetitia exhilarabit :)
3. *longitudine dierum adimplebo eum* (Quod fiet sive annorum amplitudine, sive perenni vita beatorum. Ad rem eleganter S. Bernardus : « Ac si manifestius (Deus) dicat :Scio quid desideret, scio quid satiet, quid sapiat ei... Non ignorat ad cujus imaginem conditus sit, cujus magnitudinis capax sit ; nec sustinet de modico crescere, ut de maximo minuatur. Itaque longitudine dierum replebo eum, quem nisi lux vera reficere, nisi aeterna replere non potest : siquidem nec longiturnitas illa terminum, nec claritas illa occasum, nec satietas illa fastidium habet. « In Psalmum *Qui habitat*, Sermo 15, n. 6. II, 1925.

Qui habitat in adjutorio (in textu hebraico : *in asylo secretiori ac securo*)

Altissimi : (Deus non est fingendus veluti remotus, sed ut dignissimus et potentissimus, cujus tamen hospitio inviolabili fruitur homo.)

in protectione Dei cœli (sub umbra divini praesidii)

commorabitur (Fidelis anima cum Deo secura manet, sicut hospes cum amico tuta pernoctat. Sensus quem inde S. Bernardus derivat, nobis prodesse poterit : « (Ii) soli... in adjutorio Altissimi habitant, qui id solum obtinere desiderant, id solum amittere trepidant ; sedula circa illud et sollicita cogitatione versantes, quae est utique pietas cultus Dei. » 1. c. Sermo 1. n. 3. II, 1839).

22. Dominica secunda Quadragesimae. [1]

PIA ANIMA DENUO CONFUGIT AD DEI MISERICORDIAM ET BENIGNITATEM.

1. *Appellatio ad Dei misericordiam.*

Reminiscere (Cum magna fiducia appellat Ecclesia ad morem agendi divinum, qui misericordia et divina plane in nos pietate abundat.)

miserationum tuarum, Domine, et misericordiae tuae (In textu hebr. dicitur : *misericordia et favores.* Intelliguntur actus compassionis erga imbecillitatem creaturarum. Deus nos eduxit e nihilo : Jer. 31, 8 ; habet rationem pueritiae et adolescentiae. Jer. 2, 2.

« Magis proprium est Deo misereri et parcere, quam punire, propter ejus infinitam bonitatem. Illud enim secundum se Deo convenit, hoc autem secundum nostra peccata. » S. Th. 2, 2, q. 21, a. 2.)

quae a saeculo sunt : (sicut est natura ipsa Dei :)

2. *Finis appellationis.*

ne unquam dominentur nobis inimici nostri : (diabolus, nempe, quia ad quodvis peccatum nos adducere machinatur ; mundus, qui fallaci splendore, delectationeque praesertim se insinuat ; passiones denique cordis, et mentis superbia :)

3. *Appellatio iterata et directa.*

libera nos, (Liberatio, quae propria est Dei,stadio huic probationis maxime convenit.) *Deus Israël,*(Deus qui mundum tamquam possessionem suam condidit, et

1. Introitus. Ps 24, 6. 22.

ex eo elegit unum populum ut peculium suum, quem mirifice dilexit et protexit.)

de omnibus augustiis nostris (i. e. tenebris, aliorum urgentiore instantia, rebus perplexis, vexatione tentationum).

4. *Fiducia.*

Ad te, Domine, levavi animam meam : (Ex corde et carne naturae hujus assurgo ad Deum memor quod sit spiritus, qui vult se mihi communicare.)

Deus meus, in te confido, (actus fidei, fiduciae, pietatis)

non erubescam (etiamsi tardet respondere, in fine tandem mihi aderit ; me semper sustentabit, se mihi denique revelabit : « Visi sunt oculis insipientium mori ; illi autem sunt in pace. » Sap. 3, 2. 3).

23. Dominica tertia Quadragesimae [1].

1. *Constans fiducia.*

Oculi mei (Pius intuentis gestus hic depingitur. Significatur etiam cogitatio et affectus.)

semper (Quod supremum est, quod maxime amabile, quod mihi praestantissimum et gravissimum jugiter menti insidet.)

ad Dominum, (ad meum possessorem, ad herum absolutum et ditissimum, ad sponsum dilectum hic et nunc et semper praesentem)

2. *Certa confidentia.*

quoniam IPSE (qui vere est, qui certe omnibus provi-

1. Introitus. Ps. 24, 15. 16.

det, qui magis quam amici et parentes me amat tamquam creaturam sibi conquisitam)

evellet de laqueo pedes meos : (Quinam sunt laquei isti ? reliquiae peccatorum, habitus pravi, anxiae curae rerum temporalium, oblectamenta mundana aut carnea.)

3. *Obsecratio pia.*

respice in me, (O quanta erit efficacia aspectus Dei, quum benigno vultu respexerit imbecillitatem meam !)

et miserere mei, (Ne quaeras in me magna et bona, ubi parva tantum et mala deprehendis, sed imperfecta et mala. His autem tu, Domine, medere.)

quoniam unicus (Discedant antiqui sodales et amici, quorum alii infideles se produnt, alii forsan me non intelligunt ; et si plures essent fideles amici, tamen cum Deo me solum esse juvat. Ego et Dominus. Amor meus vult me individuum sanctificare et salvare.)

et pauper (magnis afflictis aerumnis, magna inopia laborans)

sum ego (Pro me, et in quantum est ex me, abyssus sum nihili, quam solus Deus replere poterit).

4. *Proprior adhuc ad Deum accessus.*

Ad te Domine levavi animam meam : *Deus meus, in te confido, non erubescam* (« Non inveniens in crearis ullis quietem, sed ubique spinas et tribulos, pertaesus vitae prioris, animam meam abstractam ab affectu quo inhaerebat terrae, ad te levavi, tibi per cogitationem assiduam, et amorem a te inspiratum inhaerere coepi. » Bellarminus in h. 1)

24. Dominica quarta Quadragesimae.

In media via poenitentiali Ecclesia sistit gressum, ut triumphum Christi incarnati et gloriosi contempletur. Inter hujus temporis tristitias animam recreat aspectu gratiarum et vitae spiritualis, quae ex Christo in fideles dimanant, qui per cuncta saecula ad fontes vivificos Salvatoris sese refecerint.

Laetare, (Conquiescendum suaviter in grandi spectaculo gloriae et potentiae Christi. Corde et voce laudes ejus exultantes tripudiantesque celebremus.)

Jerusalem, (Hoc nomine significatur populus electus. An satis perpensum habemus, quid sit coetui divina praedilectione adunato connumerari ? quaenam honoris hujus privilegia ? quanta exinde ratio reddenda ?)

et conventum facite (ut in cultu publico major gignatur omnium ardor, solemniorque sit exhibitio obsequii)

omnes qui diligitis eam : (Nonne omnes profecto diligimus Ecclesiam sanctorum, quam Christus sanguine suo acquisivit, quae Sponsa Christi dicitur et est, et nobiscum permanet ministra Redemptoris ?)

gaudete cum laetitia, (Nec leve nec mere internum sit gaudium, sed adeo vehemens,ut ad extra diffundatur, et cum sociis communicetur.)

qui in tristitia fuistis : (Nunc paulisper remittendus est dolor, et spiritus reficiendus gaudio quod ex Domino procedit.)

ut exultetis, (Sicut gaudia divina summa sunt, ita laetitiae spirituali laxandae sunt habenae.)

---

1. Introitus. Is 66, 10. 11 ; Ps 121, 1.

et satiemini ab uberibus consolationis vestrae (ut repleamini sensu pacis, fiduciae, laetitiae, consolationis, et communionis cum ceteris, qui in societate Ecclesiae suae Deum amant).

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus. (Totum Christianorum verum gaudium est esse cum supremo bono, quod est Deus ; ergo summum gaudium nostrum id est quod ingressi simus domum Dei. Si laetamur aspectu civitatis coelestis in terris, quanto magis exultabimus de ingressu in urbem sanctam Jerusalem novam in coelis. « Ergo curramus, curramus, quia in domum Domini ibimus. Curramus, et non fatigemur ; quia illuc perveniemus, ubi non lassabimur. » S. Aug. in h. l.).

25. Dominica Passionis.

De amore passionis dominicae.

« Per Christi passionem homo cognoscit quantum Deus hominem diligat, et per hoc provocatur ad eum diligendum, in quo perfectio humanae salutis consistit; unde Apostolus dicit ; « Commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. » cf. R. 5. 8. 9. S. Th. 3, q. 46, a. 1.

Consideretur igitur : —

1. Amor Dei *mittentis victimam* : « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. » J. 3, 16.

II. Amor *Filii venientis* : —

1. ut salvet populum suum dilectum ;
2. ut quod nos debueramus, ipse solveret ;
3. ut sese pro nobis peccatoribus substitueret ;
4. ut nobis conferret tutamen a diabolo, levamen concupiscentiae, redemptionem a peccatis, et gratiarum thesaurum ;
5. ut ultra omnem exigentiam cumulatissime pro nobis satisfaceret ;
6. ut ingenti dolore signo irrecusabili amorem demonstraret, et nostram compelleret redamationem ;
7. ut singulis suum amorem ostenderet : « In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. » Gal. 2, 20.
8. ut sit socius passionum, et aerumnarum nostrarum, et martyrum princeps ;
9. ut fiat nobiscum confrater, quasi unus ex nobis, et mortis acerbitatem plus quam nos, persentiret ;
10. ut virtutem patiendi heroicam ipse nos exemplo doceret ;
11. ut vitam haberemus, et abundantius haberemus.

III. « Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est ?

Vix enim pro justo quis moritur... (sed) cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. » R. 5, 6-10.

26. Dominica in Palmis. [1]

De convenientia passionis Christi.

« Sanandae nostrae miseriae convenientior modus alius non fuit, » quam per Christi passionem. « Quid enim tam neces-

1. S. Th. 3, q. 46, a 3.

sarium fuit ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium conditione ipsius mortalitatis abjectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quam ut demonstraretur nobis quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret. » S Aug. De Trin. xiii, c. 10, M. 8, 1024,

Per hoc quod homo per Christi passionem est liberatus, multa, praeter liberationem a peccato, ad salutem hominis pertinentia, concurrerunt : —

---

1. Per hoc enim homo cognoscit quantum Deus hominem *diligat*, et per hoc provocatur ad eum diligendum, in quo perfectio humanae salutis consistit.

2. Per hoc Christus dedit nobis exemplum *obedientiae, humilitatis, constantiae, justitiae*, et caeterarum virtutum in passione Christi ostensarum, quae sunt necessariae ad humanam salutem ; unde dicitur 1 P. 2. 21: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. »

3. Christus per passionem suam non solum hominem a peccato liberavit, sed *gratiam* justificantem et *gloriam* beatitudinis *promeruit*.

4. Per hoc homini inducta est major necessitas se *immunem a peccato conservandi*, qui se sanguine Christi redemptum cogitat a peccato, secundum illud 1 Cor. 6, 20 : « Empti enim estis pretio magno ; glorificate et portate Deum in corpore vestro. »

5. Hoc ad *majorem dignitatem* hominis cessit ; ut sicut homo victus fuit et deceptus a diabolo, ita etiam homo esset, qui diabolum vinceret ; et sicut homo mortem meruit, ita homo moriendo mortem superaret ; unde dicitur 1 C. 15, 57 : « Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. »

27. In Coena Domini.

i. Ob oculos pone coenaculum grande stratum, supellectilem simplicem mundamque, apsotolos cum Christo recumbentes, esum agni paschalis, lotionem pedum discipulorum.

ii. Amorem ferventem posce.

---

1. Coenae hujus tempus perpende : — locum enim habuit —

Ante diem festum Paschae, quo populus Israëliticus liberatus fuit, et quo ipse Messias erat crucifigendus.

Pridie quam pateretur :

In qua nocte tradebatur : vel ut Magister ipse dixerat : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar*. L. 22, 15.

Traditor adfuit mensae, et futurum erat, ut post paucas horas beneficus Dominus in manus daretur inimicorum, a suis omnibus derelinqueretur, et in mortem atrocem ageretur. Ad hanc igitur horam solemnem: « Majora in extremo facit, ut eorum caritatem augeat, et magnum indet animum ad futura perferenda mala. » S. J. Chrysos. Hom. 69 in Joan. Vol. 8, 474.

« Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius (Eucharistiae) altitudinem, ultimum hoc voluit altius infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. » S. Aug. Ep. 54, n. 8. M. 2, 203.

Beneficium dat ineffabile, quod in se redemptionis auctorem et actum sublimem continet.

2. Panem benedixit, ut eum sanctificaret, fregit, ut manducaret illum, deditque singulis, ut suos faceret, trans-

format panem in corpus quod ' pro vobis datur in cruce. ' Vinum deinde transvertit in sanguinem pretiosissimum hujus novi testamenti, in sanguinem videlicet illum « qui pro vobis et pro multis effundetur. »

Victimam sanguine manantem Christus mystice ponit in mensam, tamquam primitias sacrificii cruenti. Nunc in amorem se tradit, continuo se oblaturus in pretium.

3. Coronidis instar intimo cordis affectu degusta verba S. Joannis : « Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. » J. 13, 1,

28. In Coena Domini (2). [1]

De lotione pedum discipulorum.

1. *Eventus discriptio.*

Mente mihi repraesentabo coenaculum grande stratum, ubi Christus cum discipulis suis colloquitur. Postquam coenaverunt, surgit Christus, accingit se linteo, aquam fundit in pelvim, genuflectit et singulorum pedes lavit.

Deinde dicit : — *Scitis quid fecerim vobis, ego Dominus et Magister* (actum nempe humilitatis ineffabilis). *Exemplum dedi vobis* (amoris et fraternae familiaritatis), *ut et vos ita faciatis* (ergo pari dilectione, beneficentia, humilitate nobis agendum).

2. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, dixit Dominus.*

---

1. Ex Antiphonis feriae v in Coena Domini.

3. *Ubi caritas* (qua fratres tamquam a Deo et propter Deum dilectos diligimus) *et amor* (quo homines tamquam fratres ab eodem Deo creatos, et in eumdem finem destinatos, vero affectu amplectimur), *Deus ibi est*, (Non enim Deum diligimus, nisi etiam fratres sincero affectu prosequimur, sicut et Deus nos individuos dilexit).

4. *Congregavit nos in unum Christi amor* (Voluit et praecepit, et oravit ut unum essemus). *Exultemus, et in ipso jucundemur* (In ipso enim per originem, per redemptionem, et per influxum gratiae, et per Corporis et Sanguinis communionem unimur).

5. *Timeamus* (quia Deus sanctissimus est, justissimus, Dominus supremus) *et amemus* (quia bonus est super omnem mentis captum, et bonum unicum nostrum) *Deum vivum* (illum cujus essentia est existere, cujus existentia est vita perfectissima, et cujus unica duratio est nunc sempiternum), *et ex corde* (pura intentione) *diligamus nos* (i. e. invicem) *sincere* (i. e. efficaciter et non mero inani affectu ; fideliter et non instabiliter).

6. *Simul ergo cum in unum congregamur* (non in sectas divisi, vel secundum partes et factiones, vel exclusiva quadam familiaritate), *ne nos mente dividamur* (opinionis pertinacitate, indolis contrarietate, ortus sive stirpis eventu fortuito, rerum politicarum aestu, vel studio partium) *caveamus. Cessent jurgia maligna, cessent lites* (haec enim Christi spiritui praeceptisque repugnant), *et in medio nostri sit Christus Deus.*

29. In Parasceve. [1]

Aspicientes (Inde monemur ut assidue, reverenter, peramanter Salvatorem intueamur : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis : ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. » J. 3, 14. 15. « Si vis salvari, respice in faciem Christi tui. » S. Th. in h. l.)

in auctorem fidei, (Ipse enim est excellentissimus prototypus et exemplar, in quo cernere possumus amorem, fiduciam et constantiam. Ipse praeit, ipse dux est, quem sequi oportet. Ipse totius auctor religionis et spei nostrae : « Deus enim locutus est nobis in Filio. » Heb. 1, 2.)

et consummatorem Jesum. (Qui nunc in cruce patitur, eos in coelo coronabit, qui similes imagini crucifixi inventi fuerint.)

qui, proposito sibi gaudio (conditionem honorificam rejecit ; pati maluit, et pro sceleribus nostris rigore justitiae satisfacere statuit, atque excessum amoris sui modo ineffabili demonstrare voluit ; voluit insuper mereri gaudium resurrectionis et ascensionis ac amorem hominum erga seipsum crucifixum allicere : « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. » J. 12. 32.)

sustinuit crucem, (apprehensionem, alapas, verbera, spinas, sputa, crucis pondus, potum amarum, clavorum tormenta, febrim, sitim, nuditatis ignominiam, desolationem, inimicorum triumphum, martyrium diu protractum)

confusione contempta, (opprobriis scilicet, contumeliis,

1. Heb. 12, 2.

blasphemiis, infamia, derelictione ; nam neque a multitudine amicorum deseri, nec ab ipso « Deo suo » ad tempus derelinqui recusavit ;)

atque in dextera sedis Dei sedet (ubi natura ea, quae passa est, singulari gaudet felicitate ac pace ; ubi tanquam victor fruitur triumpho aeterno ; ubi specialis illi tribuitur cultus ut Agno qui occisus est, et retribuitur ei honor magnificus titulo humiliationis : « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen... et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus IN GLORIA EST DEI PATRIS. » Phil. 2. 9).

30. In Parasceve (2). [1]

De efficacia passionis dominicae.

i. Christus « dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Apoc. 1, 5.

ii. Humanae salutis causa efficiens principalis est Deus ; quia vero humanitas Christi est divinitatis instrumentum, ideo... omnes actiones et passiones Christi instrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad salutem humanam. l. c. a. 6.

iii. Vivacem petam gratitudinis sensum.

---

1. Passio Christi liberat nos a *peccato* —

1. quatenus charitas Christi immensa nos ad redamationem provocat unde peccatorum remissionem consequimur : « Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus,

---

1. S. Th. 3, q. 49, a. 1 et 2.

Christus pro nobis mortuus est. » R. 5, 8. 9. Per charitatem autem consequimur veniam peccatorum, secundum illud Lucae 7, 47 : « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. »

2. quia ipse caput est cui nos tamquam membra mystice unimur ; in passione liberavit nos membra sua per pretium sanguinis sui ;
3. quia caro, secundum quam Christus passionem sustinuit, est instrumentum divinitatis, ex quo ejus passiones et actiones operantur in virtute divina ad delendum peccatum.

Hinc ex sanguinis Christi virtute possunt quaecunque peccata quandocunque remitti, vel praeterita, vel praesentia, vel futura ; sicut si medicus faciat medicinam, ex qua possint quicunque morbi sanari, etiam in futurum.

II. Passio Christi pariter nos liberat a *potestate diaboli*—
1. quia disrupit vincula peccatorum quibus captivi a diabolo tenebantur ;
2. quia sicut Deus, quem homo peccando offenderat, per suam justitiam hominem reliquerat potestati diaboli, ita passio Christi nos a potestate diaboli liberavit, in quantum nos Deo reconciliavit ;
3. quia sicut daemon sua nequissima voluntate hominem a consecutione salutis impediebat, ita passio Christi nos a potestate diaboli liberavit, in quantum nempe in passione Christi excessit modum potestatis sibi traditae a Deo, machinando mortem in Christum, qui non habebat meritum mortis.

III. Passio Christi liberat nos a *poena* ingenti, quam pro delictis nostris debuimus, in quantum passio Christi fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccatis totius humani generis. ib. ad 3.

31. In Sabbato Sancto.

I. « Exinde coepit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, et multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. » M. 16, 21.

De quibus haec imprimis perpendamus : —

1. quam mira sit illa *electio* Christi mala libenter praeoptandi, opprobria ignominiamque ac ipsam crucifixionem sponte sustinendi ;
2. quod ea de re *stupore* quodam affecti sint ipsi apostoli, quia viderunt illum qui tot ac tanta miracula patraverat, tam horrenda in se recipere absque ulla resistentia ;
3. quod ad finem usque vitae suae Christus permiserit, ut inimici de se *triumpharent*, secundum illud quod dixerat : « Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum. » L. 22, 53.

II. Ad haec tamen Christus et apostolos et populum multis praeparaverat : —

1. A populo voluit celari suam excellentiam, ne morte sua ignominiosa nimis scandalizarentur : ita post Petri confessionem nobilem « praecepit discipulis suis ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus. » M. 16,20 ; et post transfigurationem : « Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat. » M. 17, 9.
2. Apostolis aliisque saepius suam passionem praenuntiavit : —
   a. « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » J. 2, 19.
   b. « Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus

diebus et tribus noctibus : sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. » M. 12, 40.

c. « Filius hominis tradendus est in manus hominum: Et occident eum, et tertia die resurget. » M. 17, 21. 22.

d. Ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur, condemnabitur morte, flagellabitur, crucifigetur et tertia die resurget. M. 20, 18.

e. Post biduum Filius hominis tradetur ut crucifigatur. M. 26, 2

f. « Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte...

Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam. » ib. 31, 32.

III. Principes tamen sacerdotum rei hujus immemores non fuerunt. Dixerunt enim ad Pilatum : « Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam... Ait illis Pilatus : Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. » M. 27, 65.

Piae mulieres oblitae sunt prophetiae, et jam tertia die venerunt ad sepulchrum ut corpus ungerent.

Duo pariter discipuli ad Emmaus proficiscentes prophetiae adimpletionem vix expectabant.

32. Dominica Resurrectionis. [1]

« Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. » J. 10, 17.

In omnibus Christus fecerat voluntatem Patris, corpus induerat, viliorem conditionem susceperat, opprobriis reple-

1. Introitus Ps. 138, 1-6. 18.

tus fuerat, dolore et morte confectus, opere tandem completo, spiritum tradiderat, exclamans : « Consummatum est. »

Sed humiliationi subsequitur exaltatio, et die statuto corpus denuo vivificat, glorificat, vincula sepulchri disrumpit, et exurgens triumphator Deo Patri carmen resurrectionis profert : —

Resurrexi (Salvator et victor vivo),

et adhuc tecum sum, (coram Deo me sisto, ut in victoria Filii incarnati Pater adhuc magis clarificetur)

alleluia : (Lauda Deum, qui Christum mortuum ad vivos resuscitavit ; gratulare Christo Filio Dei de triumpho suo.)

posuisti super me manum tuam, (Prope es ut custos, adjutor, et sustentaculum. Praeclaram Dei potestatem agnosco ac revereor.)

alleluia : (Lauda Patrem, qui Christum resuscitavit : et Filium pariter lauda, qui semetipsum resuscitavit : « quia eadem est divina virtus et operatio Patris et Filii ; unde haec duo sese consequuntur, quod Christus sit suscitatus divina virtute Patris et sui-ipsius. » 3, q. 54, a. 4, ad 1.)

mirabilis facta est scientia tua, (In textu hebraico : *mirabilis est scientia tua, et captum meum prorsus superat.* Prodigium sane illud est insigne quod mortuus resurgat, et maneat in perpetuum immortalis. « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur. » R. 6. 9.)

alleluia (gratulare Christo qui typus est resurrectionis nostrae : « Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium. » 1 C. 15, 20.)

alleluia (laetare cum Christo de completo opere redemptionis).

Domine probasti me, (Profundo intuitu me investigasti. Vidisti me, auctorem vitae, Filium incarnatum, cui propter humiliationem jam debetur gloria.)

et cognovisti me : (quidquid ad me pertinet tu perspectum habes, naturam, opus finem ;)

tu cognovisti sessionem meam, (me sedentem cognovisti) *et resurrectionem meam* (Me surgentem vidisti. Nulla in vita Christi actio Deo Patri non nota, nulla minus grata, nulla extra ordinem divinae salutis posita).

33. Dominica Resurrectionis (2). [1]

1. *Factum resurrectionis annuntiatur.*

Resurrexi, (E mortuis redeo, homo vivus ; amicos quaero, matrem, Magdalenam, Petrum, apostolos ; immortalis sum, sed carne palpabili vestitus. Ecce promissionem implevi : « Tertia die resurget. » M. 20, 19.)

et adhuc tecum sum, (Nota quod Christus singulis singulariter consueta sua benigna familiaritate loquatur.)

alleluia : (Laudetur Deus ob Christi triumphum ; laudetur Christus ob impletam suam saepius datam promissionem, et ob resurrectionis nostrae pignus gloriosum : « Ego sum resurrectio. » J. 11, 25)

2. *Potentia Domini.*

Posuisti super me manum tuam, (Validissima Dei potentia denuo corpus Christi exanime cum spiritu suo composuit, dotesque adjunxit spirituales.

Etenim si Deus omnibus intime adest, et influxu suo potentissimo et semper praesenti sustinemur et movemur, suisque non tam paterna quam divina cura prospicit, quanto magis dilecto Filio in die glorificationis suae adesse convenit.)

1. Introitus Ps. 138, 1-6.

alleluia : (laudetur Dei mirifica potestas cui obediunt universa :)

3. Dei cognitio et providentia.

mirabilis facta est scientia tua, (O admirabilis Dei peritia et intima creaturarum comprehensio et supercomprehensio, qua vires naturales [ab homine intractabiles] adeo velociter novit compellere, conjungere, moderari, adornare ! O beata providentia, quae iniquorum machinationes cito et secure discussit !)

alleluia, (laudetur Dei cognitio prorsus illimitata)

alleluia (in altum extollatur supereminens conditoris in omnes cura.)

4. Laus grati animi.

Domine probasti me, (ad profundum perscrutatus es ; ad penetralia abditissima pertigisti ;) *et cognovisti me* : (penitus comprehendisti indolem ac scopum vitae, laborum, dolorum, sacrificii ;)

tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam (sive sederim, sive aliud quid fecerim, tu novisti ; omnes enim motus et actiones dirigit Dei providentia ; quod praesertim apparet in universa eventuum dispositione, quae in Domini resurrectione a mortuis finem attigit).

34. Dominica Resurrectionis (3).

1. Imaginatione repraesenta tibi Christi sepulchrum, lapide obsignatum, custodes milites.

Conspice deinde corpus illud sacrosanctum anima sua informari, et gloriose exsurgere, ac novo facto miraculo ex clauso sepulchro egredi.

Contemplare demum coelestem nuntium luce fulgentem, revolutum lapidem, exterritos custodes, eorumque fugam.

2. Neque praetermittendum est quod, sicut non tantum pro populo, verum etiam pro ipsis discipulis et apostolis passio Christi scandalum fuerit, ita ejus resurrectio fuerit necessaria, tum ad Christi debitum triumphum, tum ad instructionem apostolorum.

3. Resurrectio igitur triumphus est Christi. Virtute propria se resuscitat : « Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. « Nemo tollit eam a me : sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam : et potestatem habeo iterum sumendi eam » J. 10, 18.

Neque mors, neque lapis, neque milites ab implendo proposito Christum impediunt. Adimplet secure et tranquille quod scripturae et ipse de se saepius praedixerant : « Resurrexi, et adhuc tecum sum. »

Die statuto, vitam denuo prompte suscipit. Sine mora suis se ostendit, eosque omnes benigne alloquitur ; scilicet, matrem virginem, Mariam Magdalenam, pias mulieres, Petrum, duos discipulos, omnesque apostolos, Thoma excepto.

Nuntium angelicum istud fuit : « Surrexit ; praecedet vos in Galilaeam. » Christus autem munus nuntii mulieribus commisit dicens : « Nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam ; ibi me videbunt. » M. 28, 10.

4. In Domino nostro resuscitato gloriemur. Fiduciam ejus in cordibus augeamus. Rememoremur Christum e mortuis resurgentem typum esse resurrectionis nostrae. Ad exemplum Magistri passiones eundum est ad praemium gloriosae resurrectionis : « Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? » L. 24, 26.

35. Quare Christus resurrexerit [1].

Resurrectionis locum, horam, et circumstantias ex praevia meditione paululum recogitemus.

Ob oculos ponamus gaudium, et consolationem discipulorum.

« Ecce vicit leo de tribu Juda. » Ap. 5, 5.

Finis resurrectionis Domini multiplex fuit ; et secundum sensum scripturarum, aptissimus : videlicet :—

I. Juvat enim *ad divinae justitiae commendationem*, ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant, secundum illud : « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. » L. 1, 52. Quia igitur Christus propter charitatem et obedientiam Dei se humiliavit usque ad mortem crucis, oportebat quod exaltaretur a Deo usque ad gloriosam resurrectionem.

Stupenda fuit humiliatio : admirabilis et prompta exaltatio. « Semetipsum exinanivit, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. » Phil. 2, 7-9.

Per crucem sic itur ad gloriam.

II. Juvat etiam *ad fidei nostrae instructionem*. Quia per ejus resurrectionem confirmata est fides nostra circa divinitatem Christi ; quia etsi ' crucifixus est ex infirmitate, vivit ex virtute Dei '. ct. 2 C. 13, 4. Et ideo : « Si Christus non resurrexit, inanis est, ergo praedi-

---

1. Secundum S. Thomam. 3, q. 53, a. 1.

catio nostra, inanis est et fides vestra. » 1 C. 15, 14. Et in Psalmo : « Quae utilitas in sanguine meo (id est in effusione sanguinis mei), dum descendo (quasi per quosdam gradus malorum) in corruptionem ? » 29, 10.

III. Inservit *ad sublevationem nostrae spei*. Quia, dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus et nos resurrecturos. Unde « Si Christus praedicatur quod resurrexerit a mortuis... quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est ? » 1 C. 15, 12.

IV. Inservit quoque *ad complementum nostrae salutis*. Quia sicut propter hoc mala sustinuit moriendo ut nos liberaret a malis, ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona : secundum illud : « Traditus est propter delicta nostra (quae passionis suae delevit cruciatu), et resurrexit propter justificationem nostram (ita uno grandi opere, quod in resurrectione consummatum est, meruit Salvator ut et nos pariter et splendore et integritate resurgamus). » R. 4, 25.

V. Servit insuper *ad inchoationem et exemplar bonorum*. Etenim « Christus resurrexit... primitiae dormientium.» 1 C. 15, 20. Id est : —

1. primus dignitate et merito ;
2. primus et typus in divina intentione ;
3. primus tempore eorum omnium, qui ad vitam immortalem surrexerint ;
4. primus causalitate, quia per ipsum resurgemus. « Ego sum resurrectio et vita. » J. 11, 25.

36. Ex resurrectione quid discendum ? [1]

I. *Informatio vitae.*

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : (Mortui videlicet sumus peccatis per gratiam Dei justificantem. Ita cum Christo resurgimus ad vitam novam, virtutibus et gratiis honestatam, et ad bona tendimus immortalia. Aliis verbis : —

1. simul cum Christo sumus *crucifixi* per difficilem ac dolorosam luctam cum vitiis et concupiscentiis sustinendam ;
2. simul *mortui*, penitus abjectis peccatis ;
3. simul *consepulti* (ab actione peccaminosa remoti) ;
4. simul *resurgimus* (ad novitatem vitae, cujus principium est gratia, cujus actio virtus, et cujus finis sunt bona immortalia.)

ut quomodo Christus surrexit a mortuis (qua morte peccata abstulerat, et super potestates infernales triumphavit)

per gloriam Patris, (ut vitam gloriosam, quam a Patre accepit, Dei Filio dignam agere inciperet)

ita et nos in novitate vitae ambulemus (Sane qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis et concupiscentiis).

Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, (Etenim per gratiam quam pro suis meruit Salvator, atque per crucis virtutem possumus maculas animae delere, et concupiscentias vitiosas debellare.)

ut destruatur corpus peccati, (i. e. ut penitus interimerentur et extinguerentur peccata ad eaque propensiones)

---

1 R. 6, 4-11.

et ultra non serviamus peccato (scilicet ut simus Dei filii liberi, non servi diaboli).

II. *Conversionis stabilitas.*

Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (Ita profecto necesse est, ut in vita nova et praeclara virtutis perseveremus conamine virili, mente Christo fideli, et amore virtutum).

III. *Hortamentum apostolicum.*

Ita et vos existimate, (resolvite, decernite lucida et firma persuasione)

vos mortuos quidem esse peccato, (odio, fuga prompta vel pugna forti occasiones evitando)

viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro (recipientes nempe influxum vitae supernaturalis a Christo vita nostra, et enitentes semper, ut mentes et actus nostri normae divinae conformentur).

37. De vulneribus Christi resuscitati.

i. Ad vulnera Christi in cruce pendentis pios oculos convertam.

ii. Easdem nunc plagas in corpore Christi resuscitato splendentes intuebor.

iii. Fructum hujus meditationis copiosum supplex rogabo.

---

1. Vulnerum *veritas* seu realitas perpendatur :

« Ostendit eis manus et latus. » J. 20, 20.

« Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum. » ib. 27.

II. Vulnera manent in corpore Christi resuscitato, et apo-

stoli Thomae infidelitatem sanant, nostramque pariter firmant fidem.

III. Manent insuper in *corpore* Christi *gloriosissimo* in coelis : —

1. ut signa virtutis heroicae, ut redemptionis pignora, et tesserae amoris ;
2. ad gloriam Christi ipsius, et in signum sempiternum inclyti sui triumphi ;
3. ut Patri semper ostendat genus mortis quod pertulit, « ut erga beatos sigilla amoris perennis conservet, et ut semper videant « quam misericorditer sint adjuti ;»
4. ut in judicio supremo appareat, quam juste condemnati fuerint impii : « Etiam inimicis suis vulnera demonstraturus est sua. Propter quod dictum est per prophetam, Videbunt in quem pupugerunt... ut convincens eos Veritas dicat. Ecce hominem quem crucifixistis, ecce Deum et hominem in quem credere noluistis. Videtis vulnera quae inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis : quoniam et per vos et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. » S. Aug. De Symb. II, c. 8. M. 6, 647.

IV. Singula decore fulgent, vere nunc « super rosam rubicunda. »

Singula salutemus, spiritu triumphali canentes : — « Salve caput cruentatum. Salve latus perforatum. Salve mitis apertura. Manus sanctae, vos avete. »

De singulis gratias Deo et Christo referamus. De singulis instructionem vitae discamus : et statuamus :

1. capite — mentem Deo totam dedicare ; studiis sedulo dare operam ;
2. corde — oratione indesinenter insistere ; vexationes pati libenter ; opprobria patienter tolerare ;
3. manibus — munera nostra quaelibet obire strenue, fideliter, perite ;
4. pedibus — subire difficilia ; ad opera prompte accedere.

38. De cicatricibus Christi gloriosis.

i. Ostendit eis manus et latus. Videte, palpate ; infer digitum; affer manum, et mitte in latus meum.
ii. Amorem Christi fidelem et fervidum efflagitabo.

In coelesti gloria splendide fulgent Christi vulnera.

I. Veritas resurrectionis triumphalis inde beatis in aeternum patet. Ipsa enim vulnera corpori patienti impressa, in Christo permanent gloriosa. Fidem resurgentis Salvatoris renovabo.

II. Dominus meus in corpore suo semper *amoris vulnera* secum portat. « Qui regna mortis destruxit (mortem, peccatum, diabolum), signa mortis obliterari noluit. » S. Beda.

O beatum corpus propter me vulneratum ! O venerandae et triumphales cicatrices ! Mihi in sanctissimo sacramento adsunt, — in Missa, — in sancta communione.

« Amoris invisibilis veneremur vulnera. »

III. Si Christus etiam in coelo passionis suae cicatrices retinet, et nos eorumdem *vulnerum memoriam* jugiter fovere oportet.

« Noli oblivisci omnes retributiones ejus. » Ps. 102, 2.

IV. Portat vulnerum vestigia, ut *annulum recordationis* nostri perennis. In aeternum nobis dilectio sua manebit fidelis : « Ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. » Is. 49, 15. 16.

V. « Vulnera aperta in corpore reservavit, ut essent nobis quasi quaedam *civitates refugii* : ut tanquam columba

in his foraminibus defendamur ab infernalibus milvis.» Petit, Sacerdos, IV, p. 314.

« Quis non...
... in corde isto seligat
Aeterna tabernacula ?

39. De resurrectione spirituali (R. 6, 11).

Ita et vos existimate, (firma et vivaci fide in veritatem et efficaciam passionis et resurrectionis Salvatoris) *vos mortuos quidem esse peccato,* (Quibus haec intelligenda veniunt :

1. mala sincero corde odisse ; ea ad quae prius forsan allectus fui, nunc Dei gratia medicinali conversus detestor ;
2. mala ipso facto non committere ; scilicet, ea amplius non facere, quae antea facere consuevi ;
3. occasiones mali arcere et fugere.

Dicti apostolici sensus intimior perpendatur : —

Corpus quod emortuum est caret actu, affectu, sensu, motu ; eodem plane modo oportet spiritum nostrum se habere circa vitam priorem peccaminosam, quatenus neque nunc facit actum peccati, neque peccatum cupit, nec in eo sibi complacet, nec impulsu primo rapitur in illud.

Haec mors est, quae nos ad veram vitam perducit.) *viventes autem Deo,*

a. in Dei praesentia et gratia :

α. lumen et calorem vivificum a Deo recipientes ;

β. a Deo ad vitam supernam motu proprio elevati ;

γ. auxilia divinitus collata, lumina scilicet et impulsus ad bonum attente recipientes, eaque sedulo in lucrum vertentes ;

δ. coelestis gratiae pabulum assimilantes in animae substantiam ;
ε. merito crescentes ;
ζ. Christi bonum odorem diffundentes ;
b. nova instaurantes :
α. praecepta Dei fideliter in omnibus exsequentes ;
β. Christi monita et consilia suavia libenter recipientes ;
γ. Christi humilitatem induentes ; aliasque Christi virtutes illustres indolemque sublimem studio assiduo imitantes ;
δ. crucem post Magistrum ferentes ;
ε. non terrena sapientes, sed coelestia ;)
in Christo (qui est Messias et sanctificatus a Deo)
Jesu (omnium Salvatore, dulcissimo, amabilissimo)
Domino (qui jure emit et possidet nos)
nostro (qui se non tantum Magistrum sed fratrem vocavit).

40. De resurrectione spirituali. [1]

Si consurrexistis cum Christo, (per baptismatis sacram instaurationem, et continuam sacramentorum sanctificationem, et auxiliorum supernorum immissionem copiosam, et virilem devotamque vitae renovationem) *quae sursum sunt quaerite*, (scilicet (*a*) *regnum Dei*, quod non est de hoc mundo ; desursum enim est ratione tum finis sublimioris, tum praesidiorum, tum demum divinae prorsus sanctificationis ; (*b*) *justitiam ejus*, quae novo ac praecelso huic ordini propria est, atque a

1. Col. 1, 1-4.

natura et mundo distincta et aliena : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. » Ps. 26. 4.)

quae sursum sunt sapite, (quod est : « Secundum supernas rationes ordinare vitam, et de omnibus judicare secundum eas. » S. Th. in. h. 1. ; haec est « sapientia desursum descendens. » Jac. 3, 15 ;)

non quae super terram (Nam qui sapit terrena ista, « secundum terrena bona omnia ordinat et judicat ; reputans ea esse summa bona. » S. Th. in h. 1. « Et gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt. » Phil. 3, 19.

Vitae tuae praeteritae scopum inquire. Quid reapse quaesivisti ? Quo voluntatis conatu et constantia in verum tuum finem contendisti ? An forsan ipsissima media cum fine commutasti ?)

Mortui enim estis, (i. e. peccata deliberata deseruistis omnia, ita ut propter nullum bonum terrenum, vel levem offensam in Deum libentes committeretis ; concupiscentias non fovetis, sed eas expurgatis, comprimitis, vel dirigitis secundum rectam normam ; principiis mundanis non consentitis, cujusmodi sunt amor delicarum, commodorum, vanitatum ;)

et vita vestra abscondita est (Notabile profecto verbum hoc « abscondita. » Complures enim quaerunt avide laudem sui ; et quando reliqua attigerint, honoris ambiunt claritatem. Nihilominus universi prope homines dies suos laboriose agunt a paucis cogniti, et a nullis paulo post mortem commemorati. Verumtamen pulchra valde est vita hominis mundo incognita, Deo notissima et amabilis. Etenim vita christiana ducitur in fide veritatum revelatarum, in virtute humilitatis, in magna aestimatione intentionis purae, in exercitio debitae obedientiae.)

cum Christo (amico familiari, capite regio et vivifico)

in Deo (qui quamquam oculos effugit sensibiles, spiritui suaviter praesentem se ostendit).

Cum Christus apparuerit, vita vestra : tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (Haec propria et illustris religionis promissio, quam viri irreligiosi fucatis verbis imitari nituntur, et leves superbosque nimis frequenter fallunt).

41. Flores ex sacra liturgia.

i. Mente contemplabor Ecclesiam per universum orbem, quum sacrosancto Missae sacrificio, tum officii laude divini, indesinenter orantem.

ii. Gratiam hujus temporis propriam a Christo resuscitato flagitabo.

Ad sanctitatis gradum altiorem multoties excitamur, videlicet : —

1. Nobis proponitur *coeleste donum gratiae paschalis* ; monemur quod *aeternis mysteriis vita nostra renovetur* ; quod (Christus) *nos de tenebris vocaverit in admirabile lumen suum*, nosque *efficiat capaces sanctae novitatis*, ac tandem *a vetustate purgatos nos transferat in novam creaturam.*

Poscamus igitur hoc vitae praesentis auxilium.

2. Orat porro sacerdos ut *fideles pietate sint concordes*, ut *una sit fides mentium et pietas actionum* ; ut mundus *perfectam libertatem consequi mereatur* ; *ut quod professione celebramus, imitemur effectu : ut liberemur ab insidiis diaboli, a corruptela carnis et ab allectamentis hujus mundi.*

3. Perseverantiae donum sacerdos Deum obsecrando nobis procurat : — *ut gratia hujus temporis nos ab omni subreptione vetustatis expurget ; ut sacramentum*

hujus gratiae vivendo teneamus ; ut illud moribus (i. e. actibus) *et vita* (i. e. corde) *teneamus ; ut sit in nobis continua nostrae reparationis operatio ; ut praesentis gratiae perceptio continua in nostris mentibus perseveret ; ut hoc perpetuae salutis auxilio, fides vera semper proficiat.*

4. Superna demum repromissio nobis saepius inculcatur, ut *gloria coelestis, medela aeternitatis, perpetua, laetitia, gaudia aeterna, sempiterna beatitudo.*

42. Dominica in Albis. [1]

De desiderio veritatis evangelicae.

Antiquam consuetudinem in mentem revoca, qua recenter baptizati vestes suas albas hodie deponebant.

Animadverte diligenter quod vestis illa candida in anima tua nunc fulgere debeat.

Axioma dominicum alte in mente defigas : « Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. » M. 18, 3.

Quasi modo geniti infantes, (Documentum morum petitur ab ipsis infantibus, qui ab aliis portantur, aluntur, educantur; quae dependentiae humilitatisque conditio tamquam exemplum discipulo Christi proponitur in iis, quae ad vitam pertinent supernaturalem. An propriam tuam dependentiam inopiamque sentis ? An judicio tuo, et inter orandum praesertim agnoscis tuam in omnibus ac nominatim in religione revelata a divino benefactore dependentiam ?)

---

1. Introitus. 1 P. 2., 2 ; Ps. 80, 2

alleluia : (Tantus est Domini Dei resuscitati triumphus, ut illius nunquam immemor Ecclesia indesinenter erumpit in gaudii clamores.)

rationabiles, (prudenter et secundum ordinem divinae providentiae agentes : sed melius : *rationabile*, quod dicitur de alimento spirituali doctrinae evangelicae nobis oblato ;)

sine dolo (ἄδολον de cibo doctrinae purae dicitur)

lac (i. e. dulcem ac nutritivum cibum evangelicum) (Sicut enim Judaeis olim omnibus manna coelitus datum mirifice conveniebat, ita longe magis cibus iste supersubstantialis populum Christianum recreat roboratque: nam mentem reficit veritate superna, cor amoris manifestatione dilatat, animam sanctificat vivifico corpore et sanguine Christi, totum denique hominem honestat nobilitatque unione cum Verbo Incarnato.)

concupiscite (Nec solum attente et dociliter, verum cum ardore ac aviditate suscipiendum est animae nutrimentum desuper nobis paratum, — « tanta scilicet (aviditate) quanta infantes papillas matris sugunt, imo majore. »

An gravate suscipis superiorum hortamenta ; an serio ponderas ea quae legis in libro spirituali ?)

Alleluia, (laus Deo Patri, qui ad nos misit Filium unigenitum)

Alleluia, (laus Filio, Deo, redemptori, fratri)

Alleluia (laus Spiritui sancto, qui omnia in opere Incarnationis gratia et praesentia sacravit).

Exultate (in spiritu festivo temporis hujus) *Deo* (tribus personis SS. Trinitatis) *adjutori nostro, jubilate Deo Jacob* (Deo nempe qui licet secundum sese altissimus sit, nihilominus nobis omnibus et singulis intime adest, quia omnia in ipso sunt ejusque influxu sustentantur).

43. Dominica II post Pascha [1]

Praeclarae laudes conditoris.

Laudare te, Domine, cupio ardenter ; sed quia universa opera tua grandia sunt, pulchra et stupenda, menti meae suggere, quae granditate eminent, ut paucis intentus toto animi conatu te laudem.

Ecce subito vox de coelo :

« Suavis Dominus universis, et miserationes ejus (se effundunt) super omnia opera ejus. » Ps. 144, 9.

Et iterum : —

« Coelum coeli Domino. Coelum sedes mea. »

Coelum est autonomastice gloriae Dei manifestatio.

---

1. *Deus miserator : —*

Misericordia Domini plena est terra,

a. Aspexit Deus abyssum creaturarum, easque a primordiali sua inanitate ad esse voce sua eduxit ;

b. earum naturae praefigit finem excelsum supernae beatitatis ;

c. inopiae naturali auxilia suppeditavit innumera ;

d. naturam puram ad nobilitatem ordinis supernaturalis ab initio elevavit ;

e. hominum pervicaciae et infirmitatis nunquam pertaesus, peccatores in sinum amoris sui recipere semper paratus fuit.)

Alleluia : (Colloquium instituam laudis et gratiarum actionis cum Deo miseratore.)

2. *Coelestis orbis conditor : —*

verbo Domini coeli firmati sunt, (Inter opera Dei

1. Introitus. Ps. 32, 5. 6 1.

visibilia nihil coelo splendidius aut vastius ; attamen neque labore nec instrumento ullo conditum est, sed vocis divinae omnipotentia sola : neque operoso conamine in esse et operatione sustinetur, sed ejusdem voluntatis virtute sublimi.)

Alleluia, alleluia, alleluia (Pia laudis salutatio hic instituenda).

Exultate (cordis et oris laeta professione) *justi* (amici Dei fideles)

in Domino : (qui omnibus adest, a quo pendent universi, ad quem corda justorum desiderio tendunt flagrante :) *rectos decet* (talium enim privilegium est sanctissimam Dei majestatem collaudare) *collaudatio* (simul et unanimes Dominum glorificant).

44. In Dominica III post Pascha. [1]

Hymnus triumphalis.

Deo, qui omnibus suas contulit vires, nihil resistere potest ; ipse profecto natura sua Rex et Victor ; et licet ad tempus inimici ejus forsan videantur praevalere, suaviter tamen et certe et plene tandem triumphat Dominus.

Recordare prodigia, quae facta sunt in transitu maris rubri et Jordanis : intuere Christum post passionis et mortis ignominiam gloriose resuscitatum : recole victorias Christi in Ecclesia reportatas de ethnica superstitione, de barbaris, de « humanistis », de reformatoribus, de pseudoscientia novatorum : memorare maxime victorias gratiae in internis pugnis justorum.

---

1. Introitus. Ps. 65, 1-3.

De quibus igitur : —

Jubilate Deo (conditori saeculorum, gubernatori universi, regi cordium, benefactori, amico, consummatori plaudite toto mentis, cordis et oris affectu)

omnis terra, (Homines, jumenta, viventia quaelibet, non viventia eumdem conditorem, provisorem eumdemque finem habent.)

alleluia : (erumpe in laudes Dei secundum se, Dei creatoris, largitoris prodigi, rectoris summi ;)

psalmum dicite nomini ejus, (sit nostra Dei confessio liturgica, solemnis, publica, concors)

alleluia : (invita creaturas omnes, coelum, terram, mare, nubes, astra, silvas, flumina, montes, ut suo modo Dei pulchritudinem et divitias proclament et reverenter agnoscant ;)

date gloriam laudi ejus, (gloriam redde laudando eum)

alleluia, (laus Deo Patri, Filio, Spiritui sancto)

alleluia, (laus Deo propter naturae institutionem, propter gratiae largitatem, propter gloriae sublimitatem)

alleluia (laus Deo tuo, laus regi tuo, laus amatori tuo).

Dicite Deo, (thema laudis proprium)

quam terribilia sunt opera tua, Domine : (v. g. opera (*a*) *naturalia* : spatii immensitas, planetarum moles ac velocitas, legum physicarum vis inerrans et irresistibilis ; (*b*) *supernaturalis* : ut plagae aegyptiacae, clades exercituum hostilium ;)

in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui (Isti, licet inviti, Deum ejusque religionem veram agnoscent. Sane sicut olim hostes Judaeorum potestatem Dei veri agnoscebant, ita nunc hostes fidei vel inviti religionis revelatae praestantiam multipliciter profitentur).

45. In Dominica IV post Pascha. [1]

IN LAUDEM DEI FERVIDAM.

1. *Invitatio.*

Cantate (Invitantur omnes, ut affectu ardentiori et magis producto cum sacrae musices emphasi cantuque concordi Dei praestantiam celebrent.)

Domino (cui attributa imperatoris supremi, et universorum Domini sensu plenissimo competunt)

canticum novum, (quia alia Dei praeconia depromenda veniunt, et quia novo cordis impetu et grandiori animi sensu voces attolluntur ;)

alleluia : (Colloquium instituatur, in quo gratia rite respondendi huic invitationi petatur.)

2. *Motiva laudandi.*

quia mirabilia fecit (de quo pensanda sunt ista :

1. Hoc Deo maxime proprium est, ut ea agat, quae creaturarum captum superant.
2. Deus prodigia multoties immo continuo fecit pro populo suo electo: in plagis aegyptiacis, in manna, in victoriis ab Amalecitis in deserto reportatis, in transitu Jordanis, ad captam urbem Jericho, in victoriis sub Josue in terra Chanaan, sub Gedeone contra Madianitas, et sub Samuele, Saule et Davide contra Philisthaeos.
3. Mirabilia profecto sunt illa, quibus vita Christi et Ecclesiae suae continuo illustrata est.)

alleluia : (Colloquium admirationis instituatur.)

---

1. Introitus. Ps. 97. 1. 2.

ante conspectum gentium (tribuum ethnicarum Israëlitis infensarum, Judaeorum Christo inimicorum, incredulorum, qui revelationem vel contemnunt, vel impugnant)

revelavit (signis physicis Israëlitarum hostibus, signis moralibus maxime in Ecclesiae propagatione ; signa insuper ostendit excultis et incredulis omnibus in claritate, firmitate et pulchritudine doctrinae revelatae, prodigiis tandem seu miraculis physicis hodie paratis;)

justitiam suam, (cujus sanctitatis normam sublimiorem omnes nunc admirantur in Christo Salvatore et ejus Ecclesia, quidquid demum in iis blasphement, quae non norunt ;)

alleluia, (Colloquium ineas reverentiae.) *alleluia*, (Colloquium gratiarum actionum.) *alleluia* (Petitionem emitte fidelitatis).

Salvavit sibi dextera ejus : (Deus propria et independenti potestate adversarios prostravit universos.) *et brachium sanctum ejus* (Summa et irresistibilis Dei potentia, quae in omnibus sancta est, et in finem supremum sancte attingendum operatur).

46. Dominica V. post Pascha [1].

i. Imaginare qualis esset mundi conditio, si nullum esset ovile fidelium, nulla gratia sanctificans, nulla Eucharistia, Salvator nullus, ubi tu alienigena esses a regno Dei, proles ex stirpe infami, peccatis haereditariis propriisque infectus, ad malum serviliter proclivis, ac sine ulla spe reparandi delicta.

ii. Nunc vero finge te audire desuper venturum esse Salvatorem Deum, qui peccata deleat, naturam sanet, haeredi-

1. Introitus Is. 48, 20 ; Ps. 65, 1. 2

tatem restituat, amicitiam cum Deo redintegret, coetumque piorum universalem cum privilegiis honoribusque hactenus inauditis instauret.

iii. Deus nunc tibi suppeditat laetitiae verba, quae primum de futura populi Dei liberatione a tristi captivitate Babylonica dicta sunt. Quae verba exultationis applicantur ad nostram liberationem et gloriam, quam morte sua comparavit Salvator, et triumpho resurrectionis et ascensionis complevit : —

Vocem jucunditatis annuntiate, et audiatur, (Non de minori aliquo sed de summo bono agitur, non de bono individuali tantum, sed de bono universorum, non de bono temporaneo sed aeterno. Deus ipse venit cum donis, amore, mercede, omnes redempturus.

Audiant omnes cantum et plausum et carmina laetitiae ; alliciantur omnes ad Deum laudandum.)

alleluia : (Gratulare Christo de victoria sua.)

annuntiate usque ad extrema terrae : (Res enim omnium summa agitur. Ora ut extendatur regnum Dei. Desidera ut tu aliquando possis illud extendere. Quid interim poteris facere ?)

liberavit Dominus populum suum, (Grande illud redemptionis thema iterum atque iterum ore repetatur, mente volvatur, corde degustetur. « Dominus dilexit eum... Haec dicit Dominus REDEMPTOR tuus sanctus Israël : Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas. » Is. 48, 17.)

alleluia, (Deum lauda, et ora ut dilatentur fines regni Salvatoris.)

alleluia (Christo triumphanti et resuscitato confitere, benenedic et gratulare).

Jubilate Deo omnis terra : (omnia regna naturae, individuum quodvis, et omnia simul ;)

psalmum dicite nomini ejus, (laeto et publico concentu) *date gloriam laudi ejus* (redde laudem ejus gloriosam).

47. In Ascensione Domini. [1]

Mente revoces ultima Domini verba :

a. praecepit apostolis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris ;

b. promisit eis denuo virtutem supervenientis Spiritus sancti ;

c. ipsos sibi testes nominavit ac misit

Et cum haec dixisset, videntibus illis, elevatus est (propria quidem virtute) : et nubes (consuetum divinitatis signum) suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur (in textu graeco : fixis oculis aspicientes) in coelum euntem illum, ecce (res proponitur inopinata et insolita) duo viri (i. e. angeli in forma humana) astiterunt juxta illos in vestibus albis (laetitiae signo), qui et dixerunt :

Viri Galilaei, (simplices quidem et rustici, sed ab inclyto triumphatore Christo sibi in ministerium adsciti) *quid admiramini aspicientes in coelum ?* (Nonne saepius vobis praenuntiatum est prodigium istud ? Nonne congruit Filio Dei omnes naturae leges transcendere ? Nonne et ipse identidem explicavit prodesse vobis ut discederet ? Nonne a Deo missus huc venit, legem dedit, salutem operatus est, et opere completo ad Deum nunc redeundum est ? Sit vobis haec ejus e terris in altum assumptio signum et pignus reditus futuri, quem pariter praedixit.)

alleluia : (Christo congratulare victori et thaumaturgo divino ;)

---

1. Introitus, Act. 1, 11 ; Ps. 46, 2.

quemadmodum vidistis eum ascendentem in coelum, (Angeli docent apostolos Christum in coelos ingressum esse.)

ita veniet, (Praenuntiant etiam angeli Christum in fine mundi reversurum esse in carne hac nostra cum potestate et majestate. Adeoque sicut noster frater est et servator, ita pro nobis intercessor in coelis, et tandem in fine mundi universorum erit judex.)

alleluia, (Deo Patri gratulare, qui in Filii sui triumpho clarificatus est.)

alleluia (benedicas Christo judici, qui tandem apparebit reducturus maestos ad laetitiam, inordinationem ad ordinem, iniquos ad poenam).

Omnes gentes (nam omnibus hominibus causa est jubili)

plaudite manibus : (publica gaudii significatione)

jubilate Deo (gaudio, hymnis, festis et cultu honorifico)

in voce exultationis (solemniori laetitiae festo).

48. In Ascensione Domini (2).[1]

1. Discipulorum admiratio describitur.

Quid statis adspicientes in coelum ? (Erant enim omnes : —

a. stupentes de Ascensione, quae in tanta gloria et virtute fiebat ;

b. dolentes de discessu tanti consolatoris ;

c. timentes, quia soli remanebant inter pressuras mundi quas praedixerat Jesus « In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. « J.16, 33 ;

---

1. Ex Epistola. Secundum Sermonem S. Thomae in hoc festo. Act. 1, 10, 11.

d. confidentes de promissione Domini quam dederat dicens :

« Vado ad Patrem (corporis transitu), et veniam ad vos » (per missionem Spiritus sancti). J. 14, 28.

« Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis. » J. 14, 16.

« Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. » M. 28, 20.

2. Ascensionis factum asseritur.

Hic Jesus, (Qualis ille et quantus ?)

qui assumptus est a vobis in coelum,

a. videntibus apostolis (« Cumque intuerentur in coelum euntem illum, ») ;

b. adstantibus angelis (« Ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis. » Act. 1, 10) ;

c. nube gloriae susceptus de terra exilii in coelum, seu patriam et locum magnae mercedis.

3. Adventus futurus huic similis discessui praenuntiatur :

sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.

Veniet quidem :

a. videntibus justis, immo et injustis : « Et tunc parebit signum Filii hominis in coelo : et tunc plangent omnes tribus terrae : et videbunt Filium hominis venientem. » M. 24, 30.

b. « in nubibus coeli cum virtute multa et majestate. » ib.

c. elevatis manibus ad benedicendum et invitandum (« Venite benedicti »), et ad dimittendum et condemnandum (discedite maledicti) ;

d. angelis comitantibus : « Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna : et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis coelorum usque ad terminos eorum. » M. 24, 31.

49. Suaves affectus erga Christum triumphantem. [1]

i. Brevissimo mentis conspectu intueamur Christi vitam duram et laboriosam, conflictum cum mundanis, passionem acerbissimam, mortem ignominiosam, resurrectionem splendidam, ingressum tandem in cœlos triumphalem.

ii. « Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem, et majestati tuae sincero corde servire. » Orat. infra Oct. Asc.

---

1. Jesu amabilis pia salutatio : —
   Salutis humanae sator,
   Jesu, voluptas cordium,
   Orbis redempti conditor,
   Et casta lux amantium.

2. Clementia admirabilis : remedium praeclarissimum: —
   Qua victus es clementia,
   Ut nostra ferres crimina,
   Mortem subires innocens,
   A morte nos ut tolleres.

3. Pro nobis pugnat. Victor tandem in cœlum redux : —
   Perrumpis inferum chaos,
   Vinctis catenas detrahis,
   Victor triumpho nobili,
   Ad dexteram Patris sedes.

4. Misericordiam interpellemus : beatitatem efflagitemus.
   Te cogat indulgentia
   Ut damna nostra sarcias,
   Tuique vultus compotes,
   Dites beato lumine.

---

1. Hymnus ad vesperas festi.

5. Fiduciam exhibeamus: quae summa sunt obsecremus :
Tu dux ad astra, et semita (VIA),
Sis meta nostris cordibus (OBJECTUM),
Sis lachrymarum gaudium (CONSOLATIO),
Sis dulce vitae praemium (MERCES).
Amen.

50. In verba Epistolae ad Hebraeos, 13, 8.

i. Christum auscultabo humanissima illa verba proferentem : « Venite ad me omnes. » M. 11, 28.
ii. A Christo fiduciam flagitabo constantem.

Verba ista cum amore repetantur : —
« JESUS CHRISTUS HERI, ET HODIE : IPSE ET IN SAECULA. » Heb. 13, 8.

I. JESUS : —
a. Deus ab aeterno in aeternum.
b. Salvator nunc ante plura saecula, per saeculorum decursum, hoc ipso die, et usque ad interitum mundi.
c. Jesus, summus lapis angularis, cui adfuerunt apostoli, cui et nos adsumus. Ipse nobis doctor, protector, robur, gratia, consolator, redemptor, cibus, gloria.

II. Jesus mihi socius et amicus sempiternus ; cujus amicitiam si violaverim, eam ipse mihi poenitenti affectu restituet paterno.

III. Jesus mihi creator, dator gratiarum, amator, pax, redemptio, gaudium.
1. Amor ejus securus, invariabilis, generosus. Mutatio, si qua occurrerit, in me erit.

2. Haec quae sequuntur amoris documenta, vera sunt semper, et magna cordis dulcedine sunt meditanda :
   a. Discite a me : sequere me. M. 11.
   b. Venite qui laboratis. M. 11, 28.
   c. « Jugum meum suave est, et onus meum leve. » ib. 30.
   d. « Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. » Ap. 7, 14.
   e. « Qui manducat me, et ipse vivet propter me. » J. 6, 58.
   f. Poenitenti semper ignoscitur : « Et venite, et arguite me, dicit Dominus : si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. » Is. 1, 18.
   g. Peccata penitus delentur : « Et peccatorum, et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. » Heb. 10, 17.
   h. Gustate et videte : « Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. » 1 P. 2, 3.

51. Dominica infra Octavam Ascensionis.

DOMINUS ILLUMINATIO MEA.

Petitionis ac fiduciae verba, quibus David allocutus est Deum omni mortali invisibilem, Ecclesia usurpat, ut suos erga Christum-Deum affectus ardentes profiteatur.

1. *Benignitatis divinae interpellatio humilis.*

1. Introitus. Ps. 26, 7-9 1.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi (sive : clamo assidue) *ad te,* (Ore et spiritu Deum obsecramus : humanis utimur facultatibus quibus ad Deum invisibilem et secretissimum pertingamus. Prece, instantia, clamore utimur, non ut Deum excitemus, sed ut quod cor nostrum ardenter sentit, lingua non minus vehementer proferat.)

alleluia : (in quovis orandi affectu Christus laudetur :)

2. *Pia diligentis professio.*

tibi dixit cor meum, (respondet anima Deo nos invitanti, ut quaeramus faciem ejus : « Conversus autem populus meus super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam... et ego exaudiam de coelo.. » 2 Par. 7, 14.)

quaesivi vultum tuum : (pia audacia commemorat desiderium et intentionem suam praeteritam :)

vultum tuum, Domine, requiram : (consilium definitum ac virile annuntiat :)

ne avertas faciem tuam a me, (i. e. cum adeo humaniter me vocaveris, non poteris me non recipere)

alleluia, (sit laus jubilationis de splendore vultus Dei)

alleluia, (sit laus fiduciae de Dei rectitudine et humanitate).

3. *Gloriatio in Deo.*

Dominus (potens quum sit, debiles sustinet; imperator, abjectos diligit ; infinitus, finitos non dedignatur)

illuminatio mea, (Tenebras fugat, coelum animae mirifice collustrat, et spiritum calore laetificat. Mentem illuminat, ut videamus spiritualia, ut cognoscamus Deum et quem misit Jesum Christum, ut inconcussam religionis veritatem percipiamus.)

et salus mea, (i. e. liberatio a malis cunctis, pax, felicitas vitae plenitudo perfecta).

52. In festo Pentecostes [1].

i. Christus venit ut ovile spirituale constitueret, quod diu antea praenuntiaverat vates divinus : « Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. »Ezech. 36, 26.

ii. Christus Spiritum sanctum promisit, tamquam operis sui fastigium et coronam.

iii. Humili ac ardente voce Dominum deprecare, ut Spiritum sanctum agnoscere valeas et intimo cordis hospitio digne excipias.

Spiritus (beatus ille Dei amor, qui singulari titulo nominatur Spiritus sanctus, spiritus disciplinae, spiritus sapientiae et veritatis)

Domini (Dei enim est, amor substantialis Patris et Filii, et gratia Dei nobis communicabilis)

replevit (naturae suae immensitate, gratiarum effusione, cordium sanctificatione)

orbem terrarum, (Omnibus adest, sacra quaecunque consecrat, potestatem largitur sacramentalem, in cordibus justorum sedem habet.)

alleluia : (Gloriosum et ineffabilem Spiritum sanctum Dei reverenter collauda.)

et hoc (pneuma scilicet seu spiritus) *quod continet omnia*, (i. e. cuncta in esse conservat, omnia penetrat seu pervadit, omnia virtute complectitur)

scientiam habet vocis, (Verbum nullum, sive corde cogitatum, sive ore prolatum ipsum effugit. Ipse pariter

1. Introitus. Sap, 1, 7 ; Ps 67, 2.

est, qui linguas infantium facit esse disertas, et verbis pastorum vim et suavitatem infundit.)

alleluia, (laus Spiritui sancto vitae largitori)

alleluia (laus et gratiarum actio donorum coelestium datori)

alleluia (laus et gloria et reverentia profunda sanctitati supernae, quae Spiritus sanctus proprie appellatur).

Sequitur **Solemnis et antiquissima Dei interpellatio** (cf. Num. 10. 35) :

Exsurgat (festinet ut gentibus succurrat, nosque illuminet)

Deus, (adoranda trinitas personarum in una deitate)

et dissipentur (in nihilum redigantur)

inimici ejus, (qui legem moralem servare detrectant, vel qui religionem a Deo nobis dispositam recusant)

et fugiant (oppressi divinae potestatis vehementia)

qui oderunt eum (Quot sunt apostatae, vel indocti et vitiosi, qui Deum ipsum invisum habent ?)

a facie ejus (tremebundi hosti terga vertant).

53. In festo Pentecostes (2). [1]

« Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis. » J. 14, 26.

I. Humili mentis affectu perpendatur : —

a. mittentium praestantia sublimis et auctoritas : PATER enim mittit in nomine FILII :

b. missi benignitas, suavitas, potentia. Venit enim ut

1. Secundum S. Thomam. Sermo in hoc festo.

nos ad divina evehat, ut moerentes consoletur, ut cunctos doceat et superna sua gratia repleat.

II. Paraclitus quis est ?

1. *Advocatus* in distribuendis divinis donis —

a. sive naturae : « Spiritus Domini replevit orbem terrarum. » Sap. 1, 7.

b. sive gratiae : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. » R. 5, 5.

c. sive gloriae : « Da virtutis meritum, Da salutis exitum, Da perenne gaudium. »

2. *Consolator* in miseriis —

a. coelestes consolationes in tribulationibus largiendo : « In tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti. » 1 Thess. 1, 6.

b. dona charismatum in tribulationibus augmentando : « Gloriamur in tribulationibus : scientes quod tribulatio patientiam operatur : patientia autem probationem, probatio vero spem : spes autem non confundit. » R. 5, 3. 5.

c. ostendendo quanta sint gaudia quae moerentibus tribuentur : « Existimo enim, quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. » R. 8, 18.

3. *Doctor* in iis quae spectant salutem —

a. docet nos : « docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia quaecunque dixero vobis. »

b. docet bonum, ut illud cognoscamus ;

c. docet insuper : —

Deum timere : « Ecce timor Domini ipsa est sapientia. » Job. 28, 28.

a malo recedere : « et recedere a malo intelligentia. » ib.

« bona facere, mala pati, in his perseverare, haec, secundum S. Augustinum, sunt scientia sanctorum. »

54. De Spiritu sancto.

i. Mente et desiderio ad superna ascende ; procul respice lucem inaccessibilem, in qua summus Deus inhabitat.

ii. Societatem aeternam ac ineffabilem personarum divinarum reverenter et cum maxima humilitate contemplare.

Quis est Spiritus sanctus ?

1. Spiritus Dei, qui scrutatur profunda Dei.
Spiritus veritatis, cujus est docere nos omnem veritatem.
Spiritus Patris, qui a Patre procedit.
Spiritus missus a Patre et Filio.
Paraclitus noster, qui maestos consolatur.

2. Spiritus veritatis a Patre Filioque missus ad opus Filii redemptoris complendum, ut nempe veritates divinas doceret, suggereret, ut mentes nostras illuminaret et corda inflammaret, ut velut anima esset Ecclesiae sponsae Christi, denique ut nobiscum in finem saeculorum maneret.

3. Caritas est : « Cum Pater sit spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus, proprie tamen ipse vocatur Spiritus sanctus, tamquam sanctitas substantialis et consubstantialis amborum. » S. Aug. De Civ. Dei, XI, 24. M. 7, 33.

4. Auctor est regenerationis spiritualis. Etenim renascimur ex aqua et Spiritu sanctò : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » R. 5, 5.

5. Spiritus sanctus una cum Patre et Filio habitat in nobis.

« Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ? » 1 C. 3, 16.

« Vos autem in carne non estis, sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. » R. 8, 9.

« Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo. » 1 C. 6, 19.

6. Ab ipso sunt praeclara charismata :

a. extraordinaria, ut inspiratio et prophetia : « Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. » 2 P. 1, 21 ; donum pariter linguarum : « Et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. » Act. 2, 4.

b. ordinaria, ut gratia loquendi cum fiducio : « Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. » M. 10, 19 ; et gratiae universim secundum illud apostoli : « Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. » 1 C. 12, 3 ; et « Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. » ib. 11.

55. De operationibus Spiritus sancti.

i. Contemplare Spiritum Dei moventem super aquas in opere creationis, prophetas inspirantem, justos sanctificantem, mysterium incarnationis efficientem, Christum ad munus grande suum consecrantem, eumque visibili signo monstrantem, apostolos donis locupletantem, fideles divino sigillo signantem.

ii. Multiformem Spiritus sancti gratiam Deum humilis obsecra.

Triplex nunc meditemur munus Spiritus gratiae : 1. inhabitationem ; 2. inspirationem ; 3. consolationem.

I. Spiritus sanctus *habitat* in hominibus justis.

1. « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » R. 5, 5.
2. « Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis. » R. 8, 11.
3. « Membra vestra templum sunt Spiritus sancti. » 1 C. 6, 19.

De his gratias age ; et pie alloquere Spiritum Dei.

2. « Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. » R. 8, 14.

Fideles, qui se submittunt actioni Spiritus sancti, dicuntur *agi*, vel impelli tanquam a *ductore* et *gubernatore*. Cor viri justi movetur a Spiritu sancto sicut ab instinctu superiore.

« Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. » Ps. 142, 10.

Veniet « quasi fluvius violentus, quem Spiritus sanctus cogit. » Is. 59, 19.

« Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate. » Phil. 2, 13.

3. « Regnum Dei.. *gaudium* et *pax* in Spiritu sancto. » R. 14, 17. Haec autem oriuntur ex charitate erga Deum et proximum. « Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax. » Gal. 5, 22.

Gaudium ex praesentia rei amatae enascitur.

Pax in eo est, qui rem amatam veraciter et secure possidet : « Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. » Cant. 8, 10.

56. De operationibus Spiritus sancti (2).

Benedictionem apostolicam a S. Paulo reverenter accipiamus : « Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo : ut abundetis in spe, et virtute Spiritus sancti. » R. 15, 13.

1. Docet Ecclesiam universam : « Docebit vos omnem veritatem. » J. 14, 16. Veritatis insuper explicationem dirigit atque custodit.

2. Totam gratiae oeconomiam distribuit ; quapropter omni petitionis formula utimur erga Spiritum gratiae et precum (Zach. 12, 10). Sicut enim Spiritus est gratiae, ita excitat in nobis ardorem orandi : « quia quos Spiritus sanctus repleverit, eos statim ad adorandum accendit, »

   Hinc Spiritui dicimus : *lava, riga, sana, flecte, fove, rege. Da sacrum septenarium.. da virtutis meritum, da perenne gaudium.*

3. Mentes illuminat, voluntatem impellit, nos urget, amorem infundit ; unde sic precamur : Veni, emitte, reple, renova, infunde amorem.

4. Signat nos sigillo sacro et indelibili, ungit nos unguento coelesti in baptismatis lavacro, in confirmatione, in ordinatione sacra ; recte ergo dicitur «*spiritalis unctio.*

5. In nobis dignatus est habitare tamquam in domo propria, ubi eum a nobis hospitem recipi necesse est. Vere quidem de eo cantatur : *Dulcis hospes animae.* « Misit enim Deus Spiritum Filii sui in corda vestra. » Gal. 4, 6.

6. Suavitate superna replet corda nostra. « Regnum Dei..

pax et gaudium in Spiritu sancto. » R. 14, 17. « Discipuli replebantur gaudio in Spiritu sancto. » Act. 13, 52. « Excipientes verbum cum gaudio Spiritus sancti. » 1 Thess. 1, 6. « Communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. » 2 C. 13, 13.

7. Consolatur nos : « Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum. » J. 14, 16. « Paraclitus autem Spiritus sanctus. » ib. 26.
Ab Ecclesia nuncupatur : *Consolator optime*... in fletu solatium.. dulce refrigerium.

57. Spiritus sanctus in opere Incarnationis.

« Et manifeste magnum est pietatis sacramentum (mysterium incarnationis), quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu. » 1. Tim. 3, 16.

1. Conceptio Salvatoris Dei Verbi provenit ex ineffabili Dei erga nos charitate : « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : » J. 3, 16. Ex illo stupendo amoris actu, tamquam ex fonte, omnis quae in nobis est gratia et sanctitas derivatur. Id vero omne, docente scriptura, factum est a Spiritu sancto : « Spiritus sanctus superveniet in te » L. 1, 35; « Inventa est in utero habens de Spiritu sancto. » M. 1, 18 ; « Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. » ib. 20.

2. Christi pariter sanctificatio plane sublimis a Spiritu sancto est effecta : « Unxit eum Deus Spiritu sancto. » Act. 10, 38. Symbolum Spiritus praesentis vitam suam publicam inauguravit ; Spiritus deinde expulit eum in desertum, ut tentaretur a diabolo ; in synagoga ipse Christus opus Spiritus sancti declaravit : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare

pauperibus misit me, sanare contritos corde. » L. 4, 18; virtute tandem Spiritus sancti dicitur daemonia expulisse ; ac tandem « per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. » Heb. 9, 14.

3. In Christo praeterea fuit omnium gratiarum copia singulariter plena, quae tanta erat, ut nullus major ad quam quis proficiat, excogitari possit. In eo enim erant « omnes thesauri *sapientiae* et *scientiae* absconditi (i. e. reconditi). » Col. 2, 3 ; *gratiae gratis datae* (potestas miraculorum et prophetia), *virtutes* (fides, spes, charitas), *dona septenaria*, *fructus* Spiritus sancti.

Per praestantis demum caritatis donum fuit prae omnibus suis confratribus templum praesentia et benedictione Spiritus sancti *unctum et consecratum*.

58. In festo SS. Trinitatis. [1]

« Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus (Jahve) unus est. » Deut. 6, 4.

Deus Pater misit nobis Filium unigenitum, qui nobis misit Spiritum veritatis.

In una atque indivisibili natura infinita tres subsistunt personae aequales, Pater, Filius, Spiritus sanctus : O beata Trinitas !

Benedicta sit (Siquidem inferioris est superiorem revereri, eique locum cedere et praestantiam agnoscere, quid nobis magis naturale, quid magis congruum quam incomprehensibilem numinis celsitudinem ac majestatem agnoscere, venerari, colere, praeconiis celebrare ?) *sancta Trinitas* (Personarum trinitas in una natura attri-

1. Introitus Secundum verba Tobiae 12, 6 ; Ps. 8. 2.

butum est Deo exclusive proprium, aeternum ac necessarium. Gaude quod Deus benigne voluerit nobis tantum mysterium revelare.)

tum atque indivisa unitas : (simplicissimus nempe naturae actus nequaquam dividitur vel inter multos participatur ; una eademque naturae realitas et praestantia pariter est omnium ;)

confitebimur ei, (hanc rerum omnium veritatem primordialem religiose nominemus, sincere colamus, mente agnoscamus, corde diligamus, ore profiteamur, gaudio celebremus ;)

quia fecit nobiscum misericordiam suam (quidquid misericordiae ostendit nobis Deus, id toti adscribendum est Trinitati, quia opera Dei ad extra communia sunt tribus personis divinis ; nihilominus singulis personis opera particularia secundum uniuscujusque proprietates personales rite et ab omnibus attribuuntur).

Domine, (Jahve reverentər invocatur et salutatur)

Dominus (Deus altissimus seu numen supremum)

noster, (sicut Dominus et omnium, ita et maxime fidelium, qui in unitate Ecclesiae sunt congregati)

quam admirabile (Quamquam nomen Dei captum nostrum vehementer excedit et affectum stuporis provocat, ducit tamen in conceptum aliqualem majestatis Dei internae.)

est nomen tuum (Et si natura Dei in praesenti oculos nostros fugit, nomen tamen grande et maxime proprium cogitata nostra apte claudit).

in universa terra (Opificii divini fulgent indicia in toto orbe : ac insuper non paucas licet detegere imagines seu symbola invisibilis Trinitatis sive in animae facultatibus, sive in productione verbi mentalis, sive in processione lucis de luce, sive in distinctione colorum unius lucis in iridis splendore, sive in trifolio, sive in coloribus primariis rubro, flavo, ac caeruleo, quorum unio album parturit, sive in sonorum concentu harmonico, ubi tonica, tertia, quinta,

quae, licet tres sint, unicum sonum musicum constituunt, sive in triplici corporum dimensione, longitudine, latitudine, et profunditate).

59. In festo sanctissimae Trinitatis (2).

i. Ad Deum excelsum nostrum in cœlo beatos illustrantem cum fide plena et reverentia summa ascendamus.

ii. « Nostris, beata Trinitas, infunde amorem cordibus. »

I. *Deus* noster ratione et revelatione suis manifestatur aeternus duratione, infinitus perfectione, splendore inacessibilis, natura incomprehensibilis.

« Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram : numerus annorum ejus inaestimabilis.. »

« Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo. » Job 36, 26 ; 37, 1.

« Scrutari temeritas, credere pietas, nosse aeterna felicitas. »

« Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. »

II. Deus fide scripturarum nobis revelatur trinus in personis : —

Pater ingenitus, cujus attributum potentia, ad nos dilectas ejus creaturas Filium misit.

Filius unigenitus dilectionis paternae, cujus attributum sapientia, pro nobis caro factus.

Spiritus sanctus, cujus attributum amor, a Patre Filioque procedens, Paraclitus noster et sanctificator.

« Ex ipso (Patre), et per ipsum (Filium), et in ipso (Spiritu sancto perficiente) sunt omnia.

« Spes nostra, salus nostra, honor noster : O beata Trinitas !

III. *Deus cordis nostri.*

1. Beatissimam Trinitatem profundissima adoratione *colamus* et benedicamus : « Benedictus sit Deus Pater, unigenitusque Dei Filius, sanctus quoque Spiritus : quia fecit nobiscum misericordiam suam. » Offert. festi.
2. Ex imo corde *diligamus* eum, quia de se testatur : « In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans. » Jer. 31, 3.

   Magnus ille praeco veritatis Paulus pariter clamat : « Elegit nos in ipso (Christo) ante constitutionem mundi. » Eph. 1, 14. Et dilectus Joannes testimonium retulit ipsius Filii Dei de divina charitate : « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. » J. 3, 16.
3. Sacratissimae Trinitatis gloriam et majestatem recordemur (1) dum signum crucis facimus ante et post opera et preces ; (2) praesertim in sacrae liturgiae officiis, ubi adeo frequens est cultus Trinitatis personarum.
4. Erga beatissimam Trinitatem, propter magnum nomen ejus, affectum grati animi semper nutriamus.

60. De sacrosancto Trinitatis mysterio. [1]

1. Repraesenta tibi eventum narratum M. 3, 16. 17. « Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua et ecce aperti sunt ei cœli : et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de

1. Secundum Epist. Encyc. « Divinum illud. » Leonis XIII, 1897.

coelis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. »

ii. Fidem suppliciter pete et reverentiae affectum.

---

1. « Fides autem Catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur. »
   Singula summa pietate perpendas.

2. Paucis expende munus et ordinem trium divinarum personarum in mysterio Incarnationis, et in toto religionis christianae opificio. Veritas illa sublimis et adoranda clare cernitur esse : —
   a. Substantia novi testamenti.
   b. Fons et caput mysteriorum, videlicet :
      α. amoris scilicet paterni,
      β. effusissimae dilectionis Filii,
      γ. largifluae sanctificationis et vivificationis Spiritus sancti.
   c. Finis totius universi. Angeli illud mirantes intuentur et adorant. Ad eamdem SS. Triadem cognoscendam, eaque fruendum et nos conditi sumus.
   d. Mysterium omnium maxime divinum, adeoque nobis quam maxime inscrutabile : « Deum nemo vidit unquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. » J. 1, 18.

3. Cultus omnis in Trinitatem ipsam redundat et desinit, In precationibus ad unam personam directis, de ceteris item fit mentio. « Quoniam ex ipso (Patre), et per ipsum (Filium), et in ipso (Spiritu) sunt omnia : ipsi (Triadi Sanctissimae) gloria in saecula. » R. 11, 36.

4. Nihilominus aptissime Patri attribuuntur opera *potentiae* : Filio opera *sapientiae* : Spiritui sancto opera *amoris*.
   Pater est principium totius Deitatis, causa effectrix universi, incarnationis, sanctificationis :

Filius est Verbum, imago Dei, causa exemplaris unde omnium forma et pulchritudo, ac demum nobis est via, veritas, et vita.

Spiritus sanctus bonitas est, amor substantialis, consolator, et sanctificator, atque « arcana ea opera de salute hominum sempiterna, impulsione quadam valida suavique complet et perficit. »

61. De amore Dei. [1]

« Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. » 1 J. 4, 19. 20.

---

1. Quod attinet ad Deum diligendum monemur :—
   a. ut totum cor nostrum amore ejus repleamus : « Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. » Mc. 12, 30.
   b. ut nihil nisi propter illum diligamus : « Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. » S. Augustinus.
   c. ut nullis adversis ab ejus caritate avertamur : « Quis ergo nos separabit a caritate Christi ? » R. 8, 35.

2. Causa seu motivum Dei diligendi est : —
   a. bonitas Dei quae ipsi naturae et essentiae divinae inhaeret, atque per se summam omnium et angelorum et hominum dilectionem meretur ;
   b. caritas ejus : « Quoniam ipse prior dilexit nos. » «Miserego, quantum diligere debeo Dominum meum,

1. S. Thomas Sermo in Dom. 1 post Pent.

qui me fecit quod non eram, redemit cum perieram, qui in peccatis meis venditus eram, venit ille pro me. » S. Augustinus.

c. utilitas nostra : ineffabilia enim bona praeparantur iis, qui diligunt eum : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum. » 1 C. 2, 9.

3. Proximum vero nostrum oportet diligere : —

a. propter praeceptum : « Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » J. 15, 12.

b. propter naturae documentum : « Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sui sociabitur, » Eccli. 13, 20.

c. propter nocumentum quod sequitur illis, qui non diligunt : « Qui non diligit, manet in morte. » 1 J. 3, 14.

62. In Solemnitate Corporis Christi. [1]

Dixit Moyses : « Mane saturabimini panibus. » Et mane ros jacuit per circuitum castrorum, et operuit superficiem terrae in similitudine pruinae. Et mirantibus Israëlitis respondit Moyses : « Iste est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum. » Exod. 16, 12-15.

Memorare etiam quod Moyses instinctu divino « percussit petram et fluxerunt aquae. » Ps. 77, 20.

Revoca insuper quod Dominus introduxerit populum suum in terram feracissimam, lacte et melle manantem. Deut. 26, 9.

Intuere hoc regnum gratiae, ubi alius cibus non est, nisi Corpus et Sanguis Christi Salvatoris.

1. Introitus Ps. 80, 17. 1.

Cibavit (Dominus amabilis sicut corpus cibo vario et delectabili refecit, ita spiritum angelorum esca nutrit et delectat ; (Sap. 16. 20)

eos (homines scilicet, creaturam suam mirifice dilectam,

ex adipe frumenti, (i. e. cibo optimo, sive manna deserti, sive vero illo pane vivo, qui de coelo descendit)

alleluia : (De dono suo plane mirabili vehementer laudetur Dominus.

Quid enim retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi ?)

et de petra,melle (Nomine *mellis de petra* significatur sive mel sylvestre, sive succus ex arboribus quibusdam in terram defluens, sive simpliciter cibus suavis, sive aquae dulces, quae de rupe miraculose scaturiebant ; horum unumquodque est autem figura sacratissimae Eucharistiae.)

saturavit eos, (Escam illam praenobilem non semel tantum dedit, nec solum identidem, sed impetu amoris plane divino cupivit nos iterum atque iterum peramanter satiare. Novit quidem illud : « Qui edunt me, adhuc esurient : et qui bibunt me adhuc sitient ; » adeoque « cibaria misit eis in abundantia.» Ps. 77, 25.)

alleluia, (lauda Christum ob potestatis immensitatem)

alleluia, (lauda Christum ab amoris sui excessum)

alleluia(ama et redama Christum, eique offeras ingratitudinis reparationem).

Exultate (vocis clamore)

Deo (Per totum hoc festum Deum contemplemur, Christum Jesum veneremur.)

adjutori nostro : (qui cumulat nos beneficiis et favore :)

ubilate sonitu instrumentorum) *Deo Jacob* (qui coadunavit nos in tribum suam dilectam).

63. De promissione Sacratissimi Sacramenti.

I. Perpendatur promittentis divina potestas et celsitudo.
1. Miraculum insigne recens patraverat. J. 6, 26.
2. Filius, seu Jesus qui loquebatur erat « signatus a Patre. » ib. 27.
3. Jesus qui est a Deo « vidit Patrem » ib. 46.
4. Descendit de cœlo et dat vitam mundo. ib. 33.
5. Filius qui nunc mirabilia facit resuscitabit homines in novissimo die. ib. 39-40.
6. Filius ipse incarnatus est « panis Dei, quem Pater dat de coelo. » Pater meus dat vobis panem de coelo verum. Panis enim Dei est qui de coelo descendit, et dat vitam mundo. » ib. 32-3.
7. Jesus promittit se daturum esse panem permanentem in vitam aeternam. ib. 27.

II. Promissio corporis sui manducandi, et sanguinis bibendi summa pietate consideretur.
1. *Aperta declaratio* :
« Ego sum panis vitae. » v. 48.
« Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur (sicut patres vestri mortui sunt). » ib. 49-50.
2. *Iterata declaratio :*
« Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi » 51.
« Si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur, ... vivet in aeternum. » 50. 52.
3. *Qualis est panis iste ?*
« Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » 52.
4. *Quomodo sumendus est iste panis* ?
Manducando carnem, et bibendo sanguinem.

« Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » 54.

« Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die. » 55.

« Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. » 57.

5. *Clarior adhuc expositio* :

« Caro enim mea, vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Panis est « caro mea, »... « caro filii hominis »... Christus ipse. 56.

64. Promissionis dominicae adimpletio.

i. Coenaculum grande stratum menti repraesentabo ; vultum Domini suavem reverenter intuebor; apostolos observabo silentes, attentos, mirantes.

ii. Dominum obsecrabo, ut fidem mihi, amorem, et gratum animum praestet.

---

1. Adimpletae promissionis *hora* memorabilis. « Pridie quam pateretur, immo nocte ipsa, qua tradebatur... cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et ait illis : « Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.» L. 22, 15.

2. Novi convivii *institutio* solemnis.

« Accepit panem, gratias egit, ac benedixit deditque discipulis suis dicens : Accipite, et comedite, HOC EST CORPUS MEUM,QUOD PRO VOBIS DATUR.» L. 22, 19.

« Hoc facite in meam commemorationem. » ib.

« Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis dicens : « HIC EST SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI, QUI PRO VOBIS, ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM »... et biberunt ex illo omnes. » Mc. 14, 23, coll. M. 26, 28, et L. 22, 20.

« Hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. » 1 C. 11, 25.

3. *Memoria* mortis Domini perpetua.

« Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. » ib. 26.

4. *Fructus* hujus comestionis salutiferus.

« Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die. » J. 6, 55.

« Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. » ib. 57.

« Et qui manducat me, et ipse vivet propter me. » ib. 58.

5. *Damna* comestionis indignae.

« Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini...

Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit: non dijudicans CORPUS DOMINI. » 1 C. 11, 27. 29.

6. Mirabilis doni rationem triplicem perpendam atque venerabor, nimirum Sacramentum Eucharistiae, Sacrificium Missae, et Ordinis potestatem. Nec minus venerabor potestatem summam, qua donum suum praeclarum elargiri potuit ; apostolorum denique fidem ac fiduciam tranquillam.

65. De institutione Sacratissimi Sacramenti. [1]

Obstupesce illam carissimam dignationem, et dignatissimam charitatem, qua nobis tradidit semetipsum, et reliquit in cibum.

Cum ergo lotis discipulorum pedibus iterum recubuisset, volens finem dare legalibus institutis et sacrificiis, et novum incipere testamentum, seipsum sacrificium novum fecit, et accipiens panem, oculos ad Patrem elevans, confecit altissimum Sacramentum corporis sui, et dans discipulis suis dixit :

HOC EST CORPUS MEUM, quod pro vobis tradetur. Similiter et calicem dicens : HIC EST SANGUIS MEUS, qui pro vobis effundetur.

Aspice nunc bene coram Deo, quo modo Jesus diligenter, fideliter, et devote praedicta faciat, et manibus propriis illam dilectam et benedictam familiam suam communicet.

Et tandem in amoris recordationem subjungit dicens : HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM.

Hoc est illud memoriale, quo anima grata, cum ipsum suscipit, manducando, vel fideliter meditando, deberet tota ignescere, et inebriari, et in ipsum Dominum prae amoris et devotionis vehementia totaliter transformari. Nihil enim majus, charius, dulcius et utilius nobis relinquere poterat quam seipsum.

Ipse namque quem in hoc sacramento sumimus, ille idem est qui de virgine mirabiliter incarnatus et natus, pro te mortem sustinuit, et qui resurgens, et gloriose ascendens, sedet a dextris Dei.

---

1. Ex Meditationibus sancti Bonaventurae c. 73. Vol. VI, 400.

Et ipse est qui creavit cœlum, et terram, et omnia, et qui ea gubernat moderaturque.

Ipse est a quo dependet salus tua : in cujus voluntate et potestate est tibi dare, vel non dare gloriam paradisi. Ipse est qui est in tali ac tam modica hostia oblatus et tibi exhibitus.

Ipse est Dominus Jesus Christus Filius Dei vivi.

66. De Sacratissimo Sacramento. [1]

« Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo

1. divitias divini sui erga homines *amoris* velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum :

2. et in illius sumptione colere nos *sui memoriam* praecepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat.

3. Sumi autem voluit sacramentum hoc, tanquam spirituale *animarum cibum*, quo (*a*) alantur, et (*b*) confortentur viventes vita illius, qui dixit : Qui manducat me, et ipse vivet propter me : et (*c*) tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur.

4. *Pignus* praeterea id esse voluit *futurae nostrae gloriae.* et perpetuae felicitatis, adeoque

5. *symbolum* unius illius corporis, cujus ipse caput exsistit, cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei, et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata. »

---

1. Conc. Trid. Sess. xiii, c. 2.

67. De sublimitate Sacratissimae Eucharistiae.

. « Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : HOC EST CORPUS MEUM, QUOD PRO VOBIS DATUR : hoc facite in meam commemorationem.

Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens : HIC EST CALIX NOVUM TESTAMENTUM IN SANGUINE MEO, QUI PRO VOBIS FUNDETUR. » L. 22, 19. 20.

ii. Cum S. Thoma profitere : « Tibi se cor meum totum subjicit. »

I. Sacra Eucharistia sacramentum est sacramentorum.

« Ex omnibus sacris mysteriis, quae nobis tamquam divinae gratiae certissima instrumenta Dominus salvator noster commendavit, nullum est, quod cum sanctissimo eucharistiae sacramento comparari queat. » Cat. Conc. Trid. c. iv, n. 1.

Qualis mea fides erga sacramentum altaris. Quantus vel quantulus reverentiae sensus ? profundi cultus indicia quaenam ? Qualis denique amor ?

II. Cultus latriae tum internus, tum externus, qui vero Deo debetur, huic sacramento exhibetur a fidelibus. Sess. xiii. c. 5.

... « neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum : nam illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei ; quem Magi procidentes adoraverunt ; quem denique in Galilaea ab apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur.

III. In hoc sacramento fideles « intelligunt, quanta sit legis evangelicae perfectio, cui datum est, id re ipsa

habere, quod signis tantum et figuris mosaicae legis tempore adumbratum fuerat.

Hoc porro « nobis cum coelitibus commune est, ut utrique Christum Deum et hominem praesentem habeamus ; sed, quo uno gradu ab iis distamus, illi praesentes beata visione perfruuntur, nos praesentem et tamen ab oculorum sensu remotum, sacrorum mysteriorum admirabili integumento se occultantem, firma et constanti fide veneramur. »

Cat. Conc. Trid. c. iv, n. 32.

68. De nominibus Sanctissimi Sacramenti.

i. « Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus : Escam dedit timentibus se. » Ps. 110, 4. 5.

ii. Precare ut vere cognoscas donum Dei.

« Hujus ergo admirabilis sacramenti dignitatem atque excellentiam, quum sacri scriptores fieri nullo modo posse intelligerent, ut uno vocabulo demonstrarent, pluribus eam nominibus exprimere conati sunt.

1. Interdum enim *eucharistiam* appellant, quod verbum vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem latine reddere possumus.

Ac recte quidem *bona gratia* dicendum est, tum quia vitam aeternam,.. praesignificat ; tum quia Christum dominum, qui vera gratia atque omnium charismatum fons est, in se continet.

Nec vero minus apte *gratiarum actionem* interpretamur : siquidem quum hanc purissimam hostiam

immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus. »

Pariter nomen istud cum iis congruit, quae egit Christus in instituendo hoc sacramento. « Etenim panem accipiens fregit, ac gratias egit. David quoque quum hujus mysterii magnitudinem contemplaretur... gratiarum actionem praeponendam (carmini nempe suo) existimavit, quum inquit : *Confessio et magnificentia opus ejus.* » Cat. C. Trid. c. IV. n. 3.

2. *Communio* etiam dicitur ex auctoritate apostolica : Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ? et panis, quem frangi mus nonne participatio corporis Domini est ?... Nam ut Damascenus explanavit, hoc sacramentum Christo nos copulat.. ib. 4.

3. Ex quo factum est, ut sacramentum etiam *pacis et charitatis* diceretur, ut intelligeremus, quam indign sint christiano nomine, qui inimicitias exercent ;.... quum praesertim quotidiano religionis nostrae sacrificio, nihil nos studiosius servare, quam pacem et charitatem profiteamur. ib.

4. Sed *viaticum* etiam frequenter a sacris scriptoribus appellatur ; tum quia spiritualis cibus est, quo in hujus vitae peregrinatione sustentamur, tum quia viam nobis ad aeternam gloriam et felicitatem munit...

Ac vetustissimi quidem patres.. *coenae* etiam nomine sacram eucharistiam interdum vocarunt, quod in illo novissimae coenae salutari mysterio a Christo domino sit instituta. » ib. 5.

69. Eucharistici doni summa convenientia. [1]

i. « Venite comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. » Prov. 9, 5.

ii. Ardens elice desiderium Christum sumendi in SS. Sacramento.

Eucharisticum donum summe conveniens est.

1. Sacramenta sunt propter necessitates vitae spiritualis ; sicut enim baptisma respondet generationi, et confirmatio augmento, quo quis ad robur et maturitatem perducitur, ita SS. Eucharistia est alimentum, quo cibatur anima substantia corporis et sanguinis Christi.

2. Nimia sane caritate et liberalitate suos jam dilexerat ; attamen, ut tanti amoris semper extaret memoriale praesens, utque pignus insuper amoris substantiale relinqueret, praesentia sua nos jugiter reficeret et consolaretur, ac tandem omnium mirabilium suorum unam memoriam superexcellentem institueret, corpus ipsum et sanguinem suum nobis in cibum et potum legavit.

3. Velatus tamen Christus dari debuit : —
   1. ne fastidiosum esset fidelibus sumentibus, si in propria specie carnem ederent hominis, et sanguinem biberent ;
   2. ut cresceret meritum fidei, quod in eo est ut credantur, quae non videntur ;
   3. ne carnis visibilis manducatio deridenda videretur infidelibus.

4. Sub duplici specie datur Christus : —
   1. ut sit refectio completa, cibus nempe potusque ; secundum quod et Magister notavit ipse : « Caro

1. Secundum doctrinam S. Thomae.

mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. » J. 6, 56.

2. ut sit memoriale passionis, in qua sanguis Christi fuit separatus a corpore : « Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. » 1 C. 11, 26.
3. ut virtus sacramenti plenius significetur ; sicut enim panis cor hominis confirmat, et vinum laetificat, ita corpus et sanguis Christi nobis alimento et gaudio sunt.

70. Eucharistia ut memoriale Salvatoris. [1]

i. « Memoriam fecit mirabilium suorum : » quasi diceret : Dominus dedit nobis escam, scilicet seipsum ad memoriam suorum mirabilium : — praeteritorum, quod nos redemit ; praesentium, quod omnia nostra respicit ; futurorum, quod districte tandem judicabit.

ii. Ore pio textum repetam : « O sacrum convivium, etc. »

iii. Christum obtestabor, ut mente et affectu ad se me trahat.

1. *De praeterito.*

Propter nimiam suam caritatem a morte mala morte sua liberavit nos. Nos alloquitur verbis Jeremiae : « Recordare paupertatis meae, et transgressionis (i. e. maximae humiliationis) absynthii et fillis (passionis) » Thren. 3, 19.

Passio Christi bonis semper est in mente ferenda. « Ignem (dicit) veni mittere in terram. » L. 12, 49 ;

1. Secundum S. Thomam, Op. de Ven. Sacr. Altaris, c 2

i. e. causam amoris misi in mundum beneficio passionis, quae si pie recordata fuerit, amore magno cor accendet.

« Super omnia te mihi reddit amabilem, O bone Jesu calix quem bibisti, opus redemptionis meae ; quanto pro me Dominus factus est vilior, tanto mihi factus est carior. » S. Bern.

2. *De praesenti.*

SS. Eucharistia est enim signum Domini :

a. ut *omnium inspectoris*, qui per occultam praesentiam omnia nostra semper cernit : « Scitote quoniam Dominus ipse est Deus. » Ps. 99. 3 ; omnia scilicet implens, omnia videns, ubique praesens. « Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis. » Boëthius, De Consol. Philos. in fine.

b. ut *gratiae datoris* :

« Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. » Is. 12, 3.

« Qui manducat me, et ipse vivet propter me. » J. 6, 58.

« Qui manducat carnem meam.. manet in me, et ego in eo. » ib. 57.

3. *De futuro* :

Salvatorem enim opus est cogitare, ut futurum nostrum *justum judicem*, qui per omnipotentiam suam quidquid pravum districte judicabit. « Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad portandum. » Is. 30, 27.

« Sive comedo, sive bibo, sive aliquid aliud facio, semper intonat in auribus meis quasi tuba vehemens vox illa terribilis : Surgite mortui, et venite ad judicium. » S. Hier.

Expectetur tandem a nobis, ut *largifluus remune-*

rator, qui eo fine nobis reliquit corpus et sanguinem suum, ut cum ipso vitam aeternam possideremus ; ipse enim in SS. Sacramento tanquam effectum maxime proprium diffundit in cordibus gratiam sanctificantem, quae semen est immortalitatis beatae.

71. Quare corpus Christi detur velatum. [1]

« Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. » Prov. 9, 5.

Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ? » J. 6. 53.

« Sacramentum regis abscondere bonum est » Tob. 12, 7.

Sciendum igitur quod Corpus Christi datur velatum non nudum, secundum illud Apoc. 2, 17. « Dabo manna absconditum » quasi cibum coelestem velatum. Sed quia hic humanus sensus haesitat, et miratur cum aliud videtur, hujus velaminis quadruplex est ratio :

1. *Indignitas malorum*, quae exigit ut veletur. Et in hoc benignissime agit cum eis misericordia Salvatoris. Si enim carnis speciem conspicerent, scandalizarentur, et fideles calumniarentur.

Et quidem ipsa hujus doni promissione plures scandalum passi sunt, et « abierunt retro. » Solus Petrus animose respondit Domino : « Verba vitae aeternae habes. » J. 6, 69.

Porro sicut olim arca testamenti velis cooperta fuit, ita convenit honori Christi, ut verum suum corpus ab indignorum et curiosorum aspectu occultetur.

---

1. Secundum S. Thomam, Op. de Ven. Sacr. Altaris, c. 2

2. *Fides* insuper *bonorum* idem postulat :

a. Fides enim vera et plena exigit, ut corpus Domini veletur : Fides enim est non apparentium. Fides est credere, quod non vides.

b Genus nostrum lapsum est, quia non credidit verbis Dei, sed verbis diaboli ; ita congruus modus reparationis in eo est, quod homo recipiat donum vitae ex auditu Verbi Salvatoris proponentis cibum habentem vitam absconditam.

c. Fidei meritum exigit, ut veletur corpus Christi, quia « fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum » (S. Greg. Hom. in Ev. XXVI, n. 1. Vol. I, 1552.); et verbis Domini credere potius quam sensibus nostris magnum habet meritum.

« Mirabilia opera Altissimi solius, et gloriosa, et absconsa, et invisa opera illius. » Eccli. 11, 4.

3. *Infirmitas conditionis praesentis* : non enim potuissemus ferre splendorem corporis gloriosi, nec illud dulciter oculo ad oculum intueri. 1. c. c. 8.

4. *Instructio morum.* In hoc enim sacramento occultantur :

a. persona Salvatoris : « Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator. » Is. 45, 15.

b. pulchritudo magnae claritatis ;

c. mirum opus omnipotentis.

Ex his discere possumus bona opera nostra, ingenii dotes, ceteraque abscondere, quaecunque ad personae nostrae gloriam videntur conferre.

72. De tribus mirabilibus in consecratione. [1]

Christi corpus et sanguinem in Eucharistia fidei visione contemplare.

« Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. » Prov. 9, 5.

« Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis. » Ps. 138, 14.

I. Primum mirabile est, quod ibi sub specie panis est verum corpus Christi.

1. Audiatur S. Ambrosius : « Panis iste panis est ante verba sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.. Quomodo potest qui panis est corpus esse Christi ? Consecratione. Consecratio quibus verbis est, et cujus sermonibus ? Domini Jesu.. non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. » De Sacr. Lib. iv. c. 4. n. 14. Vol. III, 463.
2. Audiatur et Salvator ipse : « Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » J. 6, 52. « Accipite, et comedite : hoc est corpus meum. » M. 26, 26. « Ipse Dominus Jesus testificatur nobis quod corpus suum accipiamus et sanguinem. Numquid debemus de ejus fide et testificatione dubitari ? » S. Ambr. l. c. 5. n. 23. Vol. III, 467.
3. Ob oculos ponantur mirabilia, quae ad veritatem sacramenti manifestandam saepius locum habuerunt : v. g. nunc apparuit infans, nunc sanguis defluxit ab hostia, nunc hostia manu invisibili portatur ad os

---

1. Ex Op. de Ven Sacr. Altaris c. 11.

animae desiderantis, nunc hostiae sigillum impressum, ut factum est in pectore S. Julianae.

II. Secundum mirabile in consecratione sacramenti altaris est, quod substantia panis mutetur in corpus Christi, quod sumpsit de Virgine ; et quod hoc fiat potestate Verbi. Id vero multiplici comparatione licet illustrare :

1. a simili : sicut enim Christus aquam in vinum transmutavit, ita in sacrificio Missae panem in substantiam suam transmutat.
2. a minori : eo quod res quae minus possunt quam Verbum Dei, unam substantiam mutant in aliam — *vel arte*, sicut hominum industria fiunt novae combinationes chimicae ;
   vel natura, sicut contingit in transformatione substantiarum, quae adhibentur in nutritione animalium ;
   vel gratia, sicut contingit in iis, quae mira operantur gratiis ad hoc datis : « Virgam tenuit Moyses, et projecit in terram, et facta est serpens... Quod si tantum valuit benedictio humana ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi ipsa verba Salvatoris operantur ? » S. Ambros. De Myst. c. 9. n. 51. Vol. III, 423.
3. a majori : quia Verbum Dei facere potest, et reipsa facit multo majora, quam quod panem in Corpus Christi mutet. In principio enim erat Verbum Dei omnipotens; omnia per ipsum facta sunt ; ipsum res e nihilo evocavit « Sermo ergo qui potest facere ex nihilo quod non erat, non potest ea quae sunt mutare in id quod non erat ? » 1. c. n. 52.

III. Maximum omnium mirabile in eo cernitur quod facta consecratione permaneant accidentia panis et vini. Stupenda plane conversio. Miranda semper signorum conservatio. Vivida fide veritatem agnosce. Christum praesentem adora. Gratias age.

73. De qualitate praeparationis nostrae.

« Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. » Prov. 9, 5.

« Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat. » 1 C. 11, 28.

« Praeparate corda vestra Domino. » 1 Reg. 7, 5.

Valde justum est, ut ad tam dignum et venerandum cibum, scilicet ad ipsum Dominum omnium, non inaccurate et indevote, sed aliquo competenti modo praeparati accedamus.

Nostrae autem praeparationis necessitas oritur praesertim ex dignitate ipsius corporis sacri, quod nobis in cibum datur. Nam quia mundissimum ac plane divinum, necesse est illud suscipienti per tria praeparari, scilicet :

1. Prima praeparationis nostrae qualitas est *fidei plenitudo*, secundum illud quod dicitur ad Hebr. 10, 22 : « Accedamus cum vero corde (i. e. cum vero intellectu sine errore) in plenitudine fidei (i. e. in plena fide credentes quae non videmus, scilicet sub specie panis esse totum Christum, verum hominem et verum Deum). « Credentes in Christum quem non videtis, exultabitis laetitia inenarrabili. » 1 P. 1, 8.

2. Altera praeparationis nostra qualitas est *magna munditiae cura*, quia congruum est, ut vas suscepturum corpus mundissimum sit mundum. Hinc legimus in Ep. ad Hebraeos 9, 3 : « Post velamentum autem secundum,tabernaculum... aureum habens thuribulum,

---

1. Ex Op. de Ven. Sacr. Altaris, c. 15

et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna : » decet enim cor quasi aurum esse purissimum per magnam munditiam, quod capere debet coelestem panem.

Joseph ab Arimathaea, accepto corpore Jesu, involvit illud in sindone munda. Ubi Glossa addit : « Sindone munda involvit Jesum, qui pura mente eum suscipit. »

3. Tertia vero praeparatio est *orationis devotio.*

« Petierunt, et venit coturnix : et pane cœli saturavit eos. » Ps. 104, 40.

« Antequam comedam, suspiro. » Job 3, 24.

Hinc Maria Magdalena et aliae devotae mulieres portabant aromata, dum quaerebant corpus Domini. Sic nobis accessuris ad Corpus Domini praelibanda est orationis devotio, et quod forte minus parati sumus per jejunium et confessiones, suppleat spiritualium aromatum, id est orationum oblatio.

74. Donum maximum cibi coelestis. [1]

« Caro mea vere est cibus. » J. 6, 51.
« Accipite, et comedite. » M. 21, 21

In hoc dono apparet divinae liberalitatis magnitudo. Cum enim Deus summe sit bonus, summa eum decet liberalitas. Sed nulla hac major esse potest, qua donum cibi coelestis nobis legavit.

Hujus autem doni magnificentiam inprimis contemplabor, quae in eo cernitur, quod largitor omnium bonorum in hoc sacramento dat seipsum, et hoc largissi-

1. Ex Op. de Vén. Sacr. Altaris, c. 5.

me, quia dat proprium corpus in cibum. Hic summus est gradus largitatis divinae.

Ac re quidem vera Deus homini largitus est —

1. coelum et terram, et omnes irrationales creaturas *in ejus servitium* : « Deus creavit de terra hominem, et dedit illi potestatem eorum quae sunt super terram. » Eccli. 17, 1. 3.

2. sanctos angelos *in administrationem* : « Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui haereditatem capient salutis » Heb. 1, 14.

3. SEIPSUM : « Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae : »
   a. in *socium* peregrinationis : « Hic est Deus noster.. hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. » Baruch 3, 36. 38. (Socios viae lassos optimis verbis confortavit, ex periculis liberavit, infirmos curavit, mortuos suscitavit.)
   b. in *servum* nostrae necessitatis : « Semetipsum exinanivit formam servi accipiens. » Phil. 2, 7. Sitientes potavit, discipulorum pedes lavit. Etenim « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. » M. 20, 28.
   c. in *pretium* redemptionis : « Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. » Eph. 5, 2.
   d. in CIBUM: « Ego quasi nutritius Ephraim, et declinavi ad eum ut vesceretur. » Os. 11, 3. 4. (Summus est iste largitatis gradus. Qui enim datur in cibum, non ad separationem aliquam, sed ad omnimodam unionem datur.)

75. Donum maximum cibi coelestis (2).

« Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » J. 6, 52.

« Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. » ib. 57.

I. Revocetur in memoriam hujus doni magnificentia, prout in superiore consideratione eam meditati sumus.

II. In eodem porro dono ipsius divini datoris liberalis magnanimaque nobilitas patescit, quam tantam esse videmus, ut in hoc Sacramento corpus suum diffuse largiatur —

1. in omni regione et tempore et omni hominum stirpi;
2. sub omnibus conditionibus honoris et inhonorationis ;
3. omnibus hominibus cujuslibet conditionis ;
4. bonis et sceleratis. Sicut in Psalmo dicitur : « Appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. » 26, 2. Qui enim se permisit manibus malignorum semel crucifigi, permittit se sceleratorum manibus tractari et inimicorum et immundorum dentibus in Sacramento lacerari.

Hinc hosti et traditori suo Judae in cœna cum aliis dicitur corpus suum dedisse. Veritatem enim praesentiae suae ad instar solis oriri facit super bonos et malos, exhibens se in hoc Sacramento dignis et indignis, licet non ab omnibus effectus suscipiatur aequalis ; nam dignus effectus bonitatis Dei suscipit, indignus severitatis.

Nota, quod magnum est dare magna dona proximis et amicis ; majus dare servis et ancillis ; maximum ignotis et peregrinis ; sed nimis inimicis. « An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis ? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? » Rom. 2, 4.

III. Eadem Dei liberalitas ingens probatur *utilitate suscipientis ;* quia in hoc sacramento digne suscipiens per gratiam bonitatis efficitur deiferus ; « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. » J. 1, 12 ; i. e. per gratiam bonitatis similes effecti sunt Deo : « Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino. » Prov. 12, 22. Gratia vero est influentia divinae bonitatis in animam, per quam Deo assimilatur, eique grata ac vitae aeternae digna efficitur. Non enim sufficit liberalitati divinae, quod in sacramento vel in cibo intellectum illuminet, quod affectus sanet, quod memoriam delectet, quod totum hominem in bono confortet, et corpori suo mystico associet ; quin insuper Deo assimilet in praesenti per gratiam, et in futuro per gloriam : ulterius autem provehi non potest.

76. Corpus Christi medicamentum vitae et immortalitatis. [1]

« Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. » Prov. 9, 5.

« Causam tuam tracta cum amico tuo. » ib. 25, 9.

Ex multis rationibus, propter quas Dominus corpus suum dat in cibum, notanda venit *humanae naturae corruptio,* quae hujusmodi cibi exigebat medicamentum. Et hoc quoad tria : —

1. Op. de Ven. Sacr. Altaris. c. 6.

1. Quoad congruam *curationis inchoationem*.

Quia sicut initium corruptionis et mortis coepit a cibo vetito, scilicet ligno scientiae boni et mali, sic initium justificationis et vitae incipere debuit a cibo sumpto, scilicet de ligno vitae, idest a corpore dominico.

« Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » J. 6, 54.

« Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum : et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » ib. 52.

2. Quoad *integram* corruptionis *curationem*.

Etenim venenum pomi vetiti triplicem infudit corruptionem, nempe :

a. In animam tenebras ignorantiae ; ad quas tollendas venit Salvator : « Dominus illuminatio mea. » Ps. 26, 1 ; « Illuminabit te Christus. » Eph. 5, 14 ; « Accedite ad eum et illuminamini. » Ps. 33. 6.

b. In carnem morbum malae concupiscentiae ; sed de Salvatore dici possunt verba psalmi : « Pluit illis manna ad manducandum, et panem coeli dedit eis. Panem angelorum manducavit homo : cibaria misit eis in abundantia. » Ps. 77, 24-25.

c. Mortem in animam et corpus. De Christo tamen dicitur : — « Hic est panis de coelo descendens : ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. » J. 6. 50.

3. Quoad firmam sanitatis *conservationem*.

Quidam enim ad tempus de peccatis compunguntur, et quodammodo curantur ; sed tempore tentationis recidivi iterum corrumpuntur :

« Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae. » Ps. 37, 6.

Ad conservationem autem sanitatis animae, et

incorruptionis bonae vitae valet cibus iste : « Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi. » Cant. 1, 12. Sicut enim myrrha incorrupta servat corpora, sic corpus Domini pie sumptum corda.

77. De anima ad Eucharistiam praeparanda. [1]

i. Contemplare Christum pedes discipulorum lavantem.
ii. Ex corde dicas : « Me immundum munda tuo sanguine. »

---

1. *Discernatur mensa a mensa*, quod fit quum certo credimus praesens esse verum corpus et sanguinem Domini :
   a. quem angeli adorant ;
   b. ad cujus nutum columnae coeli contremiscunt ;
   c. cujus gloria plenum est coelum et terra.

2. Unusquisque a seipso quaerat, num *pacem cum aliis* habeat, num proximos vere et ex animo diligat : « Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. » 1 J. 3, 14.

3. *Conscientias scrutari* diligenter debemus, ne forte exitiali aliquo peccato contaminati simus, quo in casu, nemini licet sacram eucharistiam accipere, antequam se sacramentali confessione purgarit, quantumvis sibi contritus esse videatur.

   Porro antequam Christus apostolos pretiosi corporis et sanguinis sui sacramenta daret, quamvis jam mundi essent, pedes eorum lavit, ut declararet, omnem diligentiam adhibendam esse, ne quid nobis ad *summam*

---

1. Cat. C. T. De Euch. n. 55.

animi integritatem et innocentiam desit, quum sacra mysteria percepturi sumus.

4. Praeterea taciti cum animis nostris cogitemus, *quam indigni simus* quibus divinum hoc beneficium a Domino tribuatur.

Quare illud centurionis, de quo idem ipse Salvator testatus est, se non invenisse tantam fidem in Israël, ex animo dicendum est : « Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. » M. 8, 8.

Exquiramus etiam a nobis ipsis, an illud Petri usurpare nobis liceat : « Domine, tu scis, quia amo te. » J. 21, 15

78. Dominica I post Pentecosten. [1]

De fiducia Dei.

Domine, (alloquimur illum, qui nobis intus adest, et cordis nostri penetralia intuetur)

in tua misericordia (Fiduciam profitetur psalmista de pia illa clementiae ubertate, quae summo parenti nostro propria est, et cujus umbra tantum est pietas patris matrisve.)

speravi : (salutem et liberationem et solamen expectavi, nec spes me fefellit :)

exultavit (Quaenam major hujus mundi beatitas, quam laetari in Deo, et summo gaudio de divinis affici ?)

cor meum (Etiam dum foris saeviunt procellae, ac premunt nos angustiae et terrores, spiritus ipse liber est, ut divina suavitate aliquid degustet.)

in salutari tuo : (Quid est illud nisi liberatio a peccato, a tentatione, a maerore, a mentis caligine, vel quavis

1. Introitus. Ps. 12, 6. 1.

tristitia aut difficultate, praecipue tamen de suprema liberatione a periculis militiae hujus terrestris ?)

cantabo (laeto amantis affectu)

Domino, (Quis est sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat ?)

qui bona tribuit mihi (in vitae exordio, quae satis sunt confert, in vitae decursu eadem atque longe plura continuo largitur, summa denique cumulaturus).

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem ? (Denuo ex improviso recogitantur a psalmista mala illa quae dire vexant, et longa duratione contristant deprimuntque animum ; et amica quadam familiaritate interpellatur Deus.)

usquequo avertis faciem tuam a me ? (Tempore doloris ita ad instar filii nimis dilecti Deum saepius ora.)

79. Dominica II post Pentecosten. [1]

De Deo protectore.

i. Ad finem vitae suae David laudat Dominum de pia et continua erga se misericordia et protectione.

ii. Et nos pariter Dominum de sua erga nos benignitate inenarrabili voce laudemus filiali.

Factus est Dominus protector meus, (spiritum meum de nihilo condidit viventem, intelligentem et amantem ; me infantem servavit ; puerum ad munus sacerdotale disposuit ; juvenem a mille malis et tentationibus defendit, suaviter contra minitantes difficultates se praestans adjutorem ;)

1. Introitus. Ps 17, 19. 20. 2. 3

et eduxit me in latitudinem : (Ex obscuris et periculis in apertum campum luminis ac spiritus liberi me perduxit. Sublatum est onus meum, disrupta vincula, plene renovatus est spiritus et totus aspectus mundi mirifice in alium mutatus est.)

salvum me fecit, (de mundi hujus difficultate et tristitia constanter me eripuit)

quoniam voluit me (erga me vividiore videtur commotus affectu ; sibi in me complacuit plus quam patri vel matri).

Diligam (Quod secundum textum hebraicum significat amorem valde ardentem.)

te, Domine, (sacrum nomen Dei substantiale, Jahve)

virtus mea, (qua menti claritatem infundit, ac robur immittit voluntati)

Dominus firmamentum meum, (Adhaereo Domino sicut basi immobili : in quibusvis angustiis Deus mecum est ; a Deo provenio, ad Deum in omnibus pariter tendere constituo.)

et refugium meum, (dum doloris agonia crucior, vel dum animum despondeo propter angustias, vel negotiorum exitum infelicem)

et liberator meus (ex tentatione, mentis dubietate, vel inimicorum malignitate).

80. Dominica III post Pentecosten. [1]

De Deo humilium amatore.

Respice in me, (intende in me ; de me cogita ; benigno vultu me aspice, sicut parentes amantes in filium oculos convertunt ;)

1 Introitus Ps. 24, 16. 18. 1. 2.

et miserere mei, (perspecta mea infirmitate, voluntatis defectu, et super omnia prosapia mea divina, non poteris male facta mea non simpliciter condonare)

Domine, (Sicut amicus ad amicum, et filius ad patrem clamare non cessavi.)

quoniam unicus, (Tristitia enim semper solitaria ; ac maerores spirituales, quicunque sint, secreti sunt ; adeoque non habeo consolatorem nisi Deum.)

et pauper sum ego : (pauper quidem viribus, intuitu spirituali, animo proficiendi in virtutibus :)

vide humilitatem meam, (audax et singularis petitio) *et laborem meum* :

et dimitte omnia peccata mea, (tamquam ratio veniae exhibetur reatus et indigentia rogantis extrema)

Deus meus, (In hoc conquiescendum : Deum habeo, qui amat se dici « meum »).

Ad te, Domine, levavi animam meam : (E mundanis surgo ad divina.)

Deus meus : (Iterum audacia, fiducia, et amor intimus.)

in te confido (Aperta fiduciae expressio, mihi saepius repetenda.)

non erubescam (qui certus sum me tandem coram omnibus esse triumphaturum).

81. Dominica IV post Pentecosten [1].

De Deo adjutore certo.

Verba Introitus hujus fiduciam exprimunt immobilem, qua regius psaltes inter et angustias et anxietates belli civilis spem totam reponit in certo Dei praesidio.

---

1. Introitus. Ps. 26, 1, 2 b. 3.

Proelium vero nostrum intestinum potius est et sociale. Militant enim adversus nos saepenumero curae temporales, rerum spiritualium anxietas, res adversae, plurium displicentia, nonnullorum forte contradictiones vel reprehensiones acerbiores, quandoque nostri apud plures ignominia injusta. Semper tamen ad Deum recurrendum.

Dominus illuminatio mea, (viam docet, mentemque illustrat ut videat ea, quae prius non animadvertebat, ut solvat dubia, quae prius visa sunt insolubilia)

et salus mea, (quia divertit me a via lubrica, et eripit e medio malorum)

quem timebo ? (Si Deus mihi adstet, quid est profecto quod timeam homines vel tentationem ?)

Dominus defensor vitae meae, (praesidium vel munimentum contra impugnationes inimicorum, sive sint materiales [ut mundus, caro, voluptas], sive spirituales [ut superbia, invidia, animae tristitiae, dubietas])

a quo trepidabo ? (Ordo sive dispositio religiosa, qua fruimur, supra omne quod dicere valemus, praeclara est et mirabilis. Deus saepius suos est allocutus, ipse porro nos visitavit, divinitatis quodam influxu nobilitavit, nobiscum corporaliter permanet, in cordibus peramanter habitat. Contra tantum adjutorem inimici, cum quibus pugnamus, frustra et inepte nituntur ; etenim verbo ejus profligantur, ut in sequenti versiculo declaratur.)

qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra : (imminente scilicet occursu adversariorum :)

non timebit cor meum (penitus non commovebor, quia scio et persentio Deum mecum esse.)

82 Dominica V post Pentecosten. [1]

Nemo est, qui non cognoscat virium suarum ad bonum debilitatem. Quidquid tandem voluerit, vel secum faciendum constituerit, continuo defecit, ac indentidem de profectu ad desperandum ferme deductus est.

Unde robur, unde spes, unde fiducia et victoria, nisi ab illo, qui nos ad laborem et pugnam condidit, ut tandem proelio absoluto, inter victores recenseamur ?

« Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. » Ps. 61, 8. Hoc igitur sensu Deum fidentes obsecremus :

Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi (i. e. *clamo*) *ad te* :

adjutor meus esto, (Hucusque Deus mihi semper praesidio fuit et robur ; idemque et deinceps pariter mihi erit auxilio et firmamento.)

ne derelinquas me, (Ne me deseras. Infelix quidem ego, si Deus me inanem et fragilem mihimetipsi dimitteret.)

neque despicias me, (Noli me aspernari tamquam parvulum et indignum. Si ingratus fuero, si piger, si negligens et peccator, si quidem vere odibilis et contemptibilis, saltem tu, Domine, conditor meus et omne bonum meum, ne me sicut extorrem ac vilem contemnas.)

Deus salutaris meus (Hoc ad fiduciam roborandam abunde sufficit, quod tu es et permanebis semper Deus salutaris meus, promptus ad eripiendum e malis, et ad promovendum in bonum, paratus semper ad adjuvandum in pugna, et potens ad perducendum me usque ad terminum quietis aeternae).

---

1. Introitus, Ps. 26, 7. 9. 1.

Dominus illuminatio mea, (« Tribulatio tenebras adducit, prosperitas lucem et serenitatem : perturbat enim, et confundit animum tribulatio, ut non facile videat, quid facto opus sit, atque inde ad impatientiam, vel aliquod aliud peccatum provocatur. Sed si Deus, lumine divinitus immisso tenebras disjiciat, continuo cernit animus momentaneam et levem esse tribulationem, quae in umbra noctis magnum horrorem incutiebat, et simul cernit protegente se Deo, tribulationem non solum non posse nocere, sed etiam mirifice profuturam. » Bellarm. in h. l.)

et salus mea : (A tot malis eripuit et eripit.)

quem timebo ? (« Perfecta charitas foras mittit timorem. » 1 J. 4, 18.)

83. Dominica VI post Pentecosten. [1]

De deo praesidio nostro.

1. *Laus.*

Dominus (ratio et origo boni nostri omnis)

fortitudo plebis suae, (unde omne robur vitae et operationis ; in periculis nos sustentat, et per ardua ad finem usque nos perducit ;)

et protector salutarium Christi sui est : (Suos tutatur velut arx cujus munimine valido sospites ab omni malo servamur. Nec semel nos eripuit ac servavit sed saepius. Hic protector dicitur salutarium : idque de victoriis David, de Christi triumpho finali, et de multiplici liberatione nostra.)

1. Introitus. Ps. 27, 8. 9. 1.

2. *Petitio.*

salvum fac populum tuum, Domine, (Ut bona recipiamus e manibus largitoris ditissimi Dei, sola conditio est ut ea rite petamus. Enixe itaque poscamus plenam a Deo salutem a reatu, a malis, a difficultatibus, a tentationibus.)

et benedic (verbo fecundo) *haereditati tuae,* (Vide quam frequenter prosapia nostra divina proclametur.)

et rege eos, (gubernatrice manu tua in bonum nos fortiter impelle)

usque in saeculum (usque dum ad metam vitae praesentis pervenerimus)

3. *Ardens rogatoris affectus.*

Ad te, Domine, clamabo, (ardenter et frequenter)

Deus meus, (In textu hebraico dicitur : *rupes mea* cui adhaereo. Deus invocatur, cujus est vindicare sibi omnium potestatem et possessionem et imperium, qui me ab aeterno voluit, et materno respicit affectu.)

ne sileas a me : (ut dum oro. tu videaris nihil audire :)

nequando taceas a me, (ne cesses et intus et gratiis externis mihi distincte loqui)

et assimilabor descendentibus in lacum (Vita enim mea in mortem verteretur, quia vera vita mea in Deo est, et « anima mea illi vivet »).

84. Dominica VII post Pentecosten.[1]

De Deo colendo plausu quam maximo.

Cogitemus, quantum nostrae licet tenuitati, Deum omni fulgentem perfectionis splendore, super omnia tamen quae fingimus nos ineffabiliter exaltatum, ad quem nihilominus mente et affectu gentes universae instinctu singulari anhelaverunt hodieque anhelant.

Ipse quidem studioso amore ita nos condidit, ut genus ejus jam quodamtenus induti simus. Ipse se tandem fecit nostrum. Deus est nostri : Deus ex nobis. Ipse vere Deus noster, a cujus effusa bonitate dimanat quidquid non est ipse.

Quum plebi suae se manifestat, omnes una voce simul conclamant, summoque plausu Regem regum recipiunt ac strepitu incredibili, vexillis agitatis, voces attollunt atque producunt.

Ad quam fidelitatis gloriosam manifestationem nunc invitantur cuncti homines :

Omnes gentes, (non solum excultae et Catholicae, sed omnes orbis incolae, qui pariter ab eodem creati, ad eumdem laudandum obstricti sunt)
plaudite manibus : (simplex sed vehementior laudandi significatio :)
iubilate Deo (voce externa, robusta, sonora canoraque)
in voce exultationis (voce alta et acuta, fortiter clamando).
Quoniam Dominus excelsus, (Deus enim suis creaturis infinite praestat.

---

1. Introitus. Ps. 46, 2. 3.

Tota namque entis intima natura nos excedit. Qualis sit vita illa divina, qua est, et cogitat, et amat simul ac semper et ubique uno spirituali indivisibilique actu, nos latet. Nulla igitur cogitatio nostra majestatem illam intuetur. Plane superat ordinem imaginationis ; excedit vim verborum.)

terribilis : (Quia ingens et illimitata ejus potestas omnia tandem sive bona sive mala legi universali et inviolabili subdit.)

Rex magnus (Proprie nominatur « magnus, » quocum alius comparari nequit. Vi pollet suprema cui resisti absolute non potest in qualibet rerum materia, vel in quovis existentium ordine.)

super omnem terram (ditio ejus orbis universus, populus autem totum genus humanum, nulla facta distinctione temporis vel loci vel stirpis).

85. Dominica VIII post Pentencosten. [1]

De Deo defensore mirabili.

Quemadmodum in vetere testamento Deus saepe eventu stupendo ostendit se esse populi sui gubernatorem et defensorem, ita et in novo testamento suis mirifice opitulari non desinit. Quamobrem carmina, quibus Judaei gaudia et gratiarum actiones referre consueverunt, de victoriis nostris, sive visibilibus sive invisibilibus juremerito usurpantur

---

1. *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam* (Secundum Vulgatam : beneficia divina tanquam fructum bonitatis et miserationis agnoscimus recepta. Secundum textum

---

1. Introitus. Ps. 47, 10. 11. 2.

hebraicum: attenta mente recolimus singula, quae occurrunt in Dei erga nos beneficiis. Beneficia vocantur misericordia, quatenus Deus videns nos infirmos esse, ipse manu sua irresistibili nos adjuvare solet.)

in medio templi tui: (Quae divinae misericordiae beneficia vel prodigia in sacris aedibus adunati sedulo perpendimus.)

2. *Secundum nomen tuum*, (quod, ut signum inclytae majestatis, cognitione aliqua sativa et germinali diffunditur in universorum cordibus et in omnibus terrae regionibus)

Deus, (Nomen illud super omnia venerabile, frequenter est in ore piorum, sicut nomen suave et familiare fratris vel amicissimi cujusdam.)

ita et laus tua in fines terrae: (laus pariter Dei in omni orbis angulo resonet :)

3. *justitia plena est dextera tua* (Licet plenitudo oeconomiae coelestis nobis nunc tantum ex parte et valde inadaequate patescat, nunquam tamen in se aut fallitur aut deficit).

4. *Magnus Dominus* (Nam secundum se est realitas unica et perfecta; secundum relationem vero ad inepta fictitiaque idola praesentis temporis [cujusmodi sunt : « humanitas, » progressus, pantheismus] simpliciter magnus esse proclamatur.)

et laudabilis nimis : (perfectio realis ac summa summis elogiis honoranda :)

in civitate Dei nostri, (vel in regione Catholica, vel in cordibus saltem fidelium, vel maxime in ecclesiis)

in monte sancto ejus (Id est : olim quidem in monte Sion, nunc autem in monte spirituali contemplationis vel recessus a mundo, ubi animae piae Deum sibi ob oculos retinent, atque ad illum corde incessanter aspirant).

86. Dominica IX post Pentecosten. [1]

De fiducia auxilii divini.

Quis non interdum animum despondet ? quis non aliquando se agnoscit fragilem ac fere inermem esse contra tentationum incursus fortes, inopinatos, constantes ? quanta omnibus difficultas recte, prudenter, et cum mansuetudine se gerendi in hominum societate ? quid tandem si immineret tentatio immanis, quae nos ad mortem insectari videretur ! Anima fidelis illico ad auxilium confugit divinum.

Ecce (Psaltes annuntiat collatum praesidium, quod rogaverat.)

Deus adjuvat me, (De praesenti loquitur : me nunc Deus adjuvat lumine, cordis tranquilli solamine, providentia externa.)

et Dominus susceptor est animae meae : (non tantum semel et casu quodam, sed de bono meo sollicitus semper curam mei in se suscepit :)

averte mala (in textu hebraico. *avertes*) *mala inimicis meis,* (Ac si res nunc ageretur, Deum rogat, ut inimicis suis haec vel illa faciat.)

et in veritate tua disperde illos, (Quia vere exsistis, et veraciter nobis auxilium promisisti, et omnes viae tuae veritas.)

protector meus Domine (Verba addita psalmo, quae sensum ejus in summam quamdam redigunt).

Deus (Nomen illud sanctum ac praenobile in labiis frequenter sit, in corde semper.)

---

1. Introitus, Ps. 53, 6. 7 2. 3.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

in nomine tuo (propter omnia attributa, quae Dei sacro vocabulo intenduntur, nempe, realitatem, potestatem, praescientiam, et fidelitatem)

salvum me fac, (Quaenam sunt mala et pericula sive interna sive externa, e quibus nunc eripi volo ?)

et in virtute tua (potentia videlicet cui resistere impossibile est)

libera me (Petitioni adjunge fiduciam et propositum stabile gratiae divinae bene cooperandi).

Exaudi, Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam :

intende mihi, et exaudi me (Ex his discam orare (1) in angustiis semper ; (2) cum fiducia, quae crescit cum difficultate ; (3) cum magna dictorum simplicitate ; (4) vespere, mane, meridie, i. e. tota die).

87. Dominica X post Pentecosten. [1]

De Deo in summis angustiis nobis adjutore.

Heroes dicuntur, qui validissime pugnant, vel qui asperrimas vitae conditiones viriliter sustinent.

Stadio vitae externae respondent vita et pugna spiritualis.

Hujus igitur spiritualis excelsiorisque vitae primum principium est : *electos valide probari* ; alterum : *Deum ipsum adstare pugnae spirituali, suisque ministrare praesidia opportuna* ; tertium : *opus esse ut homo Deum in adjutorium invocet.*

Cum clamarem ad Dominum, (Hic praesupponuntur : — fides in Deum, et fiducia auxilii ; ex quibus sequitur

1. Introitus Ps 54, 17-20. 23.

petitio in arcta necessitudine. Notat psaltes hujus obsecrationis instantiam continuam : « vespere, et mane, et meridie, narrabo et annuntiabo (i. e. Deo). » v. 18.)

exaudivit vocem meam, (Perpulchre additur in psalmo : « redimet in pace animam meam.» v. 19.)

ab his qui appropinquant mihi : (qui sunt : concupiscentia, seu naturae meae pondus in malum, labores indesinentes, fastidiosi, duriores, aegritudinis molestia, sociorum contradictio vel rusticitas, daemonis impugnatio :)

et humiliavit eos, (vel debilitavit, vel penitus dejecit)

qui est ante saecula, et manet in aeternum : (Aeternus est auxiliator meus, qui tempora condidit et transcendit, et omnes inordinationes temporaneas pariter gubernat.)

jacta cogitatum tuum in Domino, (Seipsum alloquitur psaltes. Negotia tua, proposita et aerumnas praesertim Domino committe et confide illum fore tibi praesidio.)

et ipse te enutriet (In textu hebraico : *sustinebit*. Quibus addit psalmista : « Non dabit in aeternum fluctuationem justo. » Non sinet, ut cadat vel pereat. v. 23.

Verba quae sequuntur cordis filialis clamores sunt ardentes. Cuncta enim, quae obsecramus, iterum iterumque urgenda sunt.)

et fugiant, qui oderunt eum (cedant, antiquas sedes derelinquant, novasque desperando occupent)

a facie ejus (Deum enim praevalere necesse est ; « Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam : per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est. » Heb. 12, 28. 29).

88. Dominica XI post Pentecosten. [1]

De Deo victore.

Reminiscere verba Moysis quando Arca elevabatur a Levitis in itinere deserti : « Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua. » Num. 10, 35.

Nunc vicissim contemplare Ecclesiam, quae inter procellas temporis praesentis fortis incedit contra hostium agmina

Animam tuam corrobora certa spe divini praesidii adversus inimicos qui te undique obsident.

DEUS (aeternus, maximus, protector noster)
in loco sancto suo ; (fortis, providus, vigil, in se sanctissimus, qui semper in coelesti sede sanctitatis suae, olim in urbe Sion, nunc in sancta Ecclesia sua speciali modo habitat :)
DEUS, (optimus, gloriosus, omnium rector et pater)
qui inhabitare facit unanimes in domo (Deus unus omnium nostri, qui cordium universorum unionem et caritatem vult et facit) :
IPSE (propria sua actione in nobis)
dabit virtutem (ut homo valide dimicet)
et fortitudinem (ut difficultates omnes superet, et ut hostibus constanter resistat et tandem praevaleat)
plebi suae. (Sit haec perennis consolatio nostra, quod Deus nos non tanquam alienigenas sed ut populum suum electum atque dilectum respiciat.

---

1. Introitus Ps. 67, 6. 7. 2.

Sicut Deus olim Israëlitis adfuit ut illis pacem tandem daret cum terra promissionis, ita majori adhuc dilectione adest Ecclesiae suae in proelio, quod agit contra potestates tenebrarum ; sic pariter singulos in propria et interna sua pugna nunquam deseret.

Recordemur demum quod universi homines plebs sint Domini, quam condidit ut secum in aeternam societatem reciperet, et quam peramanter invitat in sinum Ecclesiae suae).

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus (quod saeculorum decursu factum est inde a tempore Moysis ac deinceps, et nostro calamitoso tempore certe eveniet) : *et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.*

89. In Dominica XII post Pentecosten [1].

De Deo auxiliatore

Vita mea haud raro tenebris obducitur, negotiis opprimitur, difficultatibus implicatur, tentatione vexatur, vel scrupulis angitur.

Quamnam evadendi viam exquirere soleo ? humanam nempe an divinam ? Spiritualis autem homo ad Deum auxiliatorem semper confugit. Et quo majus est malum, quod imminere videtur, eo citius et ardentius petendum praesidium Dei.

Deus in adjutorium meum intende : (in textu hebr. *festina* :) *Domine, ad adjuvandum me festina.*

1. Homo ad Deum pondere naturae tendit.
2. Filius adoptivus ad patrem beneficum currit.

---

1. Introitus, Ps. 69, 1. 2.

3. Creatura, imbecillitatis suae conscia, robori Dei praesentis nititur.
4. Dum malum imminet, vel opus aliquod arduum agendum est, Deus enixe implorandus est, ut nobis adsit.
5. Quoties in die forsan verba haec mihi contingit proferre ?

Confundantur et revereantur inimici mei, qui quaerunt animam meam.

1. Quinam inimici mei praecipui ? Mali spiritus, — mundus cum distractionibus, ostentatione, voluptate, — homines forte, qui, vel verbo vel exemplo, me ab amore Dei ferventiore satagunt avertere.
2. Orat psaltes, ut a vexatione desinant, ut vincantur, ut dissipentur.

Avertantur retrorsum, et erubescant, qui cogitant mihi mala.

1. Quinam sunt praesertim, qui mihi mala cogitant ?
   a. « Saecularistae », qui religionem omnem blasphemant.
   b. Protestantes, qui mira mentis coecitate ab Ecclesia impugnanda non desinunt.
   c. Homines, qui stirpe, vel gustu, vel educatione, a me alieni, indolem meam aegre ferant.
2. In omnibus tamen angustiis Deum quaeram, Deo adhaerebo, in Deo conquiescam.

90. Dominica XIII post Pentecosten. [1]

De deo fideli.

Ad hujus orationis spiritum plenius concipiendum ex sequentibus unum aliudve oculis spectandum sistatur :

1. Urbis Hierosolymitanae misera depopulatio tempore vel captivitatis Babylonicae vel Antiochi Epiphanis.
2. Hodierna non paucorum defectio a fidei sinceritate.
3. Ecclesia iniquis legibus saepius vexata.
4. Congregationes religiosae suppressae vel expulsae.
5. Anima vel tentationibus impetita, vel tenebris oppressa, vel scrupulis turbata.

1. *Petitio humilis.*

Respice, Domine, in testamentum tuum, (Quod enim Deus olim crebro ac solemniter populo Judaico pollicitus est, id maxime Ecclesiae Christi renovavit et auxit, nempe se illi continuo fore adfuturum, Spiritum sanctum effusum iri per universum orbem, portas inferi nunquam fore contra Ecclesiam praevalituras. Validum pariter auxilium animae in angustiis constitutae pluries promisit.)

et animas pauperum tuorum ne derelinquas in finem ; (Jure meritoque pauperes dicuntur, sive maerentes, sive humiles et parvuli, quoniam hominum fideliumque pars maxima simplices, rudes, mulieres, pueri puellaeque ac senes. An velit Deus quos suos elegit in perpetuum dimittere atque deserere ?)

---

1. Introitus, Ps. 73, 19-23. 1.

2. *Appellatio ardens.*

exurge, Domine, et judica causam tuam : (Dum Deum alloquitur, pia anima audacior fit, et Dei confisus amore et potentia, eum excitare studet ut justitiam suam ostendat atque vindicet.)

et ne obliviscaris voces quaerentium te (Homo humana profert, ac si quid Deum latere posset, et notat causam electorum agi).

3. *Interrogatio flebilis.*

Ut quid Deus repulisti in finem : (vox est animae pene desperantis de remedio afflictionis, quae tenero et familiari affectu audet amicum reprehendere :)

iratus est furor tuus super oves pascuae tuae (Cur, Domine, excandescere videris in eos, quos amore praecipuo tractare consuevisti ?).

91. Dominica XIV post Pentecosten [1]

De jucunditate cultus divini.

Versus *Introitus* hujus desumpti sunt ex carmine scripto ab uno e filiis Core, at vero utrum tristi tempore rebellionis Absalomi an exilii Babylonici, non liquet.

Exprimunt fiduciam in Deum, splendidioris divini cultus laetam memoriam, et vehementius desiderium atria Domini rursus ingrediendi.

Quae ut facilius in oratione componantur, oculis mentis spectetur : —

vel 1. templum montis Sion, quod victi vel exules videre concupiscunt ;

vel 2. cultus Dei splendidior, quo delectantur justi ;

1. Introitus. Ps. 83, 10. 11. 1.

vel 3. ecclesia nostra quae praesentia SS. Sacramenti mirifice sacratur ;

vel 4. cœlestis urbs patriae beatae.

Protector (scutum videlicet contra hostes sive internos sive externos)

noster (sicut enim omnes ab ipso volente et creante sumus, ita alio nec tendimus nec tendere reapse possumus nisi in ipsum)

aspice, (oculis nos intuere benevolis ; vide angustias, et egenis succurre ;)

Deus, (Quidquid nobis obvenerit, Deum cogitemus ; die ac nocte jugiter illi mente et corde adhaereamus.)

et respice (vide vultum nunc tristem, et innotescet tibi tamquam unctus tuus)

in faciem Christi tui : (Quibus significatur unctus a Deo, sive David, sive alius rex vel etiam Messias, cujus spe jam a longe roborati sunt exules. Obsecrationis istius exponitur ratio praecipua in sequente versiculo.)

quia melior est dies una in atriis tuis (in aedibus templi)

super millia ([plus quam mille dies gaudiorum aliorum.] Pulchre S. Augustinus hunc locum exponit : « Millia dierum desiderant homines, et multum volunt hic vivere : contemnant millia dierum, desiderent unum diem, qui non habet ortum et occasum ; unum diem, diem sempiternum, cui non cedit hesternus, quem non urget crastinus. Ipse unus dies desideretur a nobis. Quid nobis est cum millibus dierum ? Imus a millibus dierum ad unum diem. » Enarr. in Ps. 63. M. 4, 1067.)

Quam dilecta tabernacula tua, (Intelliguntur variae templi partes. Et quare tam amabilia tabernacula Domini ?

a. Propter praesentiam Dei omnipotentis ;

b. quia sunt loca quietis et felicitatis ;)

Domine virtutum ! (Deus potentissimus et Rex universo-

concupiscit, (desiderio suspirat) [rum).

et deficit anima mea (amore languet) *in atria Domini.*

92. Dominica XV post Pentecosten. [1]

De Deo qui laetificat animam.

Inclina, Domine, aurem tuam ad me, (Ausculta benignus famulum. Nam scis me inopem esse, et in multis afflictum. Ego autem bene novi te esse dulcem et omnipotentem, quem jam saepius a malis me liberasse expertum habeo.)

et exaudi me : (Dignare mihi concedere ea, quae flagito. « Videte quia meritum exauditionis suae, id est, quo exaudiretur, in eo posuit (psalmista) ut diceret *Quoniam egenus et inops ego sum.* Observa ne non sis egenus et inops : si non fueris, non exaudieris. Quidquid est circa te vel in te unde possis praesumere, abjice a te ; tota praesumptio tua Deus sit : illius indigens esto, ut ipso implearis. » S. Aug. Enar. in Ps. 85, n. 3. M. 4, 1084.)

salvum fac servum tuum, (Te namque colo ; tibi adhaereo ; in te vehementer confido ; tuus esse velim.)

Deus meus sperantem in te, (in tuo auxilio maximopere confido)

miserere mihi, Domine, (peccanti clementer indulge, indigenti succurre)

quoniam ad te clamavi (et jam clamo prece ardente)

tota die (indesinenter vel ore vel corde).

Laetifica animam servi tui : (elargiendo quaesita ; cujus autem largitatis divinae haec praecipua sit ratio, quia fiducia plenus ad te confugi : —)

quia ad te, Domine, animam meam levavi (Pia quidem fidelitate in te confisus sum. « In terra enim erat

1. Introitus. Ps. 85, 1-3.

(anima), et in terra amaritudinem sentiebat : ne in amaritudine contabesceret... levavi eam ad te... Solus enim tu es jucunditas : amaritudine plenus est mundus. » [Quomodo vero levatur anima ad Deum ?] « Gradus, affectus sunt : iter tuum, voluntas tua est. Amando ascendis, negligendo descendis. Stans in terra, in coelo es, si diligas Deum. » S. Aug. Enar. in Ps. 85. n. 6. M. 4, 1085)

93. Dominica XVI post Pentecosten. [1]

De Deo miseratore.

Haec de meipso candide profitear : —

Ad bonum tardus sum, ad voluptatem inordinatam proclivis. Quam languida et inconstantia conamina mea in adipiscenda solida et generosa virtute, quam frequentes lapsus, quam levis dolor offensi Dei, quam inefficax emendandi propositum !

Fragilis sum, et piger et indignus. Sed Deus, factor meus insufficientiam et paupertatem meam cognoscit, ejusque miseretur.

Miserere mihi, Domine, (respice, quaeso, homuncionem hunc, quem tu ad munia illustria dignatus es eligere) *quoniam ad te clamavi tota die* : (Inter quaevis negotia mea Deus mihi adsit in corde omnibusque praesit, saepius sit in ore, in memoria dulciter conquiescat, ipsumque semper affectu complectar.)

quia tu, Domine, (Adonai, entitas sublimis, bonitas captum superans omnem, pusillis etiam nobis multum

---

1, Introitus. Ps. 85, 3. 5. 1.

affabilis, quoniam ipsius sumus, opus ejus, non opus nostrum)

suavis, (facie decorus, affectu longanimis, corde tenerrimus)

ac mitis es, (Quando socordes fuerimus, vel deliquerimus, vel ipsum deseruerimus, expectat donec revertamur ; errantes non condemnat vel spernit, sed quaerit, eisque veniam elargitur, nec eorum amplius dilectum recordatur.)

et copiosus in misericordia, (non tantum justus, nec simpliciter bonus, clemens, misericors, sed divino plane gradu abundans et supereffluens inexhausto quodam torrente misericordiae)

omnibus invocantibus te (nec solis piis, nec certo numeratis, sed profecto omnibus, sola amicabili hac conditione posita, quod ad Dei bonitatem appellent).

Inclina, (Ut Domini benevolentiam evidentius intelligam ejusque ubique praesentiam amabilius persentiam, Deum imaginabor caput suum venerandum ad me inclinantem.)

Domine, (Sermonem habeo non cum solo amico, vel vel principe, sed cum rege Domino carissimo.)

aurem tuam mihi, (filiolo, possessioni tuae, ovi pascuae tuae)

et exaudi me : (Id cum plena infantis fiducia flagito.)

quoniam inops et pauper sum ego (non quia dives, vel sanctus, vel aestimabilis sum, sed ideo quia indigens, indignus et egenus ; nam locupletissimi et optimi Dei suos est replere ac ditare).

94. Dominica XVII post Pentecosten. [1]

De Deo justo et misericorde.

Humiliter contemplabor spiritus divini majestatem, quae universa coelorum spatia in se continet et excedit.

Divinam mentem secretissima quaelibet contuentem suspiciam, ejusque indefectibilem rectitudinem venerabor.

Oculos denique ad hominum infinitam pene turbam convertam, inter quos cernam justos, tentatos, tepidos, impios, miseros, damnatos.

Justus es, (non tantum justitiae typus vel norma, sed et fons et vindex sanctio ultima)

Domine, (legislator supremus, cujus auctoritate reliquae valent leges)

et rectum judicium tuum : (Procedit enim ex justitia intemerata, et cognitione plena sive legis sive factorum sive indolis reatusque cujuslibet agentis. Divina insuper justitia sententiae suae rigorem admiranda temperat clementia et benignitate. Rectum demum est Dei decretum infallibiliter ac necessario.)

fac (pia vox obsecrantis)

cum servo tuo (Non enim externi cujusdam et alienigenae sum servus ; mammonae non sum adscriptitius ; sed quamquam in pluribus deficere soleo, famulus tamen Dei sum, et ut talem me habeas, obsecro, bone Deus !)

secundum misericordiam (Quia magnus est Deus, miseretur nostri;quia increatus est, creaturae suae exiguitatem optime novit ; quia libertatis donum periculis plenum concessit, noluit ut inde pereamus, sed postquam

---

1. Introitus. Ps. 118, 124, 137. 1.

illo fuerimus abusi, suos semper salvare paratus est.)
tuam (Divina enim est illa misericordia, et tanti propria patris. Ea porro in se complectitur quidquid generosi, quidquid teneri, quidquid amabile in creaturis unquam inveniri contingit).
Beati (participes jam quodammodo felicitatis perfectae)
immaculati in via (prava fugiunt, et recta operari satagunt :)
qui ambulant in lege Domini (secundum mandata divina, et praecepta ecclesiastica, et leges quibus ordinantur status particulares).

95. Feria IV Quatuor Temporum Septembris. [1]

De Deo glorificando.

Tempus est, quo ordines ab Ecclesia conferri solent.

Quoniam Deus est unica vera beatitas nostra, quo propius ad eum accedimus, eo majori perfundimur gaudio.

Divina perpendam consilia :

« Introite in conspectu ejus in exultatione. » Ps. 99. 2

« Jubilate, cantate, et exultate et psallite. » Ps. 97, 4

« Credentes autem exultabitis laetitia inenarrabili. » 1 P, 1. 8

Exultate (laetitia cordis perfundamini)
Deo (universorum conditori, donorum largitori omnium, generis nostri redemptori, amatori, consummatori)
adjutori nostro, (Indeficientem enim naturae ubertatem nobis providit, cogitationes et impulsus ad bonum

1 Introitus, Ps. 80, 2. 3. 6

immittit, specialia demum suppeditat praesidia ad finem vitae supremum attigendum.)

jubilate (indiciis festivis, ut vocis clamore, sonitu tubarum aliusque generis instrumentorum musicorum, vexillis etiam, copiosoque ornamentorum apparatu)

Deo Jacob : (Deus quidem est omnium, sed singulari affectu se nominat Deum eorum vel quos elegit, vel qui ipsum in partem suam pie assumpserint.)

sumite psalmum.... jucundum (Discamus mature suavi psalmorum eloquio et varietate Deum laudare, et celebrare. Spiritu cantemus laetando et obsecrando.)

cum cithara : (cum instrumentorum dulci clangore :)

canite in initio mensis tuba, (Dies iste dies gaudii summi, quo tuba cornea magna celebritate Deum honorabant Judaei.)

quia praeceptum in Israël est, (Sane primum hominis officium est Deum glorificare ; hinc instituta sunt festa solemniora et publica in universo populo Dei. Deo jubenti cum simplicitate obediamus.)

et judicium (recta et inviolabilis sententia ejus)

Deo Jacob (Sapiens ille gubernator Deus est, qui diligit stirpem electam, cujus insignis parens fuit Jacob. Mandata Dei tamquam summe recta veneremur).

Testimonium (voluntas Dei testimonio legis nobis innotescit) *in Joseph* (i. e. in populo, cujus Joseph erat pater et Salvator) *posuit illud* (Testimonium Domini tamquam stabile recipiamus.)

cum exivit de terra Aegypti (loco exilii, infidelitatis, ignorantiae, — mundi scilicet ac malitiae symbolo)

linguam quam non noverat audivit (Convenit quidem ut nesciamus malorum mundanorumque sermones, gustus et principia).

96. Feria VI Quatuor Temporum Septembris. [1]

De Deo quaerendo.

Laetetur (Laetitia quies jucunda est et supereffluens gaudium de bono possesso.)

cor (Si foris procellae saeviunt, spiritus justi intus quiescit et delectatur de intima Domini praesentis societate ac praesidio.)

quaerentium Dominum : (Quid homini suavius et magis naturale quam bonum suum verum indesinenter prosequi ? Homo quidem divina quadam nobilitate conditus locum unicum sibi plane convenientem reperit in entis infiniti dulci amplexu.)

quaerite Dominum (Sapientes de eo interrogate. Vocetis eum ex imo corde. Enixe flagitetis, ut veniat et inenarrabilem suam pulchritudinem ostendat.)

et confirmemini : (Invento enim Domino, ne recedatis ab eo, sed ei constanter adhaereatis, memores dicti S. Pauli : « Omnia possum in eo qui me confortat. »)

quaerite faciem ejus (Instate scilicet intentione pura, legem servando, Deum colendo, proximum vere diligendo, humilia etiam officia obeundo. Sed ad illum semper cor erigite. Ad eum mente protendite, eique cor sincero affectu conjungimini. Quaerite faciem ejus. O ineffabilis venustas vultus divini ! Quis mortalium pulchritudinis ipsius substantiam et normam intueri poterit ? Quis in fecunda illa unitate varietatem ac splendorem infinitum comprehendet ? Quaerite faciem, et Regis regum favorem suscipite.)

semper (interdiu noctuque, in labore ac ludo, in maerore

1. Introitus. Ps. 104, 3. 4, 1.

et gaudio, inter adversa et prospera, in humiliatione et exaltatione).

Confitemini (celsitudinem agnoscite, verbisque extollite, ac tripudiantes proferte sublimia conditoris attributa)

Domino, (Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat ? Qualis et quantus ille, cujus magnitudo mentem implet et onerat et opprimit, cujus dulcedo cor satiat et supereffluere facit ?)

et invocate nomen ejus : (sicut amicus nomen amici familiariter solet pronunciare :)

annuntiate (Allis nempe communicate. Hoc insigne quoddam sacerdotum munus, homines ad Deum adducere, eique in societatem ac amicitiam introducere.)

inter gentes (eas nimirum, quae nunc nova ethnicismi fallacia deceptae, religioni revelatae vel resistunt vel eam parvipendunt)

opera ejus (admiranda , perpulchra, ab ipso penitus distincta, eoque sane digna).

97. Sabbato Quatuor Temporum Septembris. [1]

De Deo conditore nostro.

Imaginatione tibi propone turbam levitarum, in quos hoc mane Spiritus sanctus descendet, eosque in ordine sacerdotali constituet.

Siste te coram omnipraesente spiritu Dei. Immerge te in pelago immenso et subtilissimo divinae realitatis.

Aspice pie conditorem universorum, omnisque entitatis originem et exemplar.

---

1. Introitus, Ps. 94, 6. 7. 1.

Deum agnosce, ut creatorem tuum ; quidquid habes et quidquid es ipsi referas.

« Confige timore tuo carnes meas » Ps. 118, 120.

Venite, (verba invitantis)
adoremus, (Ipsum non tantum revereamur, nec solum veneremur aut colamus, sed esse totum nostrum cum vita dotibusque ipsi plane subjiciamus. In textu hebraeo : corpus humi prosternamus.)
Deum (cui unice proprius est latriae cultus)
et procidamus (Actu igitur corporeo profundae demissionis prona in terram creatura salutat creatorem. In textu hebraeo : caput inclinemus.)
ante Deum (tanquam gubernatorem supremum :)
ploremus (Hinc quidem magno gaudii affectu, illinc vero ingenti doloris sensu de socordia nostra et rebellione. In textu hebraeo : genua flectamus.)
ante eum qui fecit nos : (Etenim qui fecit nos, jure primario nos ex toto possidet. Debemus nos ei, ejusque sumus, non nostri. Fecit nos creando, ac sublimius evexit adoptando.)
quia ipse est Dominus (qui possidet, gubernat, dirigit nos, et cujus sumus servi)
Deus (QUI EST : a quo et nos ad esse evocati sumus ; qui fundamentum est et typus, causa et ultima ratio omnium quae extra ipsum exsistunt ;)
noster (Ejus enim qui fictor noster est, opus sumus. Deus pariter est noster, quia mirifice nos ornavit, redemit, adamavit).
Venite (invitamur ad novum eliciendum affectum)
exultemus (cordis gaudium vocis clamoribus significemus)
Domino : (quis ut Deus dignus est glorificatione ?)
jubilemus (tubarum etiam clangore demonstremus affectum)

Deo salutari nostro (Fecit nos Deus, ut beatitate frueremur perenni ; redemit nos ne suos socordia amitteret ; gubernat, dirigit, allicit, ut secure suaviterque nos ad finem deducat praefinitum).

98. Dominica XVIII post Pentecosten. [1]

De Deo Consolatore.

Reminiscere verba beati Job : « Militia est vita hominis super terram. » 7, 1.

Ausculta Jesum suos monentem : « In mundo pressuram habebitis. » J. 16, 33.

Dixerat tamen : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis ; non quomodo mundus dat, ego do vobis. » J. 14, 27.

Da (De fonte illo inexhausto aquas petimus vivas.)
pacem, (Pax, quam petimus, duplex est : — *cordis tranquillitas* ob cessantem incursionem diaboli, tentationem carnis, et sollicitudinem vitae humanae ; et *mentis securitas* quoad munera et officia vitae rite peragenda, et quoad cœlum tandem adipiscendum.

Inter mortalis hujus cursus vigilias, insidias et pugnas, da, Domine, pacis intervalla, ut spiritus tecum paullo respiret.

O suavis immunitas passionum ! O quieta saeculi incuria ! O dulcis pax bonae conscientiae ! O ineffabilis fiducia cœli tandem capessendi !)
Domine, (Nomen hoc sacrum corde et ore saepe proferatur.)
sustinentibus te, (Quid est sustinere Deum ? Fiduciam in

1. Introitus. Eccli. 36, 18 ; Ps. 121, 1.

eo collocare, ipsum avide desiderare, cetera propter ipsum renunciare, ipsi arcte adhaerere, ipsumque semper diligere.)

ut Prophetae tui (qui oracula sunt promissionum divinarum)

fideles (i. e. veraces) *inveniantur* : (Nam vaticinati sunt prophetae, ut congregarentur omnes tribus Jacob eo ubi una omnes Deum agnoscerent, et gloria Sion dilectae restauraretur. Plenus divinae promissionis eventus expectatur.)

exaudi (ergo) *preces servi tui* (in textu hebraico : *supplices tui) et plebis tuae* (Cœtus fidelium, licet exiguus, vim divina habet ex promissione ad impetrandum Dei praesidium).

Israël (Populi adeo dilecti, ut Deus illum vocaret primogenitum suum : [Quanto vero magis nos Deus amavit in Filio !)].

Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi : (quod hic licet interpretari de laeto animo, quo quis sacrificium missae expectat mane :)

in domum Domini ibimus, (altare nostrum sanctuarium est Dei viventis, et ecclesia figura quaedam Jerusalem coelestis).

99 Dominica XIX post Pentecosten.[1]

De Deo Salvatore.

I. *Deus salus nostra.*

Salus populi (Ipse quidem Deus salus est nostra in tempore tribulationis. » Is. 33, 2.

1. Introitus. Ps. 77, 1.

1. Nos adjuvat solatio ;
2. Mala quandoque tollit penitus, saepius lenit, semper coronat.)

ego sum, (Ipse nobis prope et intus est dum variis hujus vitae fortunis cruciamur. Ipse robur nostrum verum et permanens : « Vana salus hominum. » Ps. 36, 39.)

dicit Dominus : («Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ? Ps. 26. 1. « Salus autem justorum a Domino. » Ps. 36, 39.)

II. *Deus refugium nostrum :*

de quacunque tribulatione (sive mentis, cujus sollicitudine irritamur, sive negotiorum, quibus nimis distenti sumus, sive voluntatis, qua meliora semper anhelamus numquam contenti, sive societatis familiaeve nostrae, qua continuo vexamur, sive conscientiae, qua peccata deflemus et timemus)

clamaverint ad me, (Nulla facta doloris distinctione, ad praesentem Salvatorem sponte confugiamus.)

exaudiam eos : (Verba sunt promissionis saepius repetitae; ea igitur accipiamus, eorumque fiduciam habeamus. » In tribulatione dilatasti mihi. » Ps. 4. 2.)

et ero illorum Dominus (qui curam suorum habet benignam) *in perpetuum* (est enim et manet Dominus idem semper).

Attendite, (intelligite, recogitate, ob oculos servate) *populе meus*, (Gloriam Dei, quam primario intendit, nostri est tamquam ministrorum propriorum praestare.) *legem meam* : (Quaenam praecepta legis divinae me magis spectant, vel difficiliora, mihi esse videnter ?)

inclinate aurem vestram (auscultate corde docili) *in verba oris mei*. (Quam suavia sunt verba praecepti vel consilii ex ore Dei promanantis !)

100. Dominica XX post Pentecosten. [1]

De Deo justo ac pio Gubernatore

Omnia, (grandia, parva, pulchra, bona)
quae fecisti nobis, Domine, (Fecit quidem naturam humanam cum dotibus suis egregiis, sed labilem et imperfectam ; at vero « mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. Creavit enim ut essent omnia ; et sanabiles fecit nationes orbis terrarum. » Sap. 1, 13. 14.)
in vero judicio fecisti : (sive juste et misericorditer nos puniendo, sive probando ; attamen « non sinit vos tentari ultra id quod potestis; sed facit etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. » 1 C. 10, 12 ;)
quia peccavimus tibi, (Legem nempe scientes violavimus ; venam aquarum viventium dereliquimus. Lex autem moralis divina vox est atque voluntas ; nos vero Deo necessario sumus subditi.)
et mandatis tuis non obedivimus : (Quomodo de Judaeis id verum fuit ? et quo sensu mihi etiam potest illud applicari ?)
sed da gloriam nomini tuo : (Nam gloria nomini tuo praestanda ultima est et dignissima ratio ob quam exsistimus.)
et fac nobiscum (tuo amabili beneplacito penitus dimittimus totum negotium nostrum ;)
secundum multitudinem misericordiae tuae. (Tanta enim est Dei miseratio, ut quantamvis magnam copiam quis de ea hauserit, majorem semper praesto habiturus sit hauriendam. « Amantissimo igitur Deo mala nostra,

1. Introitus. Dan. 3, 27-42; Ps. 118, 1.

etsi tristitiam non inferunt, vehementer tamen displicent, tantoque magis ad miserendum movent, quod ipse solus iis perfecto potest mederi. Itaque ad se nos vocat : Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ; et quicunque inde a lapsu generis humani fecit et adhuc facere disposuit, illa ejus incomprehensibilia judicia et investigabiles viae, ad hoc diriguntur, ut omnium misereatur. » Kleutgen, De Ipso Deo, n. 597).

Beati (qui in via sunt felicitatis supernae)

immaculati in via : (sine naevo morali fulgent proprio animae splendore :)

qui ambulant in lege Domini (sese ad opus erigunt, enituntur ad finem praestitutum, rectoque semper pergunt tramite).

101. Dominica XXI post Pentecosten. [1]

De Deo rectore supremo.

1. Summus et in se beatissimus Deus ab aeterno plene sibi suffecit. Exstitit ipse solus ; cetera nihil erant nisi in cognitione divina. Attamen pariter ab aeterno statuerat sola suae voluntatis determinatione et bonitate, quaedam e nihilo verbo suo evocare, et in esse stabilire, iisque conferre quidquid prorsus realitatis haberent. Cursum denique rerum generatim praefinivit, legem singulis statuendo : hinc Mardochaeus verbis istis Dominum salutat : —

In voluntate tua Domine, universa sunt posita :

2. Quoniam Deus omnia extra ipsum e primis erexit et

1. Introitus. Esther 13, 9-11 ; Ps 118, 1.

constituit fundamentis, omnemque eis vim tribuit,quae tamen, utpote finita, ineffabiliter distant a vi ac robore Causae ipsius primae, patet simplex veritas, quae in laudem Dei omnipotentis a viro illo sancto profertur :

et non est qui possit resistere voluntati tuae:

3. Ratio divinae praestantiae in eo sita est, quod res universas ab imo ipsorum esse totaliter condidit atque conservat, id quod hinc potentiam exigit infinitam, illinc vero includit creaturarum defectum inamovibilem; adeoque laudatur Creator verbis istis : —

tu enim fecisti omnia :

4. Inter universa Creatoris opera nihil vastius coelorum immensurabilibus spatiis, nihil pulchrius ac splendidius tellure nostra, nihil magis admirabile planetarum astrorumque motu et ordine ; igitur in laudem opificis divini canimus : — tu fecisti

coelum et terram, et universa quae coeli ambitu continentur.

5. Nihilominus quid ista omnia, si cum viro justo conferantur ? Is novo beatitudinis titulo insignitur : —

Beati (Nam ex visibilibus soli homines divinae societatis capaces existunt.)

immaculati (Deo similes fiunt, qui voluntatem suam cum divina conformare student.) *in via* : (i. e. in via ad beatitudinem :)

qui ambulant (patienter, continuo, in aestu frigore et pluvia)

in lege (qua juste et veraciter obstringuntur et ducuntur)

Domini (Quantum eminet ille super legislatores humanos !).

102. Dominica XXII post Pentecosten. [1]

De Deo benigno et clemente.

1. Identidem ad Deum colendum revertimur post labores, negotia, distractiones, studia ; attamen, si nosmetipsos rite cognosceremus, ut par esset, quanta essent indignitatis nostrae sensa. Onerant enim nos peccata, quae voluntaria pervicacia patravimus, vel quae negligentia culpabili irrepere sivimus ; animam generosam contristant imperfectiones et ignavia. Nihilominus judiciae pleni clamamus :

   Si iniquitates observaveris (strictim scrutatus fueris, *Domine, Domine, quis sustinebit* ? (Omnibus tunc foret desperandum. Nota quam pie ac fidenter repetatur nomen Dei gloriosum.)

2. Sicut Deus sui ipsius in omnibus ratio est, et omnium perfectionum radix, ita quoque in sua erga labiles suas creaturas habitudine. Hinc non est tam supplicis creaturae petitio, quae Deum movet, quam Dei ipsa bonitas, quae cupit a dilecta sua creatura flagitari. Adeoque merito dicitur :

   Quia apud te propitiatio est,

   Deus Israël (Deum vocare sub titulo populi sui habetur tamquam motivum illi carius et magis efficax).

3. *De profundis* (Quid aptius exprimit hominis dolorem sive in hac vita sive in futura ?)

   clamavi (anima naturaliter proles divina ad conditorem suum vocem attollit.)

---

1. Introitus. Ps. 129, 3. 4. 1.

ad Te, Domine, (Quis est ille ? quantus ? quid erga me ?)

DOMINE, (Etiam atque etiam nomen Patris divini pio affectu repetitur.)

exaudi vocem meam (vocem ipsam meam benigne suscipias ; etenim ego homunculus cum Deo meo conversari audeo.)

103. Dominica XXIII post Pentecosten. [1]

De Deo pacis

. Vita humana militia est et lucta continua, ubi perpetuo vigilare opus est, et vulnera aegre vitamus. Sors vitae in manibus nostris, nec mirum quod Dominum judicem reformidemus ; ipsum tamen audiamus :

Dicit Dominus : (Loquitur ille, qui est ; mente defixa auscultemus.)

Ego cogito cogitationes pacis, (Vult nobis sese ostendere benignum et suavem ; cupit omnium tranquillam felicitatem ; super omnia exoptat exitum prosperum opificii sui ; desiderat, hortatur et adjuvat, ut nos finem, ad quem conditi sumus, adipiscamur.

et non afflictionis : (peccata, dolores, damna, judicia tribunalia, sententias, poenas, carceres haudquaquam vult vel intendit :)

2. Quid igitur nobis praestandum cujuslibet doloris onere oppressis ? Quidquid feceritis, cujuscunque sceleris labe maculati, vel inqua vis constituti aerumma—) *invocabitis me,* (sive corde sive ore, sive privatim sive publice)

---

1. Introitus. Jer. 29, 11-13 ; Ps. 84, 2.

et ego exaudiam vos : (promissio sincera et firma : petitiones recipiet et petentibus satisfaciet :)

et reducam captivitatem vestram (Loquitur quidem Dominus de futuro Israëlitarum reditu in urbem sanctam. Idem non immerito intelligi poterit de liberatione a peccatis quotidianis defectibusque nostris, et de transformatione in virum perfectum, et tandem de translatione in habitationem urbis cœlestis.)

de cunctis locis (De remotissimis terrae partibus homines ad civitatem pacis beatae pariter confluent. Ex quavis indole eademque non miti et docili tantum, sed et immiti ac pervicaci, ex omni circumstantiarum diversitate, ex omni stirpe et familia numerus turbae cœlestis implebitur).

3. *Benedixisti,* (verbo fecundo, impulsu permanente) *Domine,* (cujus voluntatis proprium est esse efficacem) *terram tuam* : (mundum cum viribus suis et ornatu naturali, mundum cum gratiarum copia) *avertisti captivitatem Jacob* (fiduciam habe, auxilium pete, gratias age).

Festa Domini per annum occurrentia.

104. In festo Sanctissimi Nominis Jesu.

i. Cogitabo angelum dicentem Mariae : « Et vocabis nomen ejus Jesum. L. 1, 31.
ii. Jesum precabor nominis sui amorem fervidum.

---

1. Sicut necesse fuit, ut Filius Dei incarnatus speciali aliquo nomine designaretur, ita decuit plane : —
   1. ut nomen a Deo patre determinaretur ;
   2. ut ejus origo divina hominibus innotesceret ;
   3. ut munus Dei-hominis dilucide significaret.

   Haec autem omnia in sanctissimo nomine Jesu verificata sunt.

II. « Jesus »igitur connotat, — naturam humanam, — Dei misericordiam, — Christi amorem nostri vere sublimem, — personam Verbi incarnati.

III. « Jesus » est nomen quod stat pro Verbo Dei in *fastigio* suae erga nos dilectionis.

« Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. » Nomen est honoris, amoris, suavitatis, spei, gaudii, fiduciae. « Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. » Heb. 2. 17.

V. Jesus nobis aliud non significat nisi *Deum nobis factum Salvatorem*. Sed de nostra intelligentia hujus mysterii quam vera sunt monita S. Pauli : « De quo (i. e.

Jesu) grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum : quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus : rursum indigetis ut vos doceamini quae sint elementa exordii sermonum Dei. » ib. 5, 11. 12.

Nihil in eo terrificum, nihil austerum, nihil quod peccatores vel socordes repellat, sed solum id continet et prae se fert, quod homines potenter ad se alliciat.

Dulcedo ineffabilis.

Totus desiderabilis.

« An non toties confortaris, quoties recordaris ? Quid aeque mentem cogitantis impinguat ? Cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate et sanctitate conspicuum. eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanet, et roboret adjutorio. » S. Bern. in. Can. xv. n. 6. II, 2744-5.

105. In Festo Sanctissimi Nominis Jesu (2).

i. Mente revocabo verba consolationis Sancto Joseph ab angelo exhibita, quae sic terminantur; « Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » M. 1, 21.

ii. Hujus salvifici nominis memoriam perennem a Jesu deprecabor,

---

1. Nomen est *aeternum* :
   a. Ab aeterno praedestinatus est Jesus Salvator noster. « Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum. » Eph. 1, 5.
   b. In aeternum perdurabit. « Jesus Christus heri, et hodie : ipse et in saecula. » Heb. 13, 8.

2. Nomen a *Deo datum* est nuntio angelico : « Et vocabis nomen ejus Jesum. » L. 1, 31.

3. A prophetis constantissime praenuntiatus est Messias tamquam *Salvator* : « Et dixit (Dominus) : Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et faeces Israël convertendas : ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. » Is. 49, 6.

4. Nomen illud excellenter respondet *conditioni Verbi* in assumpta natura : « Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat. » L. 19, 10.

5. Christum designat. Nomen Jesu Christum designat, ut Salvatorem verum, eum nimirum, qui *totus in eo est*, ut nos, sanguine suo redemptos, adjuvet, ac misertus nostri nos mundet, cibet, ad gloriam invitet et deducat, quique ut Salvator cum suis triumphans regnabit.

6. Ille, cui nomen est Jesu, Salvator est *omnium* : « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Qui dedit redemptionem semet-ipsum pro omnibus. » 1 Tim. 2, 5. 6.

Ab omnibus peccatis horumque sequelis nos salvat : « Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : ut peccatis mortui, justitiae vivamus : cujus livore sanati estis. »1 Pet. 2, 24.

7. Jesus vult mihi *dulcissimus* et *familiarissimus* esse : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » M. 11, 28.

8. Jesus mihi totus est. Numquid ego dimidiatum cor illi offerre non erubescam ?

Quid habeo quod hodie Deo meo Salvatori offeram? *Te nostra, Jesu, vox sonet* (« Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia... in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.» Col. 3, 16).

Nostri te mores exprimant (« Filioli mei, quos iterum

parturio, donec formetur Christus in vobis. » Gal. 4, 19).

Te corda nostra diligant (« Quis ergo nos separabit a caritate Christi ? » R. 8, 35.)

Et nunc et in perpetuum (« In his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. » R. 8, 37).

106. « Jesu rex admirabilis. »[1]

Jesu rex admirabilis (« Principatus super humerum ejus, et vocabitur Admirabilis. » Is. 9, 6),

Et triumphator nobilis (« Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre in throno ejus. » Ap. 3, 21),

Dulcedo ineffabilis (« Venite : discite a me : invenietis requiem : »),

Totus desiderabilis (« Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne. » 1 T. 3, 16)

Quando cor nostrum visitas (« Ecce sto ad ostium, et pulso » etc. Ap. 3, 20),

Tunc lucet ei veritas (« Qui sequitur me non ambulat in tenebris. » J. 8, 12),

Mundi vilescit vanitas (« Propter quem (Jesum) omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. » Phil. 3, 8),

Et intus fervet caritas (« Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. » Phil. 1, 21).

Jesu, dulcedo cordium (« Et pax Christi exultet in cordibus vestris. » Col. 3, 15),

Fons vivus, lumen mentium (« Forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. » J. 4. 10),

---

1. Hymnus ad Mat. festi

Excedens omne gaudium (« Scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. » Eph. 3, 19),

Et omne desiderium (« Haec est autem vita aeterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. J. 17, 3).

Jesum omnes agnoscite (« Ego autem non ab homine testimonium accipio : sed haec dico ut vos salvi sitis. » J. 5, 34),

Amorem ejus poscite (« Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. » 1 C. 16, 22) :

Jesum ardenter quaerite (« Ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum ejus : configuratus morti ejus : sequor autem, si quo modo comprehendam.» Phil. 3, 10. 12),

Quaerendo inardescite (« Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. » Gal. 2, 20).

107. Laus nominis Jesu.

1. Nominis sacratissimi impositio :

« Vocabis nomen ejus JESUM ; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » M. 1, 21.

« (Ad circumcisionem) Et vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur. » L. 2, 21.

2. Nominis praestantia :

« Non enim est aliud nomen sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.» Act. 4, 12.

« Deus donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

Ut in nomine JESU omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum. » Phil. 2, 9-10.

« Confitemini Domino, et invocate nomen ejus ; mementote quoniam excelsum est nomen ejus. » Ex Officio festi.

3. Cultus nominis :

« Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini JESU Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. » Col. 3, 17.

4. Gloria nunc reddatur nomini JESU, qui est ; —

VERBUM CARO FACTUM.

Redemptor omnium : « Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. » 1 J. 2, 2..

Frater : « Participes enim Christi effecti sumus. » Heb. 3, 14.

Suavissimus medicus : « Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat. » L. 19, 10.

Via (per exemplum) : « Exemplum dedi vobis. » J. 13, 15.

Veritas (per doctrinam).

Vita (per gratiam) : « Ego sum vitis, vos palmites. J. 15, 5 ; (et per gloriam) « Et ego resuscitabo eum in novissimo die. » J. 6, 40.

Cibus : « Qui manducat me, et ipse vivet propter me. » J. 6, 58.

Victima nostra : « Pascha nostrum immolatus est Christus. » 1 C. 5, 7.

Amicus indefectibilis : « In finem dilexit eos. » J. 13, 1.

Amor : « Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. » J. 15, 9.

Adjutor : « Ego reficiam vos. »

108. De sanctissimo nomine Jesu. [1]

Sit Jesus in corde tuo in omni loco et tempore, in labo-
e et quiete.

Sit vita tua, lectio tua, meditatio tua, locutio tua. Ipse
esiderium tuum, lucrum tuum, tota spes tua et merces
ua.

Quis te *consolabitur*, si non ipse fuerit consolator ? Et
iam infirmitatem quis clementius feret, nisi qui cuncta
ine onere portat ? Cui etiam tutius revelabis, si quid
iste habueris, nisi omnia plene scienti ? Aut cui magis
dem dabis, nisi non fallenti veritati ?

Libenter esto solus cum solo. Nunquam est solus nec
otus derelictus, cum quo dulcissimus est Jesus.

Ipso praesente, quid jam deesse poterit ? Nullus locus
am solitarius sit, in quo Jesus priorem locum non habeat.
ine illo omne secretum tumultus ; cum illo omnis locus
uietus et delectabilis. *Dulcius est, esse cum illo in cruce,*
uam sine illo in paradiso.

Gratiam ejus et praesentiam summe caveas violare,
uia illo offenso quid pacis habebis ?

Si perditus est Jesus, quae tunc laetitia potest esse in
orde hominis ? *Qui perdidit Jesum, perdidit plus quam*
niversum mundum. Nulla major gravitas quam ut perdi-
i dicatur maerentium jucunditas. *Sine Jesu totus mun-*
us taedium est et onus.

---

1 Ex operibus Thomae a Kempis, cit. a Gerlach, p. 128.

109. In festo Orationis Domini nostri Jesu Christi.

De humilitate Christi.

i. Scenam in horto mente depingam.
ii. Donum flagitabo humilitatis.

I. Christi *ad Patrem subjectionem* ostendunt —
1. oratio humilis : « Non mea sed tua voluntas fiat. »
2. infirmitatis confessio : « Si possibile est, transeat a me calix iste. »
3. orationis repetitio : « Oravit tertio, eundem sermonem dicens. »
4. genuflexio : « Positis genibus. »

II. *Hominis humiliatio* cernitur in eo quod —
1. coepit taedere, pavere, et moestus esse ;
2. sanguinem sudat ;
3. omnium delicta in se suscipit.

III. *Creaturis* Dominus Salvator se voluntarie subjecit —
1. angelo a quo confortabatur ;
2. apostolis : *a*. quorum cooperationem et consortium petebat : « Vigilate mecum. »
   b. quibus etiam fassus est suam tristitiam usque ad mortem ;
   c. quatenus tandem subiit confusionem desertionis : « Omnes, relicto eo, fugerunt. »
3. traditori, cui benigne « Amice » dixit, « ad quid venisti ? » Nec osculum negavit ;
4. militibus, in quos potestatem suam clementer cohibuit : « An putas (dixit), quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duode-

cim legiones angelorum ? » M. 26, 53. Sivit etiam se comprehendi, dicendo : « Haec est hora vestra et potestas tenebrarum. »

IV. Humilis demum Salvatoris *magnanimitatem* contemplabor, qua —

1. ad orationem prolixam accessit ;
2. cohortem audacter recepit : « Surgite eamus. »
3. turbam fortiter allocutus est : « Quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis. » M. 26, 55.
4. Malchi hostis auriculam sanavit ;
5. Suis animose praecavit : « Sinite hos abire. » J. 18, 8.

110. In festo Passionis Domini nostri Jesu Christi.

De humilitate Christi patientis.

« Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. » Heb. 12, 2.

---

1. Verbum Dei altissimi, e supernis descendens ad exilem conditionem nostram, dira passum est, ac cruci affixum summa ignobilitate mortuum est. Christus in se abundanter implevit praeceptum divinum : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus. » Eccli. 3, 20.

2. Christus Deo Patri in omnibus *se subjecit* :

« Non mea voluntas, sed tua fiat. » L. 22, 42.

« Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. » L. 23, 34.

« Deus meus, Deus meus, quid dereliquisti me ? » M. 27, 46.

« Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. » L. 23, 46.

3. « *Humiliavit semetipsum* factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Phil. 2, 8 : « factus obediens, » a Patre Christus praeceptum durissimum accepit. Omnem in se admisit passionis indignitatem, contumeliam, ignominiam et dedecus, ita ut revera vermis et non homo, novissimus hominum et abjectio plebis evaderet. Et « Eum, qui non noverat peccatum, (Deus) pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. » 2 Cor. 5, 21. Dolorosissimam denique satisfactionis poenam pro nobis in se sustinuit.

4. Attamen una cum passionis ignominia humiliationis praemium praeclare annuntiatur : « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. » Phil. 2, 9.

5. Hinc si quaeris quaenam veritas prima sit in religione ac disciplina Christiana, accipe responsum magni Augustini : « Ea est autem prima, humilitas ; secunda, humilitas ; tertia, humilitas : et quoties interrogares hoc dicerem ; non quo alia non sint praecepta, quae dicantur ; sed nisi humilitas omnia quaecumque bene facimus et praecesserit et comitetur et consecuta fuerit, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. » Ep. 118. Ad Diosc. n. 22. M. 2, 442.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

III. In festo Spineae Coronae Domini nostri Jesu Christi.

De humilitate Christi regis coronati.

i. Christum contemplabor spinis coronatum, indutum veste purpurea, cum arundine in manu, quem milites tamquam fictum regem ludibrio colunt.
ii. Spiritum quo regem meum animatum video supplex obsecrabo.

I. Christus Salvator —

1. *Rex est coeli* ; Deus enim erat : « Dominus dominorum est, et rex regum : » Ap. 17, 14.

« Omnia subjecta sunt ei ; sine dubio praeter eum qui subjecit ei omnia. » 1 Cor. 15, 27.

2. *Rex est terrae* :

« Ego constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. » Ps. 2, 6.

« Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae. » ib. 8.

« Rex tuus venit. » Zach. 9, 9.

« Et regnabit in domo Jacob in aeternum. » L. 1, 32.

3. *Legifer* noster est : —

a. Omnibus enim dicit : « Mandata mea servate. » J. 14. 15.

b. Legem veterem perficit et extendit : « Ego autem dico vobis. »

c. Legem pariter orbi imponit universo : « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... Docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis. » M. 28, 18-20.

d. Legem fert novam : « Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » J. 13, 34.

« Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » J. 6, 54.

e. Sacerdotibus dat legem corpus et sanguinem Christi conficiendi : « Hoc facite in meam commemorationem. » L. 22, 19.

II. *Ignominia Regis Christi* : —

1. Convocatur *tota cohors* ad illudendum ei.
2. Super scamnum quemdam ad instar throni eum sedere fecerunt.
3. Pallium detritum sordidumque induunt illum.

Pro diademate gloriae, miseriae coronam imponunt.

Pro sceptro regni aeterni, arundinem ponunt in manu ejus dextera.

Pro debito honore, illudentes genuflectunt dicentes : « Ave Rex Judaeorum. »

4. Dona regi oblata sunt : sputa, alapae, instrumenta ignominiae et doloris ; caput arundine percutiebant, et lassa Christi membra taedio summo afficiunt. At humillimus Rex noster non aperuit os suum.

O delicate et ignave discipule ! ut quid a Magistro tantum distas ?

112. In festo Lanceae et Clavorum D. N. J. C.

i. « Et aspicient ad me, quem confixerunt : et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. » Zach. 12, 10.

ii. Jesum precare compatiendi affectum.

I. Veneranda passionis instrumenta lancea et clavi sponte in memoriam revocant : —

1. manus transfixas : « Foderunt manus meas : » Ps. 21, 17, quibus paulo ante, pridie scilicet quam pateretur, dederat corpus suum in cibum nostrum ;
2. pedes confossos, quibus tanto amore, labore et sudore Palaestinam peragraverat, ut Evangelium pacis et salutis annuntiaret ;
3. latus transverberatum : « Lancea latus ejus aperuit. » J. 19, 34 ; Jesus enim dignatus est recipere in demortuum suum corpus id quod miles intendit tanquam misericordiae ictum, subdubitans fortassis ne mortuus esset. S. Cyrill. Alex. in h. l.
4. dolorem ex manibus tranfixis intolerabilem, et ex aperto corde sanguinis profluvium usque ad novissimam guttulam ;
5. mortem Christi veram, a milite recognitam, et ob crudele vulnus lanceae adhuc certiorem effectam.

II. Lancea et clavi summae impietatis instrumenta fuerunt :

« Sed in ministra gratiae
Vos vertit e cœlo Deus. »

III. Haec supplicii instrumenta indicia sunt divini in nos amoris : « vulneratus est propter iniquitates nostras. » Is. 53, 5 ; redemptionis copiosae ; patientiae incomparabilis : « Vere languores nostros ipse tulit. » ib. 4.

« Per foramina corporis patent mihi arcana cordis... et viscera misericordiae. » S. Aug. Manuale. c. 21. M. 6, 960.

113. In festo Sacratissimae Sindonis D. N. J. C.

« Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone. » Mc. 15, 46.

« Dignus est Agnus qui occisus est, accipere.. honorem, et gloriam, et benedictionem. » Ap. 5, 12.

---

1. *Vera mors* perpendatur Salvatoris : —
   1. « Et clamans voce magna Jesus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et haec dicens, exspiravit. » L. 23, 46.
   2. Ictu lanceae latus transfigitur.
   3. Joseph petit corpus ; centurio accersitus mortem attestatur. Corpus donatur sepeliendum. Christus nobiscum associatur usque ad tumulum.

2. *Qualis Sindon* ?
   a. Munda (Sitque omne donum tuum a defectu immune). Additurque ingens aromatum abundantia (Sisque et tu cum Domino generosus).
   b. Linteum textura subtilius (Quod Deo offers, quantum fieri potest, dignum sit).

3. Sacri corporis *depositio* pensetur.
   a. Quinam id effecerunt ? Quaenam adstiterunt ?
   b. Quonam cordis affectu id fecerunt, vel fieri conspexerunt ?
   c. Quibus et teipsum adjunge dicens :

« O quam nudum hic Te cerno,
Vulneratum, et distentum,
Inquinatum, involutum
In hoc sacrato tegmine. »

4. Divinae victimae contemplare *vulnera*, livores, tumores, pallorem, corpus frigidum.

Aspice quanta reverentia corpus lavent, sindone involvant, fasciis cum aromatibus ligent.

Victima sacrificii oblata est : Morte vitam protulit.

« O admirabilis Sindon, in qua involutus est thesaurus noster, redemptio captivorum. » Resp. 1. Noct. ii festi.

5. In te sensa responsorii octavi excites haec proferentis: « Haec est Sindon dignissima, in qua salutis auctor de cruce depositus involvi dignatus est. Ut nos consepulti cum eo (R. 6, 4), veteris hominis exuviis depositis, innocentiae sindone tegeremur. »

6. Nonne post sacram communionem idem corpus recluditur in pectore tuo tamquam in sindone viva ?

114. In festo Quinque Plagarum. D. N. J. C.

i. Pie respice Dominum Salvatorem crucis hostiam ineffabilem Patri offerentem. Vide manus, vide pedes, caput venerandum, corpus totum sanguine rubescens. Vide militem hasta sua cor Domini tui transfigentem.

ii. In coelum conscende, et cum Joanne contemplare « Agnum stantem tanquam occisum. » Audi grandem illum canticum : « Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem... et benedictionem. » Audi pariter ingentem illum creaturarum omnium clamorem : « Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum. » Ap. 5, 12. 13.

iii. Recogita suaviter dictum prophetae : « Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras. » Is. 53, 5.

---

1. Vulnera contemplare tamquam *centra doloris* : partes nempe corporis valde delicatae perforatae sunt, ubi

nervi multi et sensus acuti Manus et pedes confossi sunt immitibus clavibus ; pondus corporis magna ex parte inde pendet : brachia crudeliter sunt distenta.

Quid feci ego manibus vel pedibus, quod Christum potuit cruci affigere ?

An ego pedibus (eundo et itinera faciendo), vel manibus (serviendo) aliquid pro Magistro meo sustinui ?

II. Vulnera ista pro homine sunt *rivuli salutis*.

Sanguis ex apertis fontibus copiose manavit in sacrificium et salutem. Madidis oculis conspice Agni immaculati mactationem.

Decurrit sanguis vivificus, tingit corpus et lignum, defluit in terram ; adorant angeli.

Nunc, Domine, occideris, et redimis nos pretioso tuo sanguine : et qui eramus longe, facti sumus prope in Christi sanguine. (Eph. 2, 13), qui ex his plagis copiosius effusus est.

III. Vulnera Christi *amoris pignora*.

Beatae *manus* illae, quae omnibus benedicebant, infirmos sanabant, quae pro nobis in oratione extendebantur. Beati *pedes* evangelizantis pacem et bona. Beata victima in qua a planta pedis usque ad verticem capitis non est inventa sanitas. O beatissimum cor, quod etiam post mortem amoris instinctu vulnerari voluit !

115. De Quinque Vulneribus.

« Vide totum corpus, sicubi rosae sanguineae florem non invenias.

Inspice manum unam et alteram, si florem rosae invenias in utraque.

Inspice pedem et unum et alterum : numquid non rosei Inspice lateris aperturam, quia nec illa caret rosa. »

Inter Opp. S. Bernardi, De Passione Dni. c. xli. n. 132-3. III, 968.

---

1. Vulnera ista Christo afferunt cruciatum immanem, sunt enim foci doloris acutissimi, tum propter membrorum suorum exquisitiorem compagem, tum propter pondus corporis suspensi.

Affectus compatiendi cum Christo eliciam.

2. Vulnera Salvatoris signant ingratitudinem nostram.

Manus istae, quas diris nunc clavis video transfixas, universa potuerunt fabricare, — morbus sanaverant, — mortuos suscitaverant.

Pedes nunc foraminibus confossi ambulaverant per totam fere terram Israel, quando labore, sudore et amore Jesus novum evangelium praedicabat.

Cor Jesu receptaculum et instrumentum fuit amoris, beneficientiae, benignitatis, misericordiae divinae. Illud jam mortuum lancea perforatum est et violatum.

Affectum ostendam reparationis.

3. Mihi plagae istae indicia sunt dilectionis ineffabilis, misericordiae, et fundamentum spei immobile.

Cor, quo Christus nunc erga me afficitur, idipsum est quod amore mei jam lancea transfixum fuit. Manus et pedes pari dilectionis sigillo fulgent. Manus perforatae me nunquam arcebunt, sed adjuvabunt, confortabunt, benedicent.

« Salve latus Salvatoris, salve mitis apertura,
Super rosam rubicunda, medela salutifera.
Manus sanctae vos avete, diris clavis perforatae :
Ne repellas me Salvator de tuis sanctis pedibus. »

4. *Oculis* intuebor foramina, clavos, cuspidem, sangui-

nem Dei per latera et membra Jesu distillantem, livorem et tumorem.

Digitis palpabo carnem virgineam, vulnerum decus roseum.

Ore singulis oscula infigam. Omnia complectar ; sunt enim amicissimi mei magistri : mea sunt, quia propter me vulneratus est Dominus.

Haec tamen in affectu sunt. Quid in opere facere propono ? Quodnam vulnus ego pro Christo accepi vel accipere cupio ? Ubi mea abnegatio ? ubi resolutio generosa ? ubi opus revera virile ?

116. In festo Exaltationis Sanctae Crucis. [1]

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. » Gal. 6, 14.

Gloriari in cruce est in sinu gaudere :

1. De *amore* Christi crucifixi erga nos. Christus etenim in cruce dilexit nos plus quam —
   a. sanguinem suum, quem pro nostra ablutione fudit : « Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Ap. 1, 5.
   b. animam, quam pro nostra redemptione posuit : « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » J. 15, 13.
   c. vitam, quam dedit ut nos vivificaret : « Mortem nostram moriendo destruxit. »
   d. corpus, quod percutienti, ne homo percuteretur, apposuit : « Propter scelus populi mei percussi eum. » Is. 53, 8.

1. Sermo S. Thomae in hoc festo.

2. De maximis *bonis*, quae nobis per crucem contulit quippe quod —
   a. ab inferno nos liberavit : « Morsus tuus ero inferne. » Os. 13, 14.
   b. virtutem peccati debilitavit : « Vetus homo noster crucifixus est. » R. 6, 6.
   c. diabolum expugnavit : « Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium. » Heb. 2, 14.
   d. mortem superavit : « O mors, ero mors tua. » Os. 13, 14.
   e. coelum reseravit : « Et dabit clavem domus David super humerum ejus. » Is. 22, 22
3. De *exemplo* praestantissimo, in quo ipsum imitari debemus, nimirum :
   a. in charitate : « Majorem hac dilectionem nemo habet, » etc.
   b. in humilitate : « Humiliavit semetipsum. » Phil. 2, 8.
   c. in obedientia: «... factus obediens usque ad mortem.» ib.
   d. in patientia : « Qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste. » 1 P. 2, 23.
   e. in mansuetudine : « Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. » Jer. 11, 19.

117. In festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

i. « Et vidi ; et ecce in medio.. Agnum stantem tanquam occisum. » Ap. 5, 6.
ii. Pro hujus salvifici sanguinis fiducia Deo supplica.

Res sacrosancta est Sanguis, quem colimus : —

1. Sanguis est *Dei-Salvatoris* : videlicet, —
   a. Sanguis Jesu Nazareni, Verbi Incarnati ;
   b. Sanguis Christi nunc ad dexteram Patris regnantis ;
   c. Sanguis amabilissimi Cordis Jesu ;
   d. Sanguis praesens in Eucharistiae sacramento, mystice effusus et oblatus in Missae sacrificio, et qui nobis est factus « vere potus. »

2. Est redemptionis *pretium*, quo a vinculis soluti sunt omnes.

   « Habemus redemptionem per sanguinem ejus. » Eph. 1, 7.

   « Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi. » Heb. 10, 19.

   « Pacificans nos per sanguinem crucis ejus. » Col. 1, 20.

   Est sanguis « Agni qui occisus est. » Ap. 5, 12 ; sanguis Agni immaculati Christi. » 1 P. 1, 19 ; abluimur « sanguine Agni. » Ap. 12, 11.

   Est « pretium magnum. » 1 C. 6, 20 ; et « sanguis pretiosus. » 1 P. 1, 19.

3. Pietate vivaci contuere hujus sanguinis *aspersionem* sacrificalem :

   « Fudit multiplici vulnere sanguinem. »

   Sanguis sacratissimus exundat ex puncturis spinarum in fronte, ex capite et collo, et dorso et pectore, ex humero et genibus, ex manibus pedibusque, qui clavis transfixi sunt. ex corde demum lancea transfixo.

   « Quot scissa pellis undique stillat cruoris guttulas ! »

4. Est instrumentum operationis divino-humanae, qua ab offensis nostris in Deum commissis *abstergimur* :

   « In hoc salutis balneo qui se lavat mundabitur. »

   « Sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. » 1 J. 1, 7.

   « Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Ap. 1, 5.

118. In festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. (2). [1]

In coelo, testante S. Joanne, apostoli, et Christifideles Deo incessanter cantabant novum canticum, vel carmen triumphale Christi Salvatoris : —

1. *Thema carminis beatorum.*

Redemisti nos Deo in sanguine tuo (Singula verba meditare.)

ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione : (Hic admirare universitatem et unitatem regni Christi et Dei, in quo omnes adunantur suavi caritatis vinculo, visionis splendida revelatione, et gratiae gloria et elevatione.)

et fecisti nos Deo nostro regnum, (pulcherrimum, creberrimum, aeternum, sacrum, quia est regnum sanctorum cum ipso sanctissimo)

et sacerdotes (ex participatione cum sacerdotio Christi). Ap. 5, 9.

2. *Responsum peregrini terrestris.*

Misericordias Domini in aeternum cantabo (Quales et quantae sunt divinae miserationes erga me, familiam meam, gentem meam, genus humanum praesens, praeteritum atque futurum ? Adeo grandis est divina clementia, ut nullum iniquitatis monstrum ejus excedat benignitatem. Nequit bonus Deus nos non respicere, ut proprium suum opus, opus manuum, et oves pascuae ejus).

In generationem et generationem (per totam vitam ;

---

1 Introitus et Communio.

quod laudis debitum tamquam haereditatem sacram ad juniores transmittam ;)

annuntiabo veritatem tuam in ore meo (mentis aestimatione, cordis amore, et vocis exultatione). Ps. 88, 2

3. *Expectatio justorum.*

Christus (unctus a Deo, missus a Deo, Verbum Dei, Deus)

semel (actu plenissimo infinitae virtutis, quo et typus omnium victimarum est simul et rex omnium sacerdotum)

oblatus est (sacrificium verum et sanguineum ad peccata delenda)

ad multorum exhaurienda peccata : (ut omnes alliceret, et peccata penitus extingueret destrueretque eorum omnium qui ad eum confugiunt :)

secundo (in fine hujus cursus mundani) *sine peccato* (sine onere peccati, et cum apparatu judicis gloriosi) *apparebit* (propria voluntate, tempore determinato, ut remunerator) *expectantibus se* (quinam expectant ?), *in salutem* (ut secum educat eos in domum Patris). Heb. 9, 28.

119. In festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C (3).

« Quem dura moriens Christus in arbore
Fudit multiplici vulnere sanguinem,
Nos facti memores dum colimus, decet
Saltem fundere lacrimas » (Ex hymno ad Vesp.).

I. *Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus : non in aqua solum* (sicut Joannes Baptista), *sed in aqua et sanguine* (Ex Grad. 1 J. 5, 6).

Admirare prodigium gemini liquoris e latere Salva-

toris transfixo decurrentis. Attente perpendas mysterii significationem, qua per aquam baptismus, et per sanguinem eucharistia intelligitur, quae sunt novae legis sacramenta principaliora.

Considera porro quod ex effusi sanguinis immensi valore derivatur sacramentorum efficacia ad cunctorum vitam spiritualem renovandam, nutriendam et indies augendam.

II. *Tres sunt qui testimonium dant in coelo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus* : (Grad. 1 J. 5, 7).

Pater de coelo testimonium luculentum Christo praebuit post baptismum ejus : « Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua : et ecce aperti sunt coeli :.. et ecce vox de coelis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » M. 3, 16. 17 ; et rursus quando Christus testimonium Patris expresse appellavit, dicens : « Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de coelo : Et clarificavi, et iterum clarificabo. » J. 12, 28.

Verbum autem caro factum quum in vita tum in morte testatum est sermonibus claris et operibus divinis se esse Filium Dei.

Postremo Spiritus sanctus missionem Christi multoties sacravit ; maxime quidem in ipso incarnationis secreto exordio quando in Mariam supervenit, et sub initiis vitae publicae quando, « Jesu baptizato, et orante, apertum est coelum : et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum : et vox de coelo facta est ; Tu es filius meus dilectus. « L. 3. 22.

Paulo post Christus in synagoga verba vatis antiqui sibi palam applicavit : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me. » L. 4, 18.

et hi tres unum sunt. Pater, Verbum et Spiritus sanctus tres personae in una natura adoranda, quae eamdem

praebent testificationem. Testes profunde revereamur. Testimonium divinitus datum gratanter recipiamus.

III. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra : Spiritus, Aqua, et Sanguis :*

Hoc Spiritus testimonium jam Christus praenuntiavit, dicens : « Cum autem venerit Paraclitus... ille testimonium perhibebit de me. » J. 16, 14 ; ac rursus : « Ille me clarificabit. » ib. 16, 14.

Admirabilis quippe Spiritus divini afflatus die Pentecostes initium fuit testificationis numquam deficientis, qua Spiritus coelestis mentes hominum mirifice collustrat, corda corroborat, prodigia operatur, coetum fidelium sanctificat, mores humanos transformat. « Omnia quae Spiritus agit spectant ad opus Christi propagandum et perficiendum ; proin ad gloriam Christi manifestandam, ad efficiendum ut Christus colatur, honoretur, Deus ac Redemptor agnoscatur. » Knabenauer in J. 16, 14.

Aqua Christo Messiae testimonium praebuit in prodigioso aquae effluxu post cordis transverberationem a milite factam.

Christo mortuo,sangui se latere miraculose defluxit ; ac visis tot, quae occurrebant, portentis, clamabant adstantes : « Vere Filius Dei erat iste. » M. 27, 54.

Et hi tres unum sunt (unum testantur,Christum esse Dei Filium).

120. De sanguinis Christi multiplici effusione. [1]

In hac magnitudine passionis magnitudo consideretur caritatis : ardorem rosae caritatis, ruborem considera passionis.

1. Secundum Opusc. De Passione Domini. inter Opp. S. Bern. nn. 127-133. III, 962 sqq.

1. *In circumcisione*, quando nomen Salvatoris illi fuit impositum. Jesu innocentis hoc fuit initium martyrii, in quo nostri causa coepit sanguinem fundere, qui in salute tandem complenda totus esset effundendus.
2. *In sudore sanguineo.* « Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. » L. 22, 43-4. Ecce Creator meus pro me sanguineo cruore perfunditur, nec levi quidem, sed decurrente in terram... « Contritum est cor meum in medio mei. » Jer. 23, 9.. Scisso igitur corde interius, scissa est et exterius pellis nostri Salomonis : effusus est sudor sanguineus super terram.
3. *In vellicatione genarum.* Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.. Video ergo sacrilegas manus impiissimae gentis non saturatas colaphis et alapis ; sed etiam ad genarum ipsius vellicationem exarsisse, et a vultu quoque dulcissimo ad rubricationem rosae nostrae saguinem elicuisse...
4. *In flagellatione.* « Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. » Is. 53, 10. O quanta putas saevitia impiorum frementium, quanto fremitu saevientium flagellatum putas fuisse dulcem Jesum, qui venerat ut nos a flagellis liberaret aeternis... Si Deus haec voluit a Filio suo consubstantiali, quid exposcet a filiis adoptivis peccatoribus ?
5. *In coronatione.* Contemplare opprobrium et supplicium ejus.. Et licet in irrisione coronent ; tamen ignorantes et irridentes coronatum regem fatentur, quia regum est coronari.
6. *In crudeli executione*, in qua Christi sanguis fluxit ex genibus in frequenti sub cruce lapsu ; ex humeris, asperae crucis pondere sauciatis ; ex toto corpore, flagellis lacerato, cujus vulnera vestium exspoliatione horrenda recrudescebant ; ex manibus pedibusque clavis perforatis ; ex corde lancea transverberato.

« Contendunt passio et charitas : illa, ut plus ardeat ; ista, ut plus rubeat. » n. 132.

7. *In mystica effusione* quae quotidie per viginti saecula et in omni ferme orbis parte in Missae sacrificio peragitur.

121. De valore sanguinis Christi. [1]

« Venite comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. » Prov 9, 5.

« Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus. » 1 J. 5, 6.

« Redemisti nos Deo in sanguine tuo. » Ap. 5, 9.

Inaestimabilis valor sanguinis Christi in cruce effusi ex tribus praesertim nobis constat : —

1. *Ex virginali origine.*

« Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris : et flores mei fructus honoris et honestatis. » Eccli. 24, 23. « Ubi commode intelligitur *vitis* esse beata virgo, *uva* Christus, et *vinum*, Christi sanguis. Vinum igitur honoris ortum de flore vitis, est sanguis Christi pretiosus natus de virginitate. Multum igitur commendat sanguinis Christi nobilitatem et pretiositatem, quo a nulla, ut alius sanguis, corruptione, sed a virginali flore sumpsit exordium. »

Sane per conceptionem immaculatam singulariter inclyta virgo supra angelos ipsos praeparata fuit ad hanc pretiosissimam carnem et sanguinem Verbo ministrandum. Mirabiliter etiam a Spiritu sancto, obumbrata est ut nihil esset in corpore Christi quod divinam quamdam puritatem ac fulgorem non referret.

---

1. Secundum S. Th. Op. de Ven. Sacr. Altaris, c. 27.

2. *Ex pretio innocentiae.*

« Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt. » Ps. 93, 21. Quanto sanguis innocentior, tanto carior et pretiosior. Unde monet apostolus : « Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis.. sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati. » 1 P. 1, 18. 19. Christi humanitas illibata adhuc splendidior evasit candore sanctitatis divinae quacum hypostatice unita fuit.

3. *Ex praecelsa hujus sanguinis dignitate* orta ex unione cum divina persona. « Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem. » Heb. 2, 14.

« Filius Dei pro salute hominis habentis carnem et sanguinem assumpsit carnem hominis et sanguinem, et ita univit ea sibi et honestavit, ut vere possit dici Dei caro et sanguis : « Posuit vos (episcopos) regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. » Act. 20, 28. Ergo sanguis Christi vere est sanguis Dei ; ideo tam pretiosus, quod una gutta plus valet, quam totus mundus. »

122. De virtute sanguinis Christi.

« Hostias, et oblationes, et holocautomata pro peccato noluisti.. Tunc dixi : Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam. » Heb. 10, 8. 9.

« Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem : cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. » J. 13, 1.

---

1. Secundum S. Th. Op. de Venerabili Sacr. Altaris, c. 27.

Tria potissimum manifestant Christi sanguinis virtutem :

1. *Immensi debiti necessaria solutio.*

Debitum istud fuit reatus et poena peccatorum tum generis nostri ex infelicissimo nempe lapsu protoparentum, tum personalium a tot hominibus per tot saecula misere commissorum.

Adeoque « necesse fuit ad solvendum tantum debitum, et ad liberandum de inferni carcere genus humanum, Filium Dei hominem fieri omni creatura meliorem, et ipsum pro debito hominis occidi et sanguinem ejus fundi ».

« Filius Dei jubetur occidi ; ut vulneribus nostris pretiosi sanguinis sui balsamo mederetur. Agnosce, anima, quam gravia sint illa vulnera, pro quibus necesse est Dominum Jesum Christum vulnerari : nisi enim essent ad mortem aeternam, nunquam pro eis Filius Dei moreretur. » S. Bernardus.

2. *Summi amoris demonstratio.*

Amoris testimonium incomparabile quaere in humana nobiscum Christi societate, in documentis institutionis suae peramantis, et in suprema dilectionis tessera, quam moriendo legavit. « Vere copiosa Christi redemptio, quia undam sanguinis per quinque partes corporis largiter effudit, cum pro redemptione generis humani una gutta pretiosi sanguinis ejus sufficeret ; sed data est copia, ut magnitudine muneris virtus innotesceret diligentis. »

3. *Ineffabilis boni perditi recuperatio.*

a. *Libertatem* dedit *filiorum*, deleta servitute diabolica. « Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis. » J. 8, 36.

b. *Ostia* nobis pandit *coelestia*. « Christus per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. » Heb. 9, 12.

« Habentes itaque.. fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi. » ib. 10, 19.

c. Largitus est nobis *haereditatem* filiorum Dei. Secutus est Salvator consilium legis : « Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam... potest (propinquus ejus) redimere quod ille vendiderat. » Lev. 25, 25.

Quod Christus sanguinis sui pretio palam fecit.

123. De virtute sanguinis Christi (2). [1]

De sacrificiis sanguineis antiqui foederis principium est: « Umbram habens lex futurorum bonorum. » Heb. 10, 1. « Quanto magis sanguis Christi.. emundabit conscientiam nostram. » ib. 9, 14.

« Non tanta erat peccantium iniquitas quanta ejus, qui nostri gratia moriebatur, justitia ; non tantum nos peccavimus, quantum ille justitia excelluit, qui pro nobis animam posuit. » S. Cyrillus Hieros. Cat. 13. n. 33.

Sanguis autem Christi :

I. *Destruxit imperium diaboli.* Homo enim per Adae peccatum, per peccata propria, ac etiam per labes haereditarias, factus est sub dominio et tyrannide diabolica, a qua Christus (quum Deo solvisset pretium satisfactionis pro sceleribus universis) ipsum liberavit.

2. *Mundum redemit.*

« Empti enim estis pretio magno. » 1 C. 6, 20. Qua de re perpendatur fidei clarum testimonium : « Si quis hoc Adae peccatum.. per aliud remedium asserit

1. Secundum S Thomam. Op. de Ven. Sacr. Altaris, c. 28

tolli, quam per meritum mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconcilavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio.. A. S. Can. c. Trid. Sess. v. c. 3.

3. *Nos Deo reconciliavit*, secundum verbum apostoli : « Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconcilationis. » 2 C. 5, 19. Et alibi pulchre :... « qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. » Eph. 2, 13.

Illud autem praestitit : —

a. sufficientia pretii soluti : « Sanguis pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » M. 26, 28.

b. pulchritudine gratiae, quae animam splendore suo ornavit : « Laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni. » Ap. 7, 14.

c. gratissima caritate, qua exiguitati nostrae dona sua contulit. *Christus* (Dei Filius unigenitus) *dilexit* (tenerrime et efficacissime) *nos* (ingratos et peccatores), *et tradidit* (sponte, et ad mortem usque) *semetipsum* (non quidem opes, quarum infinitas habuit, nec sola verba, sed suam admirabilem et sacrosanctam vitam: totum quod erat, Deum et hominem, ut nihil sui sibi retineret, usque ad sanguinem in mortuo suo corde latentem :) *pro nobis* (pro me, pro fratribus, et amicis) *oblationem et hostiam Deo* (holocaustum mundum unicum et sempiternum) *in odorem suavitatis* (Patri semper dulcissimum) Eph. 5, 2. « Ecce peccatores Deus sanguine suo lavit, formosos, roseos, et Deo gratos fecit, et sic reconciliavit ut in curia Dei principes faceret. »

124. De virtute sanguinis Christi (3). [1]

« Quanto magis sanguis Christi... emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi ? » Heb. 9, 14.

I. *Cujusnam est sanguis iste* ? Nobis respondent evangelia :

1. « Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » M. 1, 21.
2. Sanguis est ejus, qui venit in mundum « ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. » J. 3, 16.
3. Ejus insuper est, qui propter sceleratos apparuit : « Non enim veni vocare justos, sed peccatores. » M. 9, 13.
4. Sanguis est pastoris amabilis, qui vitam pro ovibus dedit. J. 10, 11.

Adorandam Dei naturam agnosce sub velamine carnis humilis.

Pro receptis beneficiis gratias funde.

Corde delectare in sanguine illo salvifico ac divino.

II. *Quamnam ob causam* effusus est sanguis iste ?

Hujus effusionis causa fuit Spiritus sanctus, cujus motu et instinctu, scilicet caritate Dei et proximi, Jesus sanguinem suum summo dedit amore : « Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit. » Is. 59, 19.

Opus illud Spiritus Dei vere sublime admirare.

---

1. Secundum S. Thomam in Heb. 9, 14.

Christi sanctitudinem ac liberalitatem profunde venerare.

III. *Quare tanti valet sanguis Christi ?* quia immaculatus fuit ac divinus.

« Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. » Eph. 5, 2.

« Redempti estis.. pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati. » 1 P. 1. 18-19.

Candorem, virtutem et valorem profluvii sacrosancti toto corde reverere ; et in rubro illo amne amorem Dei splendescentem conspice.

Demum ex aperto illo Salvatoris fonte potum haurire concupisce.

Quid Christo pro te patienti hodie reddes ?

125. De utilitate sanguinis Christi. [1]

« Quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi ? » Heb. 9, 14.

Et revera per sanguinis Christi effusionem habentur :

1. Peccatorum et sordium *emundatio* :

« Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Ap. 1. 5.

« Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. » Ap. 7, 14.

---

1. Secundum S. Thomam. Sermo in Dom. Passionis.

2. Nostra *redemptio* :

« Redemisti nos Deo in sanguine tuo. » Ap. 5, 9.

« Redempti estis.. pretioso sanguine.. Christi. » 1 P. 1, 18. 19.

3. Nostra cum Deo et angelis *pacificatio* :

« Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. » Col. 1, 20.

4. *Confirmatio testamenti* de haereditate aeterna :

« Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. » 1 C. 11, 25.

Dominus haereditatem aeternam apertis verbis promiserat ; promissionem nunc sanguine mortis suae sigillavit ; testamentum in morte confirmavit.

5. Sumentium *potatio et inebriatio* :

« Bibite ex hoc omnes. » M. 26, 27.

« Sanguis meus, vere est potus. » J. 6, 56.

« Ut.. sanguinem uvae biberent meracissimum. » Deut. 32, 14.

6. *Januae coelestis aperitio* :

« Habentes.. fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi. » Heb. 10, 19.

7. De inferno *sanctorum adductio* :

« In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu. » Zach. 9, 11.

126. In festo Exaltationis Sanctae Crucis.

i. Occasio festi ad memoriam revocetur. Chosroes rex Persarum, copiis Phocae profligatis, Hierosolymas expugnavit, Christianos plures trucidavit, et crucem Salvatoris in Persidem abduxit.

Heraclius tandem post jejunia et preces, Persas devicit. Syroes, Chosrois filius, pace composita, veneranda Crucis ligna restituit.

Inter processionem solemnem Heraclius regio ornatu indutus sanctam crucem ad ecclesiam usque portavit, ubi ab ingressu mirabiliter impeditus est, donec, monente episcopo, amplissimum vestitum suum abjecisset, et amictum plebeium induisset.

ii. Triumphum crucis in mundo nunc paucis recogita: sive in hominum amorem erga redemptorem ejusque passionem, sive in spiritu sui-abnegationis, quo moventur fideles, sive in hujus vexilli sacri exaltatione per orbem universum.

iii. Ut intimius Christum patientem cognoscas pie flagita.

I. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi. Ex cruce enim, — *salus* (a peccato et imperio diaboli), — *vita* (in Christo et per Christum), — et *resurrectio* nostra (corpus una cum anima vivet ex virtute Christi ad conregnandum cum ipso in coelis).

O crux ave, spes unica!

II. Crux est *vexillum Christi* sub quo spiritualem militiam agere debemus.

1. Christus exaltavit illud dum ipse a terra exaltatus fuit.

2. Christus illud libere elegit : « proposito sibi gaudio, sustinuit crucem. » Heb. 12, 2.
3. Illud elegit divina plane generositate, misericordia, amore :

cum diuturno cruciatu ;
cum infamia, rubore, maledicto ;
cum stultitiae nota et scandalo.

An vita mea militiae, cui nomen dedi, apte respondet ? Equidem non absque ratione pertimesco, ne a professione mea nimium vita discordet.

III. « Non judicavi me scire aliquid inter homines, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. » 1 C. 2, 2.

Audiatur S. Hieronymus. « Quanto sunt humiliora quae pro me passus est, tanto plus illi debeo. Et quum omnia (viliora et humiliora) replicaveris, cruce nihil contumeliosius proferes : quam profitemur, et credimus, et in qua de hostibus triumphamus. » Adv. Helvid. n. 18. M. 2, 202.

Audiatur et S. Bonaventura « O Domine Jesu Christe, qui propter me tibi non perpecisti, cor meum tuis vulneribus ita saucia, et mentem meam tuo sanguine ita inebria; ut quocumque me vertam semper te videam crucifixum, et quidquid inspexero mihi appareat tuo sanguine rubricatum : » Soliloq. c. i. M. 7, 119.

127. In festo Exaltationis Sanctae Crucis (2). [1]

Mihi autem (Christiano, inclyti ducis sectatori, et apostolo futuro)
absit (enixe precatur S. Paulus, ut malum aliquod odibile longe sit ab ipso)

---

1. Gal. 6, 14. 16.

gloriari, (delicias in re ponere, et de ea exultare vel superbire ; v. g. sibi placere in delectamentis humanis, in pecunia acquirenda, in opibus congerendis, in libris multis vel pretiosis, in supellectili ornata)

nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi : (Dictum prorsus mirandum, quia crux Judaeis erat infamia, gentibus stultitia ; sed contra a S. Paulo dicitur esse gloria et virtus Dei ; et a magno ejus discipulo S. J. Chrysostomo tamquam « gloria gloriationum » extollitur. Quae autem gloria sita est —

a. in fide, quod Deus Salvator in cruce pro nobis oblatus sit in pretium ;

b. in grata recordatione amoris et doloris Christi patientis ;

c. in meditatione pia, qua passio Jesu ob oculos et in corde semper habetur ;

d. in beneficiis crucis petendis, scilicet, redemptione, justificatione et beatitate ;

e. in exemplo supremo sui-abnegationis et hostiae voluntarie Deo offerendae.)

per quem (Christum nempe eumque crucifixum)

mihi mundus crufixus est, et ego mundo. (De quibus auscultetur mellifluus doctor :

« Non solum inquit « Mortuus » mundo, sed et crucifixus : quod est ignominiosum genus mortis. Ego illi, pariter et ipse mihi. Omnia quae mundus amat, crux mihi sunt : delectatio carnis, honores, divitiae, vanae hominum laudes. Quae vero mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhaereo, illa toto amplector affectu. » In Quad. Sermo vii. n. 3. II, 1834.

Quicunque (Vide amplitudinem foederis Christiani : nullus populus nec stirps excipitur, nulli prae ceteris privilegium conceditur.)

hanc regulam (circa justificationem, libertatem spiritus, legem a Christo datam et disciplinam Evangelii) *secuti fuerint*,

pax (suavis in Deo cordis tranquillitas), *super illos* (gentes quaslibet),

et misericordia (benigna Dei clementia quoad culpas et defectus),

et super Israël Dei (super antiquum populum electum, sed nunc induratum, et crimine laesae majestatis inquinatum, quem tamen non spernit omnium Salvator).

128. De cruce Domini. [1]

i. Mente scenam depingamus crucis dominicae recenter inventae, et omni civium plausu in urbe sancta erectae.

ii. Erga lignum crucis salvificum venerationem insignem foveamus, et a Salvatore fervidum amoris affectum erga ipsum deprecemur.

I. *O Crux, ave, spes unica.*

Ave symbolum passionis beatae, signum amoris, veniae, infiniti meritorum thesauri.

Ave res sacratissima, Christi sanguine purpurata, instrumentum quo Christus Dei Filius universos redemit.

Christi exemplum ac monitum nos, discipulos, sequi oportet, atque cum Magistro crucifixo pariter cruci affigi.

Nonne illustre illud exemplar divinum ego in pluribus negligo ?

II. *Paschale quae fers gaudium.*

Qui paschalis fuit victima, factus est nobis gaudium et initium gaudiorum.

Pro nobis per crucem triumphavit.

Viam regiam, divinam ac victricem pandit. « Fidelis sermo : Nam si commortui sumus, et convivemus :

1. Comm in hymnum Vexilla Regis. Temp. Pasch.

si sustinebimus, et conregnabimus : si negaverimus, et ille negabit nos. » 2 Tim. 2, 11. 12.

III. *Piis adauge gratiam.*

Dilexit enim suos qui erant in mundo. Nonne et nos pariter invitavit et deduxit, ut simus *discipuli* (qui mandata, consilia, et spiritum ejus accepimus), *amici* (qui ejus intima fruimur conversatione), *fratres* (quos licet humillimos non erubescit), *electi*, (quos inter multos dilectos magis adhuc dilexit) *domestici*, (qui circa ipsum et quae sunt ejus indefessi occupamur), et *cives sanctorum ?*

Ut vere pii simus et permaneamus omni motu cordis generosi enitamur.

IV. *Reisque dele crimina.*

Peccata nostra Salvator sua virtute jamdudum delevit. Oremus itaque, ut virtus illa saluberrima nobis nunc applicetur.

Praeterita mala nostra detestemur; praesentia defleamus.

Timeamus semper ne omnipotentem Dominum ob peccata nobis offensum habeamus.

In omnibus vigilemus.

129. De pretio in cruce soluto.

i. Verba haec menti proponam : —

« Et super crucis trophaeo
Dic triumphum nobilem :
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit. » [1]

ii. Alia etiam revocabo : « Et (complacuit Deo) per eum

1. Ex hymno Pange lingua in Dom. Passionis.

(Christum) reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus. » Col. 1, 20.

iii. Dominum exorabo, ut spiritum gloriandi in cruce mihi largiatur.

I. *Quid* ut pretium dedit Christus in cruce ?

1. vitam suam adorandam ;
2. vitam in tormentis atrocibus ;
3. vitam pro amicis et inimicis ;
4. vitam usque ad sanguinis ultimam guttulam.

« Agnosce homo quantum valeas et quantum debeas. »

II. *Quantum* fuit pretium datum ?

1. pretium magnum, summi in se valoris ;
2. sanguis Agni immaculati ;
3. ipsum pretium, i. e. Jesus, qui per antonomasiam « pretium » vocatur : « pretio redempti estis. » 1 C. 7, 23.

« Beata (arbor) cujus brachiis pretium pependit saeculi. »

III. *Pro quisbusnam* solatum est pretium ?

1. *pro peccatoribus* : « Christus factus est pro nobis peccatum, ut efficeremur justitia Dei in ipso. » 2 C. 5, 21.

« Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis... tulit de medio, affigens illud cruci. » Col. 2, 14.

2. *pro universo mundo* : pro salvandis et non salvandis : pro omnibus qui de sua stirpe existunt, quatenus « universam quodammodo in se naturam continebat. » Cyrill. Alex. in Rom. vi, 6 cit. Franzelin, De Verbo Incar. p. 513.
3. *pro me ipso*, quia « dilexit me, et tradidit semetipsum propter me. » Gal. 2, 20. Illud perpulchre dictum accipiamus, ac ore proferamus.

ST. ALBERT'S

a. vehementi amore ;
b. cum sensu indigentiae nostrae ;
c. agnoscentes quod quantum pro omnibus dedit Christus, tantum et pro me. Ex sententia Corn. a Lapide in h. l.

130. De Sanctissimo Redemptore.

« Omnes gentes quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine ; et glorificabunt nomen tuum. » Ps. 85, 9.

« Redemisti nos Deo in sanguine tuo.... et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes. » Ap. 5, 9. 10.

« Ecce Deus meus Salvator meus. » Is. 12, 2

I. Ob oculos ponatur generis nostri antiquissima servitus, quae sita est : —
1. in privatione *a*. *gratiae sanctificantis*, qua ab initio tantopere a Deo honorati fuimus.
b. *gratiarum actualium*, quibus adjutricibus constanter opus habemus ;
c. *finis supernaturalis*, ad quem mira Dei dignatione destinati fuimus ;
2. in malis *a*. temporaneis, cujusmodi sunt labor, aerumnae, morbi, mors ;
b. aeternis, in quae homines praecipites ruebant.

Extitit igitur lugenda servitus et poenae, et peccati, et concupiscentiae, et diaboli qui fuit instigator principalis ad malum.

Attamen « redemptionem misit Dominus populo suo. » Ps. 110, 9.

II. Redemptio quam dedit Dominus est : —

1. Restitutio *in pristinam libertatem* filiorum Dei. Iterum filiis suis donavit gratiam sanctificantem, gratiarum actualium abundantiam, quibus homines ad beatitudinem supernam pervenire possunt. « Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis : et indumento justitiae circumdedit me.» Is. 61, 10.
2. Solutio seu liberatio *a servitute poenae et peccati.*

« Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Ap. 1, 5.

« Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. » Is. 12, 3. Liberavit deinde suos Christus *a servitute diabolica*, Patri solvendo delictorum nostrorum debita in crucis sacrificio.

Lenivit tandem furores concupiscentiae copia auxiliorum, quibus novum hoc foedus gratiae et amoris ditavit.

III. Quomodo Christus hoc nobis praestitit ?

1. per *satisfactionem* adaequatam pro injuria allata : « Deus meus, Salvator meus, salutare meum, et spes mea in aeternum. »
2. per *merita*, propter quae gloria nobis repromittitur ;
3. per *pretium solutum* : « Empti estis pretio magno. » 1 C. 6, 20 ; — « Non auro vel argento, sed agni immaculati sanguine. » 1 P. 1, 19.

« Salus populi ego sum, dicit Dominus : de quacunque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos : et ero illorum Deus in perpetuum. » (Offert. Festi).

131. Qualitates redemptionis.

i. Mente tibi describas scenam quam depingit S. Joannes in Apocalypsi 7, 4. et sqq : « Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israël. »

ii. Gaude in spe haereditatis tuae obtinendae ; gaude in gloria Dei tui ; exulta in ejus praestantia et potentia ; age fiducialiter in ejus fidelitate ac liberalitate.

I Redemptio Christi *copiosa* est et *inexhausta*.

Omnes enim quolibet tempore existentes ex quocunque peccato redemit : « Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. » 1 J. 2, 2. « Misereris omnium quia omnia potes, parcis autem omnibus, quia tua sunt, Domine, qui amas animas. » Sap. 11, 24-27.

Isaias olim praenuntiavit : « Salus mea in sempiternum erit. » 51, 6. Et dogma est fidei catholicae, quod opera Christi sint valoris infiniti.

II. Redemptio Christi *liberalissima* est et *splendidissima*. Licet enim aliae plures et quidem minus arduae viae fuerint, quibus damnum peccati repararetur, et homines ad divinum favorem reciperentur, nihilominus eum voluit Deus eligere modum, quem et perfectae justitiae servandae simul et misericordiae infinitae manifestandae aptiorem esse cognovit. Sane : —

1. ad dona restaurata *nova cumulavit*, quorum praecipua sunt incarnatio ipsa, Beatissima Virgo Mater nostra, septem Ecclesiae Sacramenta, Ecclesia arca salutis, inenarrabilis mundus gratiarum : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui

benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo. » Eph. 1, 3.

2. *Iocupletissima* fuit largitas satisfactionis, quam fieri constituit in ara crucis : « Misericordias Domini in aeternum cantabo. In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. » Ps. 88, 2.
3. *superabundans* fuit redemptio : « Multo plura quam debebamus persolvit Christus, ac tanto plura quanto stillam exiguam immensum pelagus excedit. » S. J. Chrys.

« Vidisti, quo pacto non sicut delictum, ita et gratia, sed plura lignum hoc invexit bona, quam a principio fuerint invecta mala ? » id. in Gen. Sermo vii, n. 3. Vol IV. 787.

Deum glorifica propter magnificentiam suam in opera incarnationis et redemptionis.

III. *Efficacissima* fuit. Expendatur morum innovatio stupenda, — martyrum patientia, — aliorum castitas angelica, — cultus Dei mirabiliter propagatus, — perseverantia tot fidelium in omni saeculo : « Omnes gentes quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum. » Ps. 85, 9.

132. In festo Sanctissimi Redemptoris.

i. Jesum Salvatorem in cruce contemplabor.

ii. Christum Redemptorem nunc in cœlis triumphantem imaginatione conspiciam : «Et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur Fidelis, et Verax, et cum justitia judicat, et pugnat.. Et vestitus erat veste aspersa sanguine : et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. » Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium. » Ap. 19, 11. 13. 16.

iii. Praesens donum orationis piae humiliter flagitabo.

I. Veritates istas sacras ob oculos sistam : —

1. Jesus est mundi *conditor* : « Omnia per ipsum facta sunt : .. et Verbum caro factum est. » J. 1, 3. 14.
2. Omnes de stirpe humana *copiosa sua redemptione includit*.
3. *Individua* nostra crimina abstulit : « Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Ap. 1, 5.
4. Casum nostrum infelicem *reparat* ; perdita bona continuo restaurat.
5. Ipse nobis est : —
   a. *Lux* : « Illuminabit te Christus. » Eph. 5, 14. Et in futuro de ipso annuntiatur : « Claritas Dei illuminavit eam (urbem cœlestem), et lucerna ejus est Agnus. » Ap. 21, 23.
   b. *Amor*. « Amor meus crucifixus est. » S. Ignatius Mart.
   c. *Gloria*. « Similes ei erimus. » 1 J. 3, 2.
   d. *Voluptas*. « Torrente voluptatis tuae potabis eos. » Ps. 35, 9.

II. De illis summis suavibusque doctrinis cogitabo et affectus pios effundam per sequentes versus :

Salutis humanae Sator,
Jesu *voluptas* cordium,
Orbis redempti *conditor*,
Et casta *lux* amantium.
Qua victus es clementia
Ut nostra ferres crimina,
Mortem subires *innocens*
A morte nos ut tolleres.
Te cogat *indulgentia*
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine. [1]

III. Ex horto hoc deliciarum florum spiritualium fasciculum collige ; quem per diem identidem olfacias.

1. Ex hymno ad vesperas Ascensionis.

133. In festo Sanctissimi Redemptoris (2).[1]

« Crux Christi gloriatio gloriationum. » S. J. Chrysos.
« Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.

In cruce Christi inveniuntur omnia de quibus gloriari solent homines :

1. *Magnorum* (puta regum aut principum) *amicitia* ; in cruce enim evidens est signum amicitiae divinae : « Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemes... Christus pro nobis mortuus est. » R. 5, 8. Nihil enim sic caritatem suam ad nos ostendit sicut mors Christi. Unde Gregorius : « O inaestimabilis dilectio charitatis, ut servum redimeres filium tradidisti ! »

2. *Scientia.* Et hanc Apostolus excellentiorem invenit in cruce : « Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. » 1 C. 2, 2. Nam in cruce est perfectio totius legis, et tota ars bene vivendi.

3. *Potentia.* Hanc enim Apostolus maximam habuit per crucem : « Verbum crucis... iis qui salvi fiunt.. Dei virtus est. » 1 C. 1, 18.

4. *Libertas*, quam Apostolus per crucem consecutus est. « Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. » R. 6, 6.

---

1. Ex Comm. S. Thomae in Gal. 6, 14.

5. *Associatio* ad illustre collegium. Per crucem autem Christi aggregamur ad coetum coelestem : « Complacuit... per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. » Col 1, 20.

6. *Triumphale signum victoriae* : « Et expolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. » Col. 2, 15.

« Quidquid dignum in virtutibus perpetratur, hoc fieri ob Domini passionem, » docet S. Hieronymus.

134. In festo omnium sanctorum. [1]

« Et omnes angeli stabant in circuitu throni... et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum. » Ap. 7, 11.

Gaudeamus (*a*. mentis ascensu ad Deum, certaque agnitione praemii beatorum, quorum complures hujus lacrimarum vallis incolae fuerunt, nunc autem habitant in domo Dei ;

b. propter fiduciam quod et nos post tribulationes multas, infirmitates et lapsus, intrabimus, ut speramus, in regnum Patris aeterni ;) *omnes* (cuncti hic Missae sacrificio assistentes, et universi Christi fideles a Christo electi et redempti)

in Domino, (Visis Dei splendoribus beati semper laetantur, quia ipse bonum bonorum omnium, ipse etiam

---

1. Introitu sfesti.

vera nostra felicitas, cujus lex vitam nostram gubernat, cujus amor nos fecit refecitque et conservat, atque beatos tandem efficiet.)

diem festum celebrantes (ritu sacro et omni cultus splendore)

sub honore sanctorum omnium : (quos inter numerantur sanctorum omnium regina, universi chori angelici, patriarchae et prophetae, praecursor Domini, apostoli, martyres, confessores, virgines, viduae, beati pariter, qui heroicae sanctitatis gradu non sunt insigniti, tentati etiam, scrupulosi, imperfecti atque poenitentes :)

de quorum solemnitate gaudent Angeli, (qui sunt creaturae Dei praedilectae, et ea, quam speramus, societate cum Deo jamdudum fruiti sunt, eadem etiam, qua nos, gratia ditati, omnesque una nobiscum unius familiae membra ;)

et collaudant Filium Dei (conspexerunt enim Verbi Dei descensum ad vitae humanae conditionem humilem ; naturam deinde hominis viderunt evectam ad supernam dignitatem ; luctam porro, perseverantiam, pietatem, amorem hominum admirati sunt, quorum custodes et adjutores complures sunt deputati ; Christo tandem victori cum suis triumphanti ingenti gaudio gratulantur).

135. In commemoratione omnium fidelium defunctorum.

1. Actum fidei elice in futurae purgationis dogmate, quod his verbis proponitur : « Si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari : et ut a poenis hujusmodi

releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffrages. » Conc. Flor. Denzinger. 588.

ii. Iesum benignissimum precare, ut participes cum Ecclesia sensa compassionis, qua erga defunctos movetur.

Qua de re haec assidue perpendas :

I. *Indigentiam animarum*, quae in purgatorio detinentur.
1. Mereri ipsae non possunt : « Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare : quia nec opus nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. » Eccl. 9, 10.
2. Ad nos per vocem Ecclesiae clamant : « Miseremini mei, saltem vos amici mei : quia manus Domini tetigit me. »
3. Duplici cruciantur poena : —
a. gloriae retardatione, quae omnibus profecto gravis erit, maxime iis qui graviorum scelerum poenas luere debent : « Retardatio tanti boni et privatio ejus, licet temporalis, maximum malum est,infinite (ut sic dicam) excedens omnia hujus vitae nocumenta. » Suar. De poenit. D. 46, s. 3. n. 1. p. 916.
b. sensuum cruciatu. Etenim licet poenarum disparitas in loco isto satisfactionis permagna sit, certum est « futurum saeculum esse saeculum judicii, retributionis, et vindictae pro malis commissis ; saeculum autem praesens esse misericordiae et remissionis. » Billot, De Noviss. p. 105.

II. *Debitum nostrum* : (« Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. » 2 Mach. 12, 46.
1. erga fratres in fide et communione sanctorum ;
2. erga amicos, quia amoris vinculo nobis arcte sunt obstricti ;
3. erga parentes, quibus tantum debemus, ut debitis unquam satisfacere nequeamus ;

4. erga benefactores sive temporales, a quibus bona materialia nobis valde acceptabilia recepimus, sive spirituales, qui nobis instrumenta fuerunt quibus Dei dona ditati simus.

III. *Potestatem adjuvandi eas* :

1. in sacrosancto Missae sacrificio ;
2. in orationibus, quibus dupliciter animae adjuvari possunt, tum prout oratio est opus quoddum poenale et laboriosum, tum ut est impetratoria, quod est ipsi orationi proprium. Bellarm. De Purg. l. c. xvi.
3. in aliis pietatis officiis, quae secundum Ecclesiae instituta a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, cujusmodi sunt opera mortificationis, et indulgentias lucrari.

Attende igitur ad orationes communes pro defunctis (in Missa, ad psalmum « *De profundis* », ad verba « *Fidelium animae,* » etc.) Abs te etiam quaeras, quid ipse pro defunctis sive generatim, sive speciatim pro amicis et benefactoribus facere soleas.

136. In festo Dedicationis Ecclesiae. [1]

i. Recogita patriarcham Jacob qui vidit « in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens coelum : angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac. »

ii. In istis agnosce Dei curam suorum, ejusque praesentiam tum generalem tum specialem in locis sanctis.

iii. Gratiam divinae praesentiae saepius recogitandae petas.

---

1. Introitus. Gen. 28, 10-22 ; Ps. 83. 2.

Terribilis (venerandus et religione colendus)
est locus iste : (quia Dei majestas in eo visa est, et symbolum divinae providentiae per angelos ascendentes descendentesque ostensum, ac tandem vox Dei benigna antiquas iteravit promissiones :)
hic (nunc vero adest nobiscum in ecclesiis Christus Deus sub praecipui amoris velamine reconditus ; hic cultus solemnior, hic sacramentorum thesaurum effundit, hic promissum adimplet piae cum suis familiaritatis, hic tandem futurorum arrham impertit ;)
domus Dei est, (quia sicut olim Jacob concessa est quaedam divinae majestatis et providentiae intuitio, ita ecclesia nostra Dei habitaculum esse cognoscitur)
et porta coeli:(nam ostium gloriae coelestis fidelibus aperit:)
et vocabitur aula Dei, (immo quum propter singularem amorem hominibus sub novo foedere exhibitum, tum propter Corporis et Sanguinis sui donum ineffabile et gratiarum abundantiam ditiorem, ecclesia merito decoratur titulo adhuc grandiori « aulae Dei » ;)
alleluia, (Deo gratias age, et benedic de visione illa, deque promissione data futuri redemptoris, et de gloria templi quod extruxit Salomon.)
alleluia (gratias pariter referas de gloria adhuc majore Ecclesiae Christi ; laetare de pulchritudine templi hujus, cujus festum celebratur ; mente conjice Dei auxilia innumera in ea recepta ; aspira demum ad ingrediendum novam Jerusalem, quam Deus ipse adeo pulchre exornavit pro iis, qui diligunt eum).
Quam dilecta (affectu tenero amata)
tabernacula tua, (ecclesia cum capellis et praedio)
Domine virtutum (Gubernatoris enim supremi sunt ista !)
concupiscit (aspirat, ardenter desiderat, anhelat)
et deficit (languescit)
anima mea in atria Domini (Haec dicta sunt *a*. de ecclesia visibili seu de ejus structura materiali, et *b*. de ecclesia Dei gloriose triumphante et nobis adhuc invisibili).

137. In festo Dedicationis Ecclesiae (2).

Recogita quid inter consecrationem templi Salomonis acciderit : « Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas : et majestas Domini implevit domum...

Et omnes filii Israël videbant descendentem ignem et gloriam Domini super domum.. et proni in terram... laudaverunt Dominum : Quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus. » 2 Par. 7, 1-3.

Episcopus in hac ecclesia consecranda sic Deum precatus est : « Tu benedictionis auctor, tu salutis origo ; te suppliciter deprecamur ut imbrem gratiae tuae super hanc domum cum abundantia tuae benedictionis infundas. »

I. Domus Dei est locus specialis praesentiae divinae, ubi solent solemniter congregari servi Dei fideles. « Quam terribilis est... locus iste (propter specialis divini favoris manifestationes, et propter pœnas irrogatas in eos, qui loca sacra violaverint) ! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli » (locus gloriae velatae, locus amoris, locus sacramentorum). Gen. 28, 17.

II. Haec est domus Deo dicata per benedictionem et unctionem pontificalem, ut sit ejus possessio propria et inalienabilis, et nostri omnium gloria communis.

Deus enim hic aptius colitur, hic attentior est orationibus, largior in dando, clementior in condonando.

Reverebor itaque locum istum sanctum. Hic adstabo semper mente collecta, et animo divinis intento.

III. In hoc loco benedictionum supernarum quot integrae generationes levitarum praeparatae sunt ad spiritum et officia ministerii apostolici ! Hinc per longum annorum cursum pie precatae sunt generationes « quaerentium

Dominum, quaerentium faciem ejus semper.» Ps. 23.6.

Quoties multiformis gratia Spiritus sancti descendit inter benedictos hos muros ! Quot ordinationes peractae, quot summo Deo oblatae missae pontificales, solemnes, privatae ! Quoties Christus ex altari in corde piorum devote receptus ! Quoties verbum Dei docilibus annuntiatum ! Quoties onus peccatorum in sacro tribunali depositum ! Quot in sacris his aedibus fuerint aspirationes ardentes, quot resolutiones generosae, quot lumina et motiones Spiritus Dei, quot inclytae victoriae, quarum memoria in solo libro vitae servatur !

IV. De praeterito gratias age ; de praesenti peramanter saluta Christum in Eucharistia latentem ; de futuro fac petitiones tuas.

138. Hymnus angelicus.

1. *Canunt Angeli.*

Gloria (Divinam essentiam, personas, attributa proclamemus, honoremus, extollamus, adoremus.)

in excelsis Deo (super ipsos angelos in infinitum exaltato, et qui universitatem creaturarum omni modo et in immensum excellit ;)

et in terra (quam Deus singulari benignitate visitavit)

pax hominibus (Pacem angeli nobis adprecantur. Pacem Christus nobis legavit. Regale caritatis praeceptum pacis suavitatem commendat. Pax discipulorum Christi signum est a Magistro ipso indicatum. Inter dulciores fructus Spiritus recensetur, et ab apostolo ad Philippenses scribente dicitur : « Pax Dei quae exsuperat omnem sensum. » 4, 7. Quinimmo ipsum Dei regnum nobis proponitur ut « pax et gaudium in Spiritu sancto. » R. 14, 17.)

bonae voluntatis (liberae quidem, docilis, piae ac fidelis.)

2. *Concinit Ecclesia sponsa Christi.*

a. Deo Uni gloria redditur —

Laudamus te : (enarramus infinitas excellentias tuas :)

benedicimus te : (suaviter et peramanter te salutamus :)

adoramus te : (Dei majestatem supremam cultu profundo reveremur :)

glorificamus te : (Dei celsitudinem ac splendorem agnoscimus, profitemur, aliis nuntiamus :)

Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam (gaudemus nempe de gaudio ipso divino ; gloriamur de debita gloria Deo praestita sive a sua inaccessibili majestate sive a creaturarum omnium numero et magnitudine et capacitate et amore. Nihil magis necessarium quam Dei gloria ; nihil magis consonum quam ut nos de illa gaudeamus, et de gloria Deo reddita gratias ei referamus).

b. Deus Trinus secundum personas salutatur.

Pater.... *Domine Deus, Rex coelestis, Deus Pater omnipotens.*

Filius.... *Domine Fili unigenite, Jesu Christe.*

Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris : —

qui tollis peccata mundi, miserere nobis : —

qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram.

Quoniam Tu solus sanctus (attributum divinum),

Tu solus Dominus (attributum divinum),

Tu solus Altissimus (attributum divinum) *Jesu Christe.*

Spiritus Sanctus — *Cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.*

139. Symbolum nicaenum.

De fide in sanctissimam Trinitatem.

« Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » 1 Reg. 3, 9.

« Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. » R. 1, 16.

« Adauge nobis fidem. » L. 17, 5.

Credo (a Deo instructus, et cum pietate et laetitia et gratiarum actione)

in **unum Deum** (« Dominus Deus tuus, Deus unus est. » Mc. 12, 29. « Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. » Eph. 4, 6).

1. **Patrem** *omnipotentem*, (« Ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur. » Eph. 3, 15)
   factorem coeli et terrae,
   visibilium (eorum quae sensu percipi possunt) *omnium,*
   et invisibilium (eorum quae mente et intelligentia cernuntur).
2. *Et in unum Dominum, Jesum Christum,* **Filium Dei** *unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula* (Filii origo divina exprimitur).
   a. Deus esse proclamatur.
   Deum de Deo,
   Lumen de lumine,
   Deum verum de Deo vero.
   b. Filius Dei dicitur.

Genitum non factum,
Consubstantialem Patri :
per quem omnia facta sunt.

c. Salvator.

Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis,

α. Humiliatio.

Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine : et homo factus est.

Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, et sepultus est.

β. Exaltatio..

Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas.
Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris.
Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos : cujus regni non erit finis.

3. *Et in* **Spiritum sanctum,**
Dominum et vivificantem.

140. Symbolum nicaenum (2).

De fide in Spiritum sanctum.

Et in Spiritum sanctum, (« Paraclitus Spiritus sanctus. » J. 14, 26 ;
« Spiritus Dei ; Spiritus Patris ; Spiritus Domini ; Spiritus veritatis ; Spiritus Filii sui. »)
Dominum (cujus est corda et opera supernaturalia motibus suis dirigere)
et vivificantem :
(in missione visibili, sicut Spiritus sanctus descendit super Christum baptizatum in forma columbae, et super Apostolos in linguis tanquam ignis ;)

in missione invisibili ad corda : « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. » R. 5, 5

in baptismo, qui est renovatio Spiritus sancti ;

in confirmatione : « Accepistis donum Spiritus sancti. »

in ordine sacro : « Accipe Spiritum sanctum. »

in donis : « Et requiescet super eum (Christum, ut caput Ecclesiae) Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus. » ... « Ita dona septem enumerantur secundum quod sunt in nobis ab inspiratione divina. » 1. 2, q. 68, 1.

in fructibus : « Fructus autem Spiritus est : charitas, gaudium, pax. »

in sanctificatione, unde Spiritus dicitur « sigillum » et « unguentum ; »

in inhabitatione : « Apud vos manebit, et in vobis erit. » J. 14, 17.

in gratiis, propter quod nuncupatur » fons vivus. » J. 7, 38. 39 ;)

qui ex Patre Filioque procedit (« Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem : Abba, Pater.» Gal. 4, 6).

Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur : (Eloquia enim sacra Spiritui sancto opera proprie divina adscribunt, nimirum, « sanctificationem, et vivificationem, et scrutari profunda Dei, et per prophetas loqui, et ubique esse ; quae omnia divino tantum numini tribuenda sunt. » Cat. C. T. c. viii. n. 4.)

qui locutus est per prophetas (« Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. » 2 P. 1, 21. Pro eodem pariter sunt in litteris sacris : « Dicit Deus : dicit Spiritus sanctus : contestatur nos Spiritus sanctus »).

Oremus igitur cum Ecclesia : « Emitte Spiritum tuum. Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. »

141. Symbolum nicaenum (3).

i. « Et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terrae. » Is. 11, 12.

ii. In singulis quae sequuntur, Dei providentiam admirare ; gratias ipsi age ; affectu sincero adjunge te piae credentium turbae : pete tandem ne unquam ab unitate Ecclesiae deficias.

Et Unam :

1. divisam ab omni alia societate, sive haeretica, sive schismatica, sive etiam mundana ;

2. et indivisam in se —
   a. propter unum *magisterium infallibile ;*
   b. ob unum *regimen* a Petri successore dependens ;
   c. ob unitatem *doctrinae religiosae* quam profitetur ; « Unus Dominus, una fides, unum baptisma. » Eph. 4, 5.
   d. ob unitatem cultus.
   Hic affectus elicias convenientes, adhaesionis nempe, obedientiae, reverentiae, cultus.

Sanctam : —

1. quoad *originem* ; ortum enim suum ducit a sanctissimo fundatore Christo, qui dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam.. sed ut sit sancta et immaculata. » Eph. 5, 25-27.
2. quoad *finem*, qui est membrorum sanctificatio : « Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agni-

tionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.. Et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. » Eph. 4, 13. 24.

3. quoad *media*, videlicet :
   a. sanctum regimen, quod nunquam in minimo defecit;
   b. Sacramenta, quorum efficacia perennis et divina ;
   c. gratias Spiritus sancti, qui pro suis semper postulat gemitibus inenarrabilibus ;
   d. charismata excellentiora Spiritus sancti.
4. quoad *membra*, quorum *a*/ omnes sacramentis in Christo sanctificantur ; *b*/ omnes pariter ad sanctitatem vocantur ; *c*/ non pauci vitae sanctitate praeeminent.

Catholicam : (Quo glorioso titulo decoratur Ecclesia, quoniam non unius regni vel nationis, sed totius familiae humanae Christi sanguine acquisitae coetus est et arca salutis.

Gaude et gratias age quod in gremio sanctae Matris Ecclesiae feliciter quiescas.)

et Apostolicam : (« Siquidem ejus doctrina veritas est, non recens, neque nunc primum orta, sed ab apostolis jam olim tradita, et in omnem orbem terrarum disseminata. » Porro, « Spiritus sanctus, qui ecclesiae praesidet, eam non per aliud genus ministrorum, quam per apostolicum, gubernat. Qui Spiritus primum quidem apostolis tributus est, deinde vero summa Dei benignitate semper in ecclesia mansit. » Cat. C. Trid. Art. ix. n. 17.)

Ecclesiam, quae, docente S. Augustino, est populus fidelis per universum orbem dispersus. Domus pariter dicitur et aedificium Dei : « Ecclesia (scilicet) Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. » 1 T. 3, 15.

Ne ab unitate Ecclesiae umquam misere deficias, ardenter atque humiliter Christum exora.

142. Symbolum nicaenum (4).

CONFITEOR UNUM BAPTISMA IN REMISSIONEM PECCATORUM.

i. Actum fidei elicias in Deum supremum mundi legislatorem, cui omnes sunt subditi.

Conspice ac defle scelera tua, peccata et negligentias.

Cor erige ad Deum tuum, et ausculta verba : « Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. » Is. 43, 25.

ii. Ora cum Salvatore : « dimitte nobis debita nostra. »

I. *Confiteor unum baptisma.*

« Unus Deus, (cujus sunt omnia, ad quem glorificandum condita sunt universa)

una fides, (quia una veritas et una revelatio)

unum baptisma (quia solius Christi fuit portam erigere qua ingredimur ad coelestia). » Eph. 4, 5. Unus igitur ad unicam fidem introitus ; unum dedicationis sacramentum ; unus omnium Dominus, cui dedicamur ; unum Christi ovile.

Fidei unitatem firmiter profitere. Deo ardenter adhaere. Vota baptismatis denuo emitte.

II. *In remissionem peccatorum.*

« In baptismate non solum peccata remittuntur, sed peccatorum etiam et scelerum poenae omnes a Deo benigne condonantur. Nam etsi omnibus sacramentis hoc commune est, ut per illa virtus passionis Christi domini communicetur ; de solo tamen baptismo dictum

est ab Apostolo, nos per ipsum Christo commori et sepeliri. » Cat. C. T. De Bap. n. 42.

Baptismus est porta sacramentorum, et nominatim sacramenti reconciliationis, ubi auctoritate Christi redemptoris hominibus concredita est potestas remittendi quocunque tempore peccata quaelibet in iis, qui sunt ad tantum beneficium rite dispositi. De frequentia veniae concedendae legem posuit Jesus : « Non dico tibi usque septies : sed usque septuagies septies. » M. 18, 21. Et paulo ante dixerat : « Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo : et quaecunqne solveritis super terram, erunt soluta et in coelo : » ib. 18.

« Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. » J. 20, 23.

III. Qualis mea gratitudo pro medio salutis adeo necessario ?

Quanta mea ad illud suscipiendum praeparatio ?
Qualis doloris affectus ? Quodnam propositi robur ?
Quaenam post illud toties receptum emendatio ?

143. Symbolum nicaenum (5).

De resurrectione et vita futura.

i. Christum tibi repraesenta e mortuis resuscitatum.
ii. A Salvatore fidem in veritatem resurrectionis fundamentalem pie precare.

I. *Et expecto resurrectionem mortuorum.*

1. Deus, qui se vitae et mortis Dominum esse demonstravit, die supremo voce omnipotente omnes ex

pulvere ad vitam excitabit, vitam quidem humanam et corpoream et nunquam perituram.

Verba Job attendas : « Scio enim quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. » Job 19, 25.

In Christo resuscitato prophetiam Magistri ipsius adimpletam aspicias : « Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum. » L. 24, 39.

Ab apostolo deinde auscultes omnium resurrectionis futurae promissionem : « Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. » I C. 15, 22.

Christus nobis ut exemplar nostri proponitur : « Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium. » ib. 20.

2. Corpora resurgent immortalia, mortis legis amplius non subjecta. « Quam quidem admirabilem naturae restitutionem insignis Christi victoria meruit, quam de morte reportavit... scriptum est enim : Praecipitabit mortem in sempiternum ; Is. 25, 8 ; et alibi : Ero mors tua, o mors : Os. 13. 14 ; quod explicans Apostolus, inquit : Novissime autem inimica destruetur mors. » 1 C. 15, 26. Cat. C. T. in h. art. n. 12. « Idem etiam divinae justitiae consentaneum fuit, ut boni beata vita perpetuo fruerentur ; mali vero, sempiternas poenas luentes, quaererent mortem, et non invenirent, optarent mori, et mors fugeret ab eis. » ib.

Actum fidei firmum elicias in corporum resurrectionem, et de spe tuae resurrectionis beatae gaudeas.

Auxilium Dei efflagita, ut mors te in amicitia Domini reperiat.

Pertimesce sortem illorum, qui miseram immortalitatem meruerint.

II. *Et vitam venturi saeculi.*

De quo fidei articulo haec breviter perpendenda veniunt :

1. verae vitae stadium post mortem ;
2. felicitatis futurae status pro bonis, miseriae pro malis ;
3. bonis erit vita, sceleratis mors secunda ;
4. vita illa permanet, haec sicut umbra transit ;
5. illa in patria, haec in exilio ;
6. haec vita morte finitur, in ista « mors ultra non erit. » Ap. 21, 4 ;
7. illa vera est vita, quae nescit defectum, et beatitate fruitur ;
8. erit novum saeculum (aeternum, non temporaneum), nova aetas, novus mundus, gaudium nempe Domini.

« Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta. » Is. 32, 18.

Caput II. Gemmae ex Breviario collectae et contemplatae.

144. Psalmus cxi. Beatus vir.

De laudibus viri justi.

Aures attentas ac dociles praebe Domino loquenti.

Laudes singulas saepius mente revolve : utrum et quousque tibi applicari possint perpende : convenientes elice de singulis aspirationes et petitiones.

---

1. *Thema.*

Beatus vir, (naturae et gratiae perfectione ornatus)
qui timet Dominum : (non servorum quidem sed filiorum affectu, qui potentiam agnoscit, auctoritatem reveretur, majestatem colit, bonitatem amat ;)
in mandatis ejus volet nimis (divinas ordinationes gaudens suscipit et opere implet alacriter atque fideliter).

2. *Effectus* : —

a. **Auctoritas.**

Potens in terra erit semen ejus : (magnae scilicet auctoritatis inter homines propter vitae integritatem et dictorum sapientiam :) *generatio rectorum* (i. e. virorum justorum) *benedicetur*.

b. **Fama seu aestimatio.**

Gloria (aestimatio hominum) *et divitiae* (bonorum sufficientia) *in domo ejus* : *et justitia ejus* (sive sanc-

titas praesens, sive beatitas futura) *manet in saeculum saeculi* (quatenus vel stabilis in hac vita, vel saltem aeterna in vita futura).

c. **Mentis illustratio.**

Exortum est (quod etiam semper contingere solet) *in tenebris* (in tempore afflictionis, dubitationis, tentationis vel adversitatis) *lumen* (divina illustratio vel evidens tutela) *rectis* : (qui corde nempe sincero Deum quaerunt:) *misericors*, (in textu hebr. *clemens*) *et miserator* (veniam facile tribuens infirmitatibus nostris) *et justus*.

d **Laetitia spiritualis.**

Jucundus homo (felix atque a Deo beatus) *qui miseretur* (defectuum videlicet et offensionum proximi) *et commodat*, (ipsum in necessitate adjuvat) *disponet sermones suos in judicio* ; (quando accusabitur, sciet quid respondendum ; vel simpliciter, loquetur cum gravitate, et prudentia et maturitate judicii ;) *quia in aeternum non commovebitur* (cordis et voluntis constantiam inter difficilia et adversa quaecunque servabit).

145. Psalmus cxi. Beatus vir (2).

1. *Thema.*

Beatus vir, qui timet Dominum.

2. *Effectus* —

a. **Auctoritas** *(Potens in terra erit semen ejus).*

b. **Fama** *(Gloria et divitiae in domo ejus).*

c. **Mentis illustratio** *(Exortum est in tenebris lumen rectis).*

d. **Laetitia spiritualis** *(Jucundus homo etc).*

e. **Gloria illustris.**

In memoria aeterna (sive cum Deo in mansione coelesti, sive penes homines) *erit justus; ab auditione mala* (quae poterit esse vel calumnia vel detractio vel notitia aliqua tristis)

non timebit (nam justus innocens est, firmus atque constans).

f. **Fiducia et robur.**

Paratum (expeditum, immobile, fiducia plenum, et promptum) *cor ejus sperare in Domino* (i. e. a Deo bona sibi necessaria expectare sicut ab optimo provisore ; « et in omni adversitate, sive periculo imminenti cor ejus paratum habet refugium ad Deum. » Bellarm. in n. 1.).

Confirmatum est cor ejus: (serenum et intrepidum, quia corroboratum est auxilio divino ;) *non commovebitur* (oblitus Dei promissionum et adjutorii, et perterritus sensu propriae imbecillitatis) *donec despiciat* (parvipendat ut victos) *inimicos suos*.

g. **Benevolentia.**

Dispersit (in textu hebr. *dispergit*) *dedit pauperibus* (magna charitatis profusio indicatur) : *justitia ejus manet in saeculum saeculi* (Regni et mercedis Dei propriissimum est ut sint indefectibilia « in saecula saeculorum. » Et sola hujus vitae proprietas stabilis est justitia, seu rectitudo).

Cornu ejus (potestas) *exaltabitur in gloria* (etiam in stadio praesenti).

3. *Peccatoris invidia.*

Peccator videbit et irascetur (propter felicitatem bonorum) ; *dentibus suis fremet et tabescet* (invidia) ; *desiderium peccatorum peribit* (Quo nempe mala justis exoptant. Quae omnia non solum inter singulos homines evenire cognoscuntur, verum etiam in opere sociali et politico).

146. Psalmus cx. Confitebor tibi Domine (1-7.).[1]

EXTOLLITUR DEI MAJESTAS.

Titulus. *Alleluia* : *Laudate Dominum* (Laetus suscipe sacram invitationem te cum Deo orationis vinculo conjungendi).

1. *Laudatur Deus de omnipotentia sua.*

1. *Confitebor tibi* (laudabo te) *Domine* (Jehovah) *in toto corde meo* : (Nam Dei cultus diminutus, mutilus, incompletus contumelia quaedam esset :)
   in consilio justorum, (in coetu privato) *et congregatione* (publice).
2. (Et revera) *Magna opera Domini* : (Dei namque est magnalia patrare : v. g. creare, tendere coelos, terram sustentare, legem moralem dare et sancire, cor intueri, eventus dirigere, homines judicare.)
   exquisita (sedulo quaesita) *in* (secundum) *omnes voluntates ejus* (ita ut quaelibet opera Dei respondeant aptissime voluntati suae sive miserendi, sive retribuendi, sive benefaciendi, sive justitiam exercendi).
3. *Confessio* (laus) *et magnificentia opus ejus* : (praeclara ejus opera materiam laudis praebent :)
   et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

2. *Laudatur Deus de quibusdam beneficiis particularibus.*

a. De beneficio et prodigio mannae coelestis : —

---

1. Psalmus alphabeticus.

4. *Memoriam fecit mirabilium suorum,* (ut festis institutis Dei gloria et excellentia ob oculos omnium splendide manifestarentur)
misericors et miserator Dominus :
5. *Escam dedit timentibus se* (suos in deserto manna cibavit,in novo autem testamento corpore proprio et sanguine suos quotidie reficere non desinit).
b. De promissa terra Chananaea, promissionisque adimpletione.
Memor erit in saeculum testamenti sui : (quod nempe ad Abraham fecerat :)
6. *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo* : (i. e. omnipotentiam suis manifestabit :)
7. *Ut det* (dando) *illis haereditatem gentium* : (terram scilicet Chanaan quam promiserat :)
opera manuum ejus veritas (effectus scilicet sunt veritatis et veracitatis) *et judicium* (decretum ut res sint, atque ut recte sint).

147. Psalmus cx. Confitebor tibi Domine (8-10.).

Collige mentem tuam ad divinas laudes una cum angelis et fidelibus concinnendas.
Substantiam partis prioris paucis repete :
Deum laudando nominatim —
1 propter omnipotentiam suam :
2. *a. ob prodigium cibi coelitus dati populo in deserto* :
b. ob concessam terram promissionis.
Deinde cum psalmista procede.

---

3. *Laudatur Deus propter legem moralem immutabilem.*

8. *Fidelia* (fixa nimirum et rata) *omnia mandata ejus* :

(quia consequuntur ex lege aeterna in mente divina existente :)

confirmata in saeculum saeculi, facta (fundata) *in veritate et aequitate.*

4. *Plebem suam ex Aegypto deduxit.*

9. *Redemptionem misit popolo suo* :

mandavit in aeternum testamentum suum (legem dedit in Sina immutabilem).

5. *Laus communior profertur.*

Sanctum (radix, norma seu perfectio sanctitatis)

et terribile (iis qui legem ejus violant : nomen pariter semper plenum est majestate)

nomen ejus : (substantia scilicet ejus et potestas, — vel sacrum signum vocale, quo omnipotens Dei majestas a nobis nominatur :)

10. *Initium* (radix) *sapientiae* (verae nimirum rectitudinis, qua recta facimus intuitu vitae nostrae finis supremi) *timor Domini* (affectus videlicet non servilis sed reverentialis qui cultu exprimitur).

Intellectus bonus (i. e. rectus et sagax) *omnibus facientibus eum : (*nempe timorem ; i. e qui timorem exhibent reverentialem erga supremum rerum Dominum atque gubernatorem :)

6. *Pulchra totius psalmi summa.*

Laudatio ejus (ista,quae in toto psalmo praestatur) *manet in saeculum saeculi.*

148. Psalmus cxvii. Confitemini (1-4.)

I. Invitatio ad Deum laudandum.

Cogita tremendum atque supereminens illud factum quod Deum habemus, Dominum supremum, infinitum, universorum conditorem et gubernatorem.

Perpende privilegium existendi et dependendi ab eo.

Menti vivide proponas beneficia primaria vitae et intellectus, sanctificationis, redemptionis.

Suaviter degusta passionis amorem ; gaude de triumpho resurrectionis.

Alleluia (Illud ex corde pronuncia, et saepius in die cum exultatione profer).

1. *Confitemini* (laudem, benedictionem, reverentiam, amorem praestate)
   Domino (conditori, possessori, regi, Deo nostro summe colendo)
   quoniam bonus : (haec enim glorificationis ratio inexhausta, bonitas nimirum divina cujus limes non datur :)
   quoniam in saeculum misericordia ejus : (Homines enim sunt —
   a. omnipotentis aeterno intuitu cogniti, voluntate electi, et clementia in finem deducti, seu praedestinati ;
   b. in tempore creati, mentis gloria illuminati, divina sanctificati adoptione, laetificati in resurrectione Christi ; denique
   c. in futuro, judex suorum laetus ac festivus Salvator

adveniet ; in coelo tandem amicos perenni sua societate delectabit).

2. *Dicat nunc* (profiteatur quaeso) *Israël* (populus sanctus Dei) *quoniam bonus* : (Deus bonus est essentia, affectu, benignitate, longanimitate absque limite, atque divino prorsus charactere et proprietate, nempe ut sit ipse SOLUS BONUS.)

quoniam in saeculum misericordia ejus (Dulcis enim est, qui non reminiscitur delicta, et miseretur imbecillitatis humanae, sanat defectus, et voluptate sua in perpetuum corda demulcet).

3. *Dicat nunc* (iterum quaeso profiteatur) *domus Aaron :* (familia sacerdotalis electa, ministri sacri et segregati, sed qui plurimum deficiunt a gloria sacerdotii quod Christus propria sua persona instituit, cujus sumus nos participes :)

quoniam in saeculum misericordia ejus.

4. *Dicant nunc qui timent Dominum* (sancti vel conversi): *quoniam in saeculum misericordia ejus* (nunquam minuentur ejus in nos benignitas, clementia, potestas, providentia, paternitas).

149. Psalmus cxvii. Confitemini (5-9).

II. De fiducia dei.

5. *De tribulatione* (de mentis quavis angustia vel molestia)

invocavi Dominum : (Invocavi quidem ex corde, enixe et perseveranter. An ita ego orare consuevi ?)

et exaudivit me in latitudine Dominus (i. e. ab angustiis in latitudinem seu in spatium apertum et liberum me deduxit).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

6. *Dominus* (Jahve) *mihi adjutor* : (In textu hebraico: *mihi adest*. Quis ille ? an vocem ejus audio ? an fiduciam ejus nutrio ?)
   non timebo quid faciat mihi homo (sive aequalis, sive inferior, sive invidiosus,sive hostis religionis meae).
7. *Dominus mihi adjutor*: (iterum cum emphasi profertur nomen sacrum Jahve :)
   et ego despiciam inimicos meos (Spiritus nempe diabolicos contemnam ; difficultates vitae communiores fiducia divini auxilii et justa temporalium aestimatione parvi faciam. « Ex quolibet genere inimici exurgant, sive ex numero malorum hominum, sive ex malorum angelorum ; in Domini adjutorio despicientur cui confitemur laudem, cui cantamus Alleluia. » S. Aug. in h. l).
8. *Bonum est* (i. e. melius est) *confidere in Domino, quam confidere in homine* (Quid est alicui confidere ? in quibusnam rebus auxilio speciali indigeo ? In difficultatibus meis an soleo a Deo petere adjutorium ?)
9. *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus* (Dominus enim rex est regum, et Dominus dominantium. Ipse dignatus est me adjuvare, qui totus ipsius sum. Ipse Deus, creator, redemptor, magister meus, ac mihi longe plura contulit quam pater et mater).

150. Psalmus cxvii. Confitemini (10-13).

III. Describitur inimicorum impugnatio.

i. Rapido quodam conspectu repraesenta tibi hostes Judaeorum, Davidis, Christi, et primorum Christianorum.
ii. Justorum fiduciam in praesenti Dei auxilio suppliciter petas.

10. *Omnes gentes* (Samaritani, Judaei, ethnici Romani, mundus, caro, diabolus, amici et inimici)
circuierunt me : (omnes illi hostes possunt nobis esse causa difficultatis et tribulationis :)
et in nomine Domini (fiducia et oratione)
quia (redundat) *ultus sum in eos* (Per virtutem Dei hostes repuli, et succidi. Recogita v. g. praeclaros Judaeorum triumphos, Christi victoriam, martyrum invincibilem constantiam, nostram de tentatione victoriam).

11. *Circumdantes circumdederunt me :* (Durius, acrius et propius irruerunt in me hostes, ita ut iis undique cinctus sim. Id nobiscum accidit tempore gravioris probationis vel occasionis maestitiae insolitae tentationisve :)
et in nomine Domini (Quid valebimus sine oratione ?)
quia ultus sum in eos (non est merum effugium, sed victoria).

12. *Circumdederunt me sicut apes*, (i. e. in turba condensa indesinenter, et pertinaciter, adeo ut vix appareat via evadendi)
et exarserunt sicut ignis in spinis : (Inimicorum quidem incursus vehemens et velox, licet non diuturnus. Gravior iste casus est ; probatio suprema est, de cujus felici exitu desperandum videatur).
et (tamen) *in nomine Domini quia ultus sum in eos.*

13. *Impulsus* (quum receperim ictum violentum ab hoste) *eversus sum* (titubabam) *ut caderem* : (in eo eram, ut caderem ex impetus violentia :) (sed) *et Dominus suscepit me* (lapsum manu sua forti impedivit).

151. Psalmus cxvii. Confitemini (14-18).

IV. Justi exultatio in Dei adjutorio.

i. Paucis revoca insignem Judaeorum triumphum manu Dei obtentum, quo copias insequentium Aegyptiorum submersae sunt in mari rubro.

ii. Ut fructuose possis orare secundum sensum psalmistae cum fiducia petas.

---

14. *Fortitudo mea*, (causa roboris mei spiritualis)
et laus mea (objectum laudis indesinentis et gratiarum actionis)
Dominus, (« Quis sicut Dominus Deus noster qui habitat in coelis?
Quapropter cujus fortitudo et laudatio est Dominus, tam non cadit quam non cadit Dominus. » S. Aug. in h. l.)
et factus est mihi in salutem.

15. *Vox exultationis et salutis* (Quales et quantae sunt causae exultationis, quod salutis beneficia in operibus Dei et Christi erga nos !) *in tabernaculis justorum.*

16. *Dextera Domini* (fortitudo Dei)
fecit virtutem : (potentiam suam mirabilem exercuit ;) *dextera Domini exaltavit me* (firmavit, corroboravit, stabilivit)
dextera Domini fecit virtutem (Deo propriissimum est mira et miracula patrare. Haec enim divinae operationis indicia sunt. « Magna virtus exaltare humiles, deificare mortalem, praebere de infirmitate perfectionem, de subjectione gloriam, de passione victo-

riam, dare auxilium de tribulatione ; ut afflictis vera salus patesceret. S. Aug. in h. l.)

17. *Non moriar*, (quaecunque passus fuero) *sed vivam* : (Dei protectione, gratia, solatio, beatitudine :)
et narrabo opera Domini (pie illa contemplando, effuse gratias agendo).

18. *Castigans castigavit me Dominus* : (quos amat, vult exercere et probare, ac mercedem fortiter strenueque dimicantibus retribuere :)
et morti non tradidit me (probari sinit, sed non superari).

152. Psalmus cxvii. Confitemini (19-24).

V. Dialogus ad portam templi.

1. *Populus qui ingreditur templum.*

19. *Aperite mihi portas justitiae,* (Etenim templum Dei est justi et sancti,et locus ubi gratia justitiae seu sanctitatis copiosius obtinetur. Locus iste vere sacer est atque venerandus. Hic domus Dei est et porta coeli.)
ingressus in eas, confitebor Domino : (Locus enim est ad Dei laudes deputatus, ornatus, et consecratus. Aula est Dei-hominis sedentis in throno sacratissimi sacramenti.)

2. *Levitae respondent* :

20. *Haec porta Domin* , (cum emphasi)
justi (iique soli, vere Israëlitae) *intrabunt in eam.*

3. *Populus, qui ingreditur, clamat.*

21. *Confitebor tibi* (Domino Deo)

quoniam exaudisti me :
et factus es mihi in salutem.

4. *Levitae vicissim concinunt.*

22. *Lapidem* (quo intelliguntur Judaei a paganis rejecti, — Christus a Judaeis rejectus)
quem reprobaverunt aedificantes,
hic (et praesertim Christus) *factus est in caput anguli* (i. e. in petram angularem duos muros Ecclesiae Christi, Judaeos nempe et gentes, jungentem).
23. *A Domino factum est istud*; (Deus enim misit Christum Filium suum, qui Ecclesiam universalem fundaret:)
et est mirabile in oculis nostris (Opus incarnationis opus Dei praestantissimum. Christus Alpha et Omega ; Christus omnium instaurator et consummator).

5. *Populus universus conclamat.*

24. *Haec est dies* (insigne festum post captivitatem Babylonicam, et super omnia dies praeclara, qua Christus ab inferis triumphator resurrexit)
quam fecit Dominus : (Dominus vitae et mortis Filium dilectissimum gloriose suscitavit, et fundamentum posuit fidei nostrae :)
exultemus et laetemur in ea.

153. Psalmus cxvii. Confitemini (25-29).

VI. Carmen laudis.

1. *Populus qui ingreditur templum canit.*

25. *O Domine, salvum me fac,* (In textu hebraico : *salvum fac* : quod est « Hosanna. » Pia haec precatio jaculatoria facile potest frequenter usurpari.

Secundum textum latinum : praesidium tuum indesinenter largire, ut novis difficultatibus obsistere valeam.)

O Domine, bene prosperare : (sensu transitivo : nobis concede res secundas) :

2. *Levitae respondent.*

26. *Benedictus qui venit in nomine Domini* (quae verba applica ingredienti in templum, et Christo).

Benediximus vobis de domo Domini : (i. e. ex loco sancto suo, cujus ministri sumus nos, — et de hac scaturigine favorum coelestium et consolationis :)

3. *Qui ingreditur cantum resumit.*

27. *Deus Dominus* (i. e. Deus gubernator et rex supremus)

et illuxit nobis (post noctem tristitiae splendet nunc laetitia vultus divini).

Constituite diem solemnem (solemnitatem magnam, seu solemnitatem solemnitatum, ut est festum paschale) *in condensis* (i. e. vel creberrimum, vel cum ramis et arboribus frondosis), *usque ad cornu altaris* (ita

ut usque ad cornu ipsum altaris sternantur folia et flores, et parentur victimae ad sacrificium.)

28. *Deus meus es tu, et confitebor tibi.*
Deus meus es tu (Nota emphasim repetitionis.) *et exaltabo te* (Versus est intercalaris). *Confitebor tibi quoniam exaudisti me : et factus es mihi in salutem.*

ANTIPHONA.

29. *Confitemini Domino* (laude, hymno, cantu)
quoniam bonus : (« Quid est grandius ista veritate non video, cum sit ita proprium Deo quod bonus sit. » S. Aug. in h. l. In Deo suavitas et benignitas, et bonitas, et esse reapse idem sunt.)
quoniam in saeculum misericordia ejus.

154 Psalmus xv. Conserva me (1-6). [1]

1. *De bono divino eligendo.*

1. **Thema totius**. *Conserva me Domine,* (potens enim et indeficiens es tu, ego autem infirmus semper et labilis)
quoniam speravi in te (Dei fiducia immobilis).

2. *Dixi Domino* : (salutando et laudando eum :)
Deus meus es tu (tu Dominus, ego servus)
quoniam bonorum meorum non eges (Deus super omnia, omnia in seipso eminenter continens, cui prodesse neutiquam valemus. In textu hebraico : *bonum meum non est praeter te* : i. e. cetera quaecunque praeter Deum non vera sed ficta bona sunt)

3. *Sanctis* (i. e. quod spectat sanctos), *qui sunt in terra*

1. Loquitur David in persona Christi

ejus, (sive olim in Palaestina, sive nunc in mundo universo)

mirificavit omnes voluntates meas in eis (mirabiliter direxit omnem dilectionis meae propensionem in viros sanctos).

4. (Quod vero ad malos attinet) *Multiplicatae sunt infirmitates eorum,* (dolores, remorsus, pœnae, tristitiae) (et) *Postea acceleraverunt* (in via iniquitatis).

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : (nihil commune habebo cum iis, qui sanguinolenta offerunt sacrificia : i. e. cum ethnicis, vel cum viris mundanis :)

nec memor ero nominum eorum per labia mea (in iis mihi non complacebo, nec verbum quidem de iis faciam).

2. *Objectum quod amandum eligit.*

5. *Dominus* (Quis sicut Dominus Deus noster ?)

pars haereditatis meae, (i. e. portio haereditaria)

et calicis mei : (eadem nempe portio intenditur, quatenus sorte ex calice desumi consueverat :)

tu es, (cum emphasi magna dicitur)

qui restitues (qui nunc servabis et tandem in futuro complebis)

haereditatem meam mihi (Observa retributionis individualitatem).

6. *Funes* (haereditas iterum designatur sub figura chordarum, quibus ager solebat mensurari)

ceciderunt mihi in praeclaris : (haereditas Christiana et quam maxime sacerdotis dulcis est animae, fertilis opportunitatibus, dives in gratiis, splendida in gloria:)

etenim haereditas mea praeclara est mihi (plene ac suaviter repetitur, quod jam dictum est).

155. Psalmus XV. Conserva me (7-11).

David, plenus fiducia in Deum, elegit eum tamquam unicum bonum de quo nunc gaudet vehementer.

---

1. *Gratias agit* :

7. *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum :* (seu consilium et motum ut ipsum tota sequar mente :) *insuper et usque ad noctem* (immo etiam per noctem, quia id quod amo ob oculos continuo versatur ;) *increpuerunt* (forti impulsu instigaverunt) *me* (ad pietatem) *renes mei* (i. e. affectus).

2. *Gaudium et fiducia.*

8. *Providebam* (providebo) *Dominum in conspectu meo semper,* (etenim portio mea est, sors mea in qua spem meam omnem reposui, et unicum bonum meum ;) *quoniam a dextris est mihi, ne commovear* (ne deficiam in lucta).

9. *Propter hoc* (propter unionem hanc delectabilem cum Deo adjutore potente) *laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea ; insuper et caro mea* (ipsum quidem corpus, pars mea inferior) *requiescet in spe* (Sub tutela Domini manebit. Haec dicuntur maxime de Christi corpore in sepulchro, ubi jacet in certa spe resurgendi).

10. *Quoniam non derelinques animam* (a corpore solutam, quod sors communis est mortalium) *meam* (i. e. Christi maxime, sed etiam cujuslibet hominum) *in inferno,* (seu in limbo defunctorum)

nec dabis sanctum tuum videre corruptionem (« Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo... Providens (David) locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. » Act. 2, 24. 31).

11. *Notas mihi fecisti* (facies) *vias vitae* (*a*. viam quae ducit ad bonum supremum possidendum ; *b*. vitam Christi gloriosam post resurrectionem ;)
adimplebis me laetitia cum vultu tuo (*a*. quando vitae hujus curriculo absoluto, coelestem Dei visionem adipiscemur ; *b*. in ascensione Christi in coelum ;)
delectationes (plurale emphasis) *in dextera tua* (in robore virtutis tuae) *usque in finem* (per totam aeternitatem).

156. Psalmus cxv. Credidi.

Fiducia et pia proposita.

10. *Credidi* (Domini Dei fiduciam nutrivi immobilem) *propter quod* (ideo) *locutus sum* (dicens) : —
ego autem humiliatus sum nimis : (dolore, aerumnis, vel tenebris quibus velut ad terram oppressus sum :) immo —

11. *Ego dixi in excessu meo :* (i. e. ob nimiam spiritus perturbationem :)
omnis homo mendax: (fidelis vero Deus; sed ab homine auxilium vel inane vel nullum : « Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominum. » Ps. 17, 13 :)

12. *Quid retribuam Domino, pro omnibus* (beneficiis, gratiis, solatiis)

quae retribuit mihi? (Quibus tamen donis adeo indignus fui. Ille me de nihilo condidit, ille ab iniquitate me redemit, ille regionem viventium demonstravit. « Retribuit » potest sumi simpliciter pro « tribuit. » Vel cum S. Augustino accipi poterit ut inde notetur « liberalitas et misericordia Dei, qui tanta bona tribuit pro tantis malis. »)

13. *Calicem salutaris accipiam :* (scilicet in convivio solito post eucharisticum sacrificium Judaeorum :) *et nomen Domini invocabo* (Dominum mente recordabor ; ipsum affectu complectar ut praesentem ; ipsum, quantum potero, aliis annuntiabo ; ipsum ore frequenter benedicam et laudabo).

14. *Vota mea Domino reddam* (Psaltes explicite promittit se sacrificia gratiarum actionis oblaturum esse.) *coram omni populo ejus* (quod ad majorem Dei laudem palam in templo facere constituit).

157. Psalmus CXV. Credidi (2).

Fiducia Dei et gratiarum actio.

Affectum partis prioris repetas per actum fiduciae ardentiorem erga Dei bonitatem et benignitatem *(Credidi)* ; elicias deinde ferventem actum grati animi *(Quid retribuam ?)*.

15. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* (Secundum textum Vulgatae: merces praestantissima a Deo servis suis rependetur. Secundum textum hebraicum : Deus servis suis sollicite providet ne damnum vel mors ab inimicis inferatur ; vita enim

illorum Deo carissima est, adeoque plenus fiducíae in Deum clamat psaltes : —)

16. *O Domine* (Clamor animae piae. In textu hebraeo : « *Nonne res ita se habet ?* »)
quia ego (humilis licet sim et peccator) *servus tuus* : *ego servus tuus* (quinimmo) *et filius ancillae tuae* (matris nimirum Deo devotae).
Dirupisti (enim) *vincula mea* : (dolores, tristitias, difficultates ; quapropter stimulo animae gratissimae impulsus exclamat : —)

17. *Tibi sacrificabo hostiam laudis*, (iterum emittuntur promissiones jam superius datae)
et nomen Domini invocabo.

18. *Vota mea Domino reddam* (Fideliter promissa persolvam. Quod et intelligi facile poterit de praeceptis Dei et Ecclesiae, de statutis dioeceseos, de regulis seminarii, et de variis officiis status tui.)
in conspectu omnis populi ejus : (inde capere poteris valorem orationis una cum sociis factae :)

19. *In atriis domus Domini*, (in sinu Ecclesiae verae, et in templo publico, praesertim si consecratum fuerit)
in medio tui Jerusalem (quod intelligi potest vel de unione orationum nostrarum cum communi oratione Ecclesiae universalis ; vel cum Bellarmino accipi potest de Jerusalem coelesti : « et tandem diruptis vinculis omnibus, et ad perfectam libertatem filiorum Dei vocatus, sacrificium laudis et gratiarum actionis immolabo in conspectu omnis populi ejus, jam glorificati in coelis : .. et non tantum in atrio, sive ingressu, sed in domo ipsa divina, quae in medio est patriae, Jerusalem coelestis. » Bellarminus in h. l.).

158. Psalmus iv. Cum invocarem (2-5).

Psalmus hic, quem scripsit David tempore rebellionis filii sui Absalom, unus ex iis est, quos cantare solebant levitae comitantibus citharis.

---

1. *Dei invocatio.*

2. *Cum invocarem* (eo ipso tempore, quo clamavi ad Dominum)

a. exaudivit me (Non enim procul est Deus, neque contemnit vel negligit obsecrationes et suspiria nostra.)

Deus justitiae meae : (Deus qui causam meam justam novit et tuetur :)

b. in tribulatione (sive ab intra sive ab extra sit oborta)

dilatasti mihi (Dum tristitia et vexatio me angustiaverunt, et spiritus meus misere in se conversus est, Deus me liberavit, seu in spatium amplum et serenum me reduxit.)

Miserere mei, (esto mihi benignus seu propitius) *et exaudi orationem meam.*

2. *Inimicorum reprehensio.*

3. *Filii hominum* (hebraice : *proceres*)

usqequo gravi corde (viri duriores, qui ad sensum justitiae adduci non potestis) ?

ut quid diligitis vanitatem, (motiva nempe frivola rebellionis)

et quaeritis mendacium (i. e. per calmunias quaeritis mihi nocere) ?

4. *Et scitote* (scire enim profecto debetis)

quoniam mirificavit Dominus (prodigiis et mirabilibus saepius illustraverat)
sanctum tuum : (Davidem scilicet, quem elegerat : hebraice : *amicum familiarem* :)
Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

3. *Inimicorum exhortatio.*

5. *Irascimini*, (ira quidem excandescite, si quid mali fecerim)
et nolite peccare: (sit ira resistentia justa, moderata et secundum legem divinam :)
quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini (in textu hebraico : haec omnia meditamini in cubilibus, cum scilicet noctis silentium mentes ad statum tranquillum reduxerit).

159. Psalmus iv. Cum invocarem. (6-10)

De adjutorio Altissimi.

In mentem revoces —
1. Davidis fiduciam divini adjutoris, qui adest semper, et preces suorum auscultat.
2. Inimicorum reprehensionem, quia absque ratione gravi electum Dei impugnabant.
3. Monitum ut ad Deum pie confugiant.
Quibus nunc addit quae sequuntur : —

---

6. *Sacrificate sacrificium justitiae*, (i. e. sacrificium oblatum ex corde pacifico et sancto)
et sperate in Domino : (nam fiducia est qualitas orationis bonae :)

4. David amicis addit animum, ne despondeant.

(Etenim eorum) *multi dicunt* : *Quis ostendit nobis bona* (Quaenam spes est liberationis e tot malis nostris ?)

7. (Reponit vero rex fiducia plenus —) *Signatum est* (hebraice : *Signa*) *super nos lumen vultus tui Domine* : (Deus sese nobis propitium manifestat :) *dedisti laetitiam in corde meo.*

8. (Et quanquam inimici) *a fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt* (i. e. rebus prosperis gaudent).

9. (Attamen) *In pace* (cum emphasi) *in idipsum dormiam, et requiescam* : (secundum textum hebraicum clarius ita : tanta fruor pace, ut in lecto statim in somno suavi quiescam :)

10. *Quoniam tu Domine singulariter* (in textu hebraico : *tu solus*) *in spe constituisti me.*

160. Psalmus xxi. Deus, Deus meus (1-6).

PARS PRIMA. — I. PIA LUGENTIS CHRISTI QUERELA DE SOLITUDINE SUA.

Salvatorem contemplare in horto, in domo summi sacerdotis, in praetorio, in palatio Herodis, in cruce.

1. Clamor Christi.

2. *Deus* (meus), *Deus meus* (Eli, Eli, i. e. Fortis meus, — verba sunt fiduciae magnae ; maerens confestim se ad Dominum convertit)

respice in me (verba addita a Septuaginta) :
quare me dereliquisti ? (lamma sabacthani ? ineffabili cordis desolatione miratur se a Deo in summo suo dolore esse derelictum ; verba tamen sunt querentis, non diffidentis :)
longe a salute mea (obsecrationes meae non praevaluerunt ad adjutorium obtinendum) *verba delictorum meorum* (Verba haec sunt illius, qui non novit peccatum, sed quem Deus pro nobis peccatum fecit. 2 C. 5, 21. In textu hebraico : « *verba rugitus mei* : » i. e. clamoris validi ex ore agonizantis).

3. *Deus meus* (erumpit e corde alia vox fiducialis) *clamabo* (clamo) *per diem et non exaudies* : *et nocte* (clamo), *et non ad insipientiam mihi* (Quod adeo vehementer clamaverim mihi ad malum non attribuetur : — nulla quies obsecrandi, i. e. non desisto a clamando ; sed adhuc nullum propter clamores meos venit solatium. Unde « intelligat homo medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum esse ad salutem, non poenam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas : non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. » S. Aug. in h. l. p. 173).

2. *Ratio fiduciae.*

4. *Tu autem in sancto habitas,* (praesidio et tutela populi tui in templo sancto : in textu hebraico : « *tu sanctus es,* » et ideo semper sancte agis ;)
laus Israël. (Israëlitae te continuo laudant, propter beneficia et protectionem. Sane —)

5. *In te speraverunt patres nostri* :
speraverunt et liberasti eos.

6. *Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt* :
in te speraverunt : *et non sunt confusi.*

161. Psalmus xxi. Deus, Deus meus (7-9).

II. PATIENTIS HUMILIATIO ET IRRISIO.

I. Annuntiatio prophetica.

7. *Ego autem* (Orator se Deo bono contraponit, qui in sancto habitat.)
sum vermis (ego plane contemptibilis et resistendi incapax)
et non homo : (« Et vidimus eum, et non erat aspectus. » Is. 53, 2.)
opprobrium hominum, et abjectio plebis (Factus enim est sicut res vilissima, quam Tertullianus » nullificamen » vocavit. Etenim, ut ait alius propheta : « Vidimus eum.. Despectum et novissimum virorum : et quasi absconditus vultus ejus et despectus... et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum.» Is. 53, 2-4).
8. (Immo) *Omnes videntes me, deriserunt me* : (« Et deridebant eum principes cum eis. » L. 23, 35.
locuti sunt labiis, (i. e. ore aperto valde),
et moverunt caput (« Blasphemabant eum moventes capita sua. » M. 27, 39).

II. Historica verificatio.

Qui Christum pessime tractaverunt, fuerunt : —
a. Ministri summi sacerdotis : « Tunc expuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes : Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit ? » M. 26, 67. 68.
b. Herodes: « Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo : et illusit indutum veste alba. » L. 23, 11.

c. *Milites* : nam ii qui spinis eum coronaverunt, instinctu vere diabolico eum tamquam principem illudebant dicentes : « Ave, rex Judaeorum. »

d. *Item milites* : « Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei, et dicentes : Si tu es rex Judaeorum, salvum te fac. » L. 23, 36. 37.

e. *Latrones* : « Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei. » Mc. 15, 32.

f. *Principes sacerdotum* : « Illudentes *cum scribis* et *senioribus* dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere : si rex Israël est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. » M. 27, 41. 42.

g. *Populi* : « Praetereuntes blasphemabant... dicentes : « Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reaedificas : salva temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce. » M. 27, 39. 40.

9. (Dicebant) *Speravit in Domino, eripiat eum* : *Salvum faciat eum quoniam vult* (i. e. amat) *eum* : S. Matthaeus ita factum narrat : « Dicebant.. Confidit in Deo : liberet nunc, si vult eum : dixit enim : Quia Filius Dei sum. » M. 37, 43).

162. Psalmus xxi. Deus, Deus meus (10-14).

III. Christi patientis fiducia.

Ausculta iterum piam Christi patientis querelam de dolorosa sua in passione derelictione.

Revoca in mentem maestam illam descriptionem infamis irrisionis, quam ab omni hominum classe recipiebat.

A barathro tamen tristitiae surgit anima Salvatoris et clamat :

10. *Quoniam* (nihilominus quantacunque sit agonia doloris)

tu (tu, Deus; tu, Deus meus; tu sanctus sanctorum ;)

es, qui extraxisti me de ventre : (tu conditor et conservator vitae meae :)

spes mea ab uberibus (Te ab infantia finem et fiduciam meam indesinenter agnovi.)

matris meae (beatissimae Virginis Mariae).

11. *In te* (i. e. super genua tua secundum antiquam consuetudinem positus)

projectus sum ex utero: (tamquam Filius tuus : adeoque agnosceris tamquam solus Pater, protector, atque defensor :)

de ventre matris meae (in utero jacens, in infantia, in pueritia, et adolescentia)

Deus meus es tu, (insignis professio fidei et fidelitatis)

12. *Ne discesseris a me* : (sane tu fortissimus, ego infirmissimus : tu officium Patris merito suscepisti :)

quoniam α. tribulatio proxima est : (Dixit siquidem Deus : « Cum ipso sum in tribulatione. »)

quoniam b. non est qui adjuvet.

13. (Nonne enim vides, Domine, quod) *Circumdederunt me vituli multi* : hostes nimirum fortes et pugnaces, — populus, milites, sacerdotes, seniores, Pilatus, Herodes :)

tauri pingues obsederunt me (homines robusti et validi ex circuitu irruerunt in me).

14. *Aperuerunt super me os suum,* (ad ululandum et devorandum)

sicut leo rapiens et rugiens (clamores plebis, principum, militum :

Prophetiza.. Barabbam.. Tolle, tolle.. Crucifigatur.. Vah, qui destruis templum Dei. Alios salvos fecit etc.).

163. Psalmus xxi. Deus, Deus meus (15-19).

IV. CHRISTI MAERORES ET CRUCIATUS DESCRIBUNTUR.

1. *Dolores interni.*

15. *a. Sicut aqua effusus sum :* (expers omni vigore jaceo : omnes vires meae dissipatae sunt, et evanescunt :)

b. et dispersa sunt (ac si artus locis moti sint) *omnia ossa mea* (debilitate, languore, dolore, ut in cruce factum est).

c. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei (Depingitur agonia mentis et defectus roboris omnis).

16. *d. Aruit tanquam testa virtus mea*, (sicut testa arida et usta ; vel ut fictile fractum et ejectum)

e. et lingua mea adhaesit faucibus meis : (ex nimia scilicet sitis ariditate :

Ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio.... Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. » J, 19. 28-9.)

f. et in pulverem mortis deduxisti me (Ad omnipotentiam et mortis destructionem divina voluntate redactus sum, ut verissima omnium hostia efficacissima et redemptor generosissimus fiam.

Notetur etiam istud : « Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. » J. 19, 11).

2. *Crucifixio.*

17. *Quoniam* : —

a. *circumdederunt me canes multi* (adversarii feri ; hostes immites et feroces ; cogita quidem flagellationem, coronationem, alapas, crucis bajulationem, amaram potionem, corporis Domini in cruce elevationem, lateris et cordis transfixionem :)

b. *concilium malignantium obsedit me* (in domo Annae, Caiphae, Pilati, Herodis).

c. *Foderunt manus meas et pedes meos* :

18. *d*. *dinumeraverunt omnia ossa mea* (flagellatione, frequentibus sub onere crucis casibus, suspensione corporis in cruce).

e. *Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me* : (De poena et imminenti morte gaudebant. Porro et de cruciariis narratur : « Et sedentes servabant eum. » M. 27, 36.)

19. *f*. *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (cf. M. 27, 35).

164. Psalmus xxi. Deus, Deus meus (20-22).

In memoriam revocentur priores hujus psalmi partes : —

1. Christus Patri suo questus est de taedio importabili desolationis.
2. Summam suam infamiam describit.
3. Dolores narrat internos et cruciatus.
4. Nunc vero suprema luctus occupat gaudium : « Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. » Ps. 125, 5.

V. Oratio Christi patientis.

20. *Tu autem* (Doloris abyssus tantum acuit fiduciam Christi.)

Domine (ad illum appellat, qui omnium fata moderatur)

ne elongaveris auxilium tuum a me : (sed promptus esto ut me eripias, et vindices, et resuscites :)

ad defensionem meam conspice [hebraice : *festina*] (Pertransit nunc hora inimicorum ; cito veniat triumphus meus. « Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te. » J. 17, 5).

21. *Erue a framea* (a gladio hostili, seu mortis instrumento, vel signo ; et quando occisus fuero, resuscita me ;)

Deus (i. e. Fortis, qui Dominus Deus exercituum, et Dominus vitae et mortis diceris et es)

animam meam : (vitam meam, donum pretiosum quod a te recepi :)

et de manu canis (hostis clamosi et mordacis)

unicam meam (vitam meam, quam ex Matre Virgine accepi, et quam solam habeo).

22. *Salva me ex ore leonis* : (hostis fortissimi :)

et a cornibus unicornium (bisontium, quibus indicantur hostes seu impugnatores grandes et horrendi)

humilitatem meam (secundum dictum sacrum : « Qui se humiliaverit, exaltabitur. » M. 23, 12).

165. Psalmus xxi. Deus, Deus meus (23-27).

PARS SECUNDA. — VI. CARMEN GRATIARUM ACTIONIS.

In decursu meditationis notentur sequentia :

1. laudis formae variae, — laudare, benedicere, glorificare, narrare nomen Dei ;

2. varia nomina populi electi, quibus nuncupantur : fratres mei, timentes Deum, requirentes eum, semen Jacob, universae familiae gentium.

---

23. *Narrabo nomen tuum* (nomen Dei remuneratoris) *fratribus meis* : (Judaeis fratribus secundum carnem :) *in medio Ecclesia laudabo te* (cultu publico et solemni).

1. *Invitatur populus Dei electus ad Deum laudandum :*

I. AD LAUDEM VOCE DANDAM.

24. *Qui timetis Dominum* (populus Dei veri) *laudate eum; universum semen Jacob, glorificate eum :*

25. *Timeat eum omne semen Israël :*
quoniam a. *non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis* : (afflictione lugentis :)
b. *nec avertit faciem suam a me :*
c. *et cum clamarem ad eum, exaudivit me.*

II. AD LAUDEM ACTIONIBUS EXHIBENDAM.

26. *Apud te laus mea in Ecclesia magna.*
Vota mea reddam in cospectu timentium eum.

2. *Epilogus quo Israël salutatur.*

27. *Edent pauperes* (pii), *et saturabuntur* : (in convivio post sacrificium eucharisticum consuetum :)
et laudabunt Dominum qui requirunt eum (pii discipuli) :
vivent corda eorum in saeculum saeculi (effectus dapum sacrarum).

3. *Invitantur gentes universi ad Deum laudandum.*

28. *Reminiscentur* (Ex obscurata sed numquam penitus deleta cognitione Dei, gentes tandem venient

ad Deum colendum sicut ad opus ipsis plane naturale.) *et convertentur ad Dominum universi fines terrae :*

et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium (« In te benedicentur universae cognationes terrae. » Gen. 12, 3).

29. *Quoniam Domini est regnum* : (hoc illi propriissimum :) *et ipse* (cum emphasi) *dominabitur gentium* (de jure et de facto).

166. Psalmus xxi. Deus, Deus meus (30-32.)

VII. Carmen gratiarum actionis absolvitur.

Renoventur affectus partium praecedentium : —

1. Fiducia : « Deus, Deus meus, respice in me. »
2. Compassio circa dolores et cruciatus Christi Servatoris. Planctus perpende : « Ego autem sum vermis, et non homo. » « Foderunt manus meas et pedes meos. »
3. Gratiarum actio : *a*. Christi : « Narrabo nomen tuum fratribus meis. »
   b. Israëlis : « Timeat eum omne semen Israel. »
   c. Hominum universim : « Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae. »

---

30. *Manducaverunt* (in sacrificio eucharistico) *et adoraverunt* (Deum nempe in illo sacrificio) *omnes pingues* (divites ac illustres) *terrae : in conspectu ejus cadent* (adorando)

omnes qui descendunt in terram (in pulverem terrae, i. e. humiles et pauperes),

31. *Et anima mea illi vivet* ; (coram illo, laeta, grata, fidelis :)
et semen meum serviet ipsi (Cultus Servatoris perdurabit ob potentiam, gratiam, exemplum Magistri, quia Deus voluit illum splendidissime glorificare. Quae Dei in Christo laus sine fine praestabitur).

32. *Annuntiabitur* (offeretur) *Domino generatio ventura* : (Singulari nempe cultu et amore Deo devovebuntur complures, et praesertim beati in cœlo. In textu hebraico aliter : *in futuris generationibus nomen Christi annuntiabitur* :)
et annuntiabunt cœli justitiam ejus
(*a*. ex immenso cœlorum spatio et pulchro ordine orbium cœlestium, cognoscit mens superexcellentem Dei perfectionem ;
b. viri pii Dei sanctitatem declarabunt ;
c. gloria et justitia ejus praedicabuntur ;)
populo qui nascetur,(qui nunc in sola Dei praescientia exsistit)
quem fecit Dominus (sicut Domini est terra,ita Domini est universus populus; quem ipse undequaque disposuit ab aeterno, ac tandem in tempore fecit, et restituit, et redemit, et ornavit, et singulariter dilexit, et ad suam cœnam cœlestem invitavit).

167. Psalmus lxxi. Deus, judicium tuum regi da. (1-7).

David poëma vere divinum conscribit, ubi orat Deum ut filium suum Salomonem, cui thronum relinquit, sospitem servet et gratiis exornet. « Et locutus est : Benedictus Dominus Deus Israël, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis. » 3 Reg. 1, 48.

Intuitu Salomonis (vel si melius placet, absque ulla ad Salomonem relatione) regnum Messiae gloriosum praenuntiat ac describit.

1. REGIS ORATIO : —

2. *Deus, judicium tuum* (rectum discernendi sensum) *regi* (Messiae, qui jure proprio rex erit) *da* :

et justitiam tuam (i.e. perfectam) *filio regis* [Messiae, ut est Filius Dei] : (Haec in Christo admirare ; eadem et pro teipso petas, qui animas quandoque regere cupis.)

Judicare populum tuum in justitia (i. e. ut judicet sive Judaeos, sive conversos ex ethnicismo) *et pauperes tuos in judicio* : (titulo speciali aequitas erga pauperes commemoratur: vel si melius placet, nomine pauperum intelligi possunt omnes, qui Christum vere sequuntur :)

2. PRAENUNTIATUR REGNUM : —

a. *pacis*, —

3. *Suscipiant* (in textu hebr : *suscipient*) *montes* (quae vox accipitur pro tota regione) *pacem populo*, (regnabit pax)

et colles justitiam (corda vere sancta ubique reperientur).

b. *pauperum*, —

4. *Judicabit* (Messias) *pauperes populi*,
et salvos faciet filios pauperum : (pauperum miseram conditionem restaurabit : vel simpliciter, salvabit omnes qui ipsum fideliter sequuntur :)
et humiliabit calumniatorem (i. e. qui opprimit pauperem)
5. *Et permanebit cum sole, et ante lunam*, (diuturno temporis cursu)
in generatione et generationem (Orientur novae tribus, gentes, cultura evolvetur, senescet et deficiet, sed inter quaecunque rerum humanarum fata regnum Messiae permanebit).

c. *suavitatis*, —

6. *Descendet* (Messias) *sicut pluvia in vellus* (i. e. vel in populum Israëlis electum per gratiarum abundantiam, vel in sinum Virginis per Filii sui incarnationem): *et sicut stillicidia stillantia super terram* (ita gratia Christi corda hominum docilia facit).

d. *omnium saeculorum* (seu regnum diuturnum)

7. *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis* : (sanctum et pacificum regnum praedicitur :)
donec auferatur luna (i. e. in finem mundi).

168. Psalmus lxxi. Deus judicium tuum regi da (8-15)

Denuo menti repraesententur praenuntiata Messiae benignitas, stabilitas regni ejus, pax denique bonorum et simplicium.

---

a. *Amplitudo et varietas regni Messianici.*

8. *Et dominabitur a mari usque ad mare* : (ab oceano Atlantico in Occidente ad oceanum Pacificum in Oriente :)
   et a flumine (Euphrate) *usque ad terminos orbis terrarum* (i. e. sive ex parte Orientis sive ex parte Occidentis).
9. *Coram illo* (Messia) *procident Aethiopes* : (secundum textum hebr : *rudes ac fortes deserticolae* :)
   et inimici ejus (ethnici, barbari, persecutores) *terram lingent.*
10. *Reges Tharsis,* (Tarcissi, portus florentis in Hispania meridionali)
    et insulae (insulae in mari Mediterraneo) *munera offerent* :
    reges Arabum, (hebraice : Scheba, in Arabia felici) *et Saba* (hebraice : *Seba*, quo forsan intelligitur Meroë ad Nili delta) *dona adducent.*
11. *Et adorabunt eum omnes reges terrae* :
    omnes gentes servient ei.

b. *Pauperes ac simplices maxime ad se trahet.*

12. *Quia liberabit* —
    pauperem a potente [hebraice, *pauperem qui clamat*] : (aliis verbis, inopem sublevabit :)

et pauperem, cui non erat adjutor.

13... *Parcet pauperi et inopi* :
et animas pauperum salvas faciet (infimam plebem mite ac suaviter tractabit, eamque tandem ad finem felicitatis adducet).

14. *Ex usuris et iniquitate* (ex tyrannide et iniqua tractatione) *redimet animas eorum* :
et honorabile nomen eorum coram illo (novum exurget axioma : « paupertas crimen nullum est ; sed potius benedictio »).

15. *Et vivet*, (indefectibiliter)
et dabitur ei (Messiae) *de auro Arabiae*, (Scheba : fortasse allusio fit ad aurum Ophir pretiosissimum) :
et adorabunt (hebraice : *orabunt*) *de ipso semper* : (i. e. pauperes occupabuntur circa cultum perennem Christi Dei :)
tota die benedicent ei (quo significatur cultus perennis in Ecclesia).

169. Psalmus lxxi. Deus Judicium tuum regi da (16-19).

a. *Gloria regni Messianici.*

16. *Et erit firmamentum* (hebraice : *tritici abundantia* quae quidem erit robori fulcimento) *in terra in summis montium*, (tanta erit frumenti abundantia, ut etiam in summis montibus, qui steriles esse solent, reperiatur)
superextolletur super Libanum fructus ejus : (altae frumenti spicae hyperbolice comparantur cum excelso Libani vertice : vel secundum textum hebraicum : ac densae spicae frumenti ventis agitatae crepabunt sicut cedri in monte Libano :)

et florebunt de civitate (populi plurimi e locis omnibus adducentur in cœtum Messiae electum (*sicut fœnum terrae* (et progenies Christicolarum similes erit herbis innumeris, quae in pratis tempore verno pullulare conspiciuntur).

b. *Benedictio Messiae.*

17. *Sit nomen ejus benedictum* (hebraice : *subsistet*) *in saecula* :
ante solem permanet nomen ejus (in conspectu solis, i. e. quamdiu permanebit sol, sobolescet nomen ejus).
Et benedicentur in ipso (Messia) *omnes tribus terrae* (sicut promissum est olim patriarchis) :
omnes gentes magnificabunt eum.

c *Doxologia secundi libri psalmorum.*

18. *Benedictus Dominus Deus Israël,*
qui facit mirabilia solus.

19. *Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum* :
et replebitur majestate ejus omnis terra :
fiat, fiat (hebraice : *Amen et amen*).

170. Psalmus cxiv. Dilexi quoniam.

Thema. Alleluia.

Subjectum. Laus, amor, gratiarum actio.

« Cantet hoc anima quae peregrinatur a Domino, cantet hoc ovis illa quae erraverat, cantet hoc filius ille qui mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est ; cantet hoc anima nostra. Erudiamur, et permaneamus, et cum sanctis ista canamus. » S. Aug. in h. l. M. 4, 1486.

1. *Dilexi,* (Dominum; — affectus dilectionis cum emphasi proponitur ;)

a. *Motiva diligendi enarrantur.*

quoniam exaudiet (sicut semper) *Dominus vocem orationis meae.*

2. *Quia inclinavit aurem suam mihi,* (ac si petitionem meam attentius auscultaret ;)
et (ideo) *in diebus meis* (i. e. per totam vitam) *invocabo* (eum) (« Sed dies meos magis.. possum dicere dies miseriae meae, dies mortalitatis meae, dies secundum Adam, plenos laboris et sudoris, dies secundum vetustatem putredinis. » l. c. n. 3, M. 4, 1487).

b. *Exponuntur angustiae animae.*

3. *Circumderunt me dolores mortis* (timor, imbecillitas, desperatio) :
et pericula inferni invenerunt me (i. e. pericula mortis temporalis vel etiam aeternae : « Quae nisi aberrantem abs te non invenirent me. Nunc autem illa mei invenerunt » l. c. n. 3. M. 4, 1488).

c. *Convertit se anima ad Dominum.*

4. *Et nomen Domini invocavi* (dicens) : —
O Domine libera animam meam :

5. *Misericors Dominus et justus, et Deus noster miseretur* (« Misericors, quia inclinavit aurem suam mihi ; justus quia flagellat ; miseretur, quia recipit.» ib. n. 5.)

6. *Custodiens parvulos* (humiles) *Dominus* : (« Quos grandes quaerit haeredes ? » Sed e contrario singularis est ejus cura debilium, quia praesidio indigent.)
(deinde, quando adeo) *humiliatus sum,* (Quis enim est filius cui non det disciplinam pater ejus ? Deus autem mihi subvenit.) *et liberavit me.*

d. *Anima laetabunda seipsam alloquitur.*

7. *Convertere,* (a desperatione et mortis formidine) *anima mea in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi.*

8. (Ac revera) *Quia eripuit animam meam a morte : oculos meos a lacrimis, pedes meos a lapsu.*

9. *Placebo* (tandem) *Domino, in regione vivorum* (a malis potenter ereptus, ut vitam justam in conspectu Dei inter homines agam).

171. Psalmus cix. Dixit Dominus (1-3).

Christus Rex aeternus ac Filius Dei.

Cum profunda cordis humilitate ad hymnum vere coelestem meditandum accedam, qui veritates altissimas proponit et celebrat.

David ipse loquitur de Christo Redemptore futuro.

Oraculum Dei nobis revelatur.

1. *Dixit* DOMINUS (Jahve) DOMINO MEO (Adonai) :
Sede a dextris meis (in throno Dei) : (Christo igitur attribuitur potestas regia, divinitas cum Patre coaequalis, et jus adumbratur sessionis futurae ad dexteram Dei.)
Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum (Praenuntiatur Christi victoria completa de omnibus, qui contra ipsum sese quovis tempore erexerint).

Prosequitur psaltes.

2. *Virgam virtutis tuae* (sceptrum regni cœlorum) *emittet Dominus ex Sion* (ex sancta civitate Hierosoly-

mitana) : (Regnum aeternum erit, omnesque homines complectetur.)

Dominare (imperativum) *in medio inimicorum tuorum* (Regnum Christi inter hostes complures extendetur, at vero omnes tandem vincet).

Oraculum Dei continuatur.

3. TECUM PRINCIPIUM (principatus)
IN DIE VIRTUTIS TUAE (etenim ab aeterno Filius summa pollet potestate ;)
IN SPLENDORIBUS SANCTORUM : (in admirabili et ineffabili sanctitate :)
EX UTERO (ex ipsa substantia divina)
ANTE LUCIFERUM (antequam quidquam creatum fuit)
GENUI TE (adeoque Pater vere pater est, et Filius vere filius Patris).

Insignem hanc secretorum divinorum revelationem pie fide reverebor.

Singula verba recipiam, et degustabo, ac animo gratissimo mente revolvam.

Christum regem aeternum, Dei Patris Filium unicum atque consubstantialem supremo mentis cultu salutabo et laudabo.

172. Psalmus cix. Dixit Dominus [1].

CHRISTUS, SACERDOS ET TRIUMPHATOR.

Intento animo et corde docili revelationem Dei auscultabo. David rex tertium Dei oraculum solemniter introducit :

4. *Juravit Dominus* (His verbis innotescit nobis inviolabilis ordinatio.

1. (Versus 4).

Per semetipsum jurare concipitur, quia Deo sanctius vel firmius nihil datur.)

et non poenitebit eum : (Consilium aeternum et immutabile. Praemonstrare intendit abrogationem futuram sacerdotii Levitici, et instaurationem novi et aeterni sacerdotii Christi : « In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis haeredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum : » Heb. 6, 17.)

Tu es sacerdos (Messias decreto Dei ab annis aeternis sacerdos constituitur, et quidem sensu nobilissimo et principali.)

in aeternum (Munus illud praecelsum non transit sicut ministerium Leviticum, neque cum tempore hujus mundani cursus desinet, sed manebit in regno cœlorum perfecto, ubi perpetuo fulgebit signum praeclarae sanctitatis et amoris superefluentis. « Hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum : semper vivens ad interpellandum pro nobis.» Heb.7, 25.)

secundum ordinem Melchisedech (Cum figurae et typi transierint, Christus novi sacerdotii ordinem instaurat, qui in regio sacerdote Melchisedech jam mystice praenuntiatus fuit.

Christi sacerdotium cœleste fuit et spirituale, et mundo universo salutem intulit. Christi sacrificium victimam constituit sublimem et sempiternam, Deoque plane dignam ac valoris infiniti, quam in terris reliquit colendam, nosque sui sacerdotii participes effecit. In cœlis tandem sacerdos manet, ibique pro suis semper interpellat. »

« Qui in diebus carnis suae, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.

Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est, obedientiam : et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis aeternae, appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech. » Heb. 5, 7. 9)

173. Psalmus cix. Dixit Dominus (5-7).

Christus triumphator.

Hostes multi variique Ecclesiam nunquam non sunt aggressi : ferrea crudelitas, contemptus, ignorantia, mores pravi, ambitio sacerdotum, superbiens humana ratio, sinistri scientiarum fautores, ordo politicus ; at praevaluerunt nunquam.

Quid roboris inest sacro isti coetui, ut solus inter omnes temporum vicissitudines invictus superet ?

Prosequitur David oraculi cœlestis illustrationem.

5. *Dominus* (Adonai) *a dextris tuis,* (i. e. adstat Christo dominanti in terris)
confregit (debellavit et destruxit)
in die irae suae (ira et indignatio justi conditoris tandem post plurima forsan saecula gloriose erumpet in die judicii supremi ;)
reges (hominum duces ac potestate pollentes).
(Christo adhaerebo : Christum reverebor : cum Christo victore gaudebo).

6. *Judicabit* (supremam immutabilemque sententiam proferet)

in nationibus, (non unius tantum sed omnium pariter nationum et populorum judex ultimus)

implebit ruinas : (justa ac terribilis pœnae retributio eos consequetur, qui in inimicitia sua impœnitentes perseveraverint :)

(Actus eliciam timoris.)

conquassabit capita (etiam proceres regnorum, et viri insignes malitiae triumphatori sunt cessuri)

in terra multorum (Imperialem suam potestatem multis in locis exercebit).

7. (Christus) *De torrente in via bibet* : (vexatus continuo ab adversariis dira plurima patietur :)

propterea (propter virilem nempe constantiam et patientiam heroicam :)

exaltabit caput (gloriose triumphabit). (Et sicut cum malis luctavit Christus, ita sponsa Christi per saeculorum decursum dura saepius sustinebit, ut tandem cum Sponso diademate splendoris coronetur in regno ejus sanguine et humiliatione acquisito).

174. Psalmus cxxxiii. Ecce nunc benedicite.

Psalmus hic ultimus est eorum qui dicuntur cantica graduum, et merito tamquam doxologia iisdem apposita haberi poterit.

Populus invitat ministros sacros ad laudandum Deum die ac nocte.

1. *Ecce nunc* (Hac ipsa hora opus sacrum agendum, dum muneri incumbitis divinas laudes persolvendi. « In hoc tempore. Nam post transactas tribulationes, manifestum est quia benedictioni Domini vacabi-

mus... Quia tunc benedicturi sunt sine defectu, hic incipiunt benedicere Dominum ; hic in tribulationibus, in tentationibus, in molestiis, inter adversitates saeculi, inter insidias inimici, inter fraudes et impetus diaboli. » S. Aug. in h. 1. M. 4, 1737.)

benedicite (hoc officium vestrum privilegiatum ; ad hoc signati estis et deputati, ut carmina cantetis mente, corde, ore, idque assidue ;)

Dominum, (non hominis vel regis laudem concinitis, sed celebratis Dominum, Deum deorum, et Regem regum ;)

omnes servi Domini, (levitae et sacerdotes electi in servitium Dei, Dominum pro populo interpellate, eumque vice populi collaudate :)

qui statis in domo Domini, (Adestis expediti ad munus sacrum persolvendum ; vigiles estis in templo sacro; ad orationem vos disponitis. His verbis ad sensum divinae praesentiae, ad reverentiam et fervorem incitantur.)

in atriis domus Dei nostri (non in atriis magistratuum vel regum terrestrium, sed in atriis palatii regis cœlestis ; qui locus proprius est famulorum Dei).

2. *In noctibus* (Die ac nocte jugiter ministerio vestro fungimini ; dum alii ludunt, vel dormiunt, vel peccant, ipsi Deo adstatis benedicentes.)

extollite manus vestras (en solemnis orandi gestus)

in sancta, (versus sanctum sanctorum, ubi magnificentior Dei manifestatio)

et benedicite Dominum (en fastigium muneris sacerdotalis).

Respondent sacerdotes et levitae.

3. *Benedicat* (vos enim ipsa Dei creatura estis ; vobis profecto dicet bona ;)

te (quo significatur totus populus, tamquam unicus Dei

filius dilectus ; « unum benedicitur ; esto unum ; cum reliquis fratribus habita in unum, et perveniet ad te benedictio. » S. Aug. in h. l. M. 4, 1738)

Dominus ex Sion, (i. e. ex loco sancto, qui pro nobis erit maxime ecclesia publica loci nostri)

qui fecit cœlum et terram (Nominatur Deus ex attributo illustri secundum quod omnia quae non sunt ipse ad esse solus vocavit ; et quum orbis universi molem stupendam verbo condiderit, quid non poterit benefaciendo facere ?)

175. Psalmus lxxxvi. Fundamenta ejus (1-4).

CANTICUM EXULTATIONIS DE GLORIA CIVITATIS DEI.

Conveniet ut quis continuo velut aspectu oculis suis repraesentet — urbem Jerusalem, — Ecclesiam Christi in terris militantem, — et novam Jerusalem triumphantem in coelis.

In hoc psalmo sub figura urbis Sion Ecclesia Christi praenuntiatur et laudatur.

a. *Psaltes loquitur*

1. *Fundamenta ejus* (Dei) *in montibus sanctis* : (Deus nempe posuit fundamenta religionis revelatae in monte Sion, ubi sub Davide area exstitit, et in monte Moria, ubi Salomon templum exstruxit.)

2. *Diligit Dominus portas Sion* (civitatem sanctam) *super omnia tabernacula Jacob* (i. e. ceteras urbes populi Israëlitici).

3. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (Urbs enim est, quam Deus tamquam suam elegit, ubi singulari fulgore

manifestata est ejus praesentia sublimis ; de ea etiam praedicabatur prosperitas temporalis, pax, laus religionis ; figura demum erat Ecclesiae Christi et mansionis aeternae).

b. *Deus introducitur loquens de ethnicorum ad verum cultum conversione.*

4. *Memor ero* —

a. *Rahab* (Aegypti, — nationis antiquae, excultae, potentis, quae longam duramque tyrannidem exercuerat in populum Dei)

b. *et Babylonis*, (populi mundani, celebris, et iniquae dediti superstitioni)

— *scientium me* (sua tandem relicta superstitione).

c. *Ecce alienigenae*, (hebraice : *Philistaei* — antiqui et inclyti hostes Israëlitarum)

d. *et Tyrus*, (urbs dives et superba)

e. *et populus Aethiopum* (gens potestate et barbarie nota)

— *hi fuerunt illic* (Omnes isti tamquam conversi ad cultum Dei veri praenuntiantur. In textu hebraico: populi isti *enati sunt in ea*, quatenus nempe omnis eorum religio, fama, cultura ascribenda erat verae religioni tamquam matri fecundae).

176. Psalmus lxxxvi. Fundamenta ejus (5-7).

c. *Loquitur deinde Dominus de gloriosa progenie urbis sanctae.*

Praeponas menti —

1. Civitatem David tamquam figuram Ecclesiae.
2. Ecclesiam sponsam Christi.
3. Jerusalem novam in coelis.

Memorare deinde jam dicta in psalmo, urbem nimirum sanctam —

1. fundatam esse a Deo in montibus sanctis ;
2. vehementer et singulariter a Deo esse dilectam ;
3. stirpes potentes et olim Dei cultoribus inimicas in gremio civitatis excelsae receptas esse, omnesque pariter ab ea dotes suas praeclaras in acceptis agnoscere.

---

5. *Numquid* (deest in textu hebraico) *Sion dicet* :
Homo et homo (magna intenditur multitudo) *natus est in ea* : (inde inclyta progenies servorum Dei :)
et ipse fundavit eam Altissimus ? (Opus vere divinum est non humanum, adeoque fit centrum divinae dispensationis in terris.)

6. *Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt in ea* (quando numerando percenset populos et reges, nomina eorum notabit, qui nati sunt in urbe sua dilecta Jerusalem).

d. *Psaltes carmen absolvit.*

7. *Sicut laetantium omnium habitatio est in te* (vel 1. habitare in hac urbe beata laetari est ; vel 2. secundum textum hebraicum : *comitantibus tibiis cantant* ; *omnes mei fontes in te sunt* : i. e. cum grato animo laetabundi conclamant, quod habemus totum in acceptis referimus almae Dei civitati).

177. Psalmus cxiii. In exitu Israel (Pars prima, 1-8).

PRODIGIA DIVINA ENARRANTUR.

Antiphona. ALLELUIA.

Actus quos inter psalmum recitandum elicies : fides divinae omnipotentiae, gratiarum actio de speciali ejus providentia erga populum electum, fidelitas et fiducia.

---

a. *Discessus, Deo duce, e terra durae servitutis.*

1. *In exitu Israël de Aegypto,* (ubi detinebatur sub saeva tyrannide)
domus Jacob (posteri Jacob universim) *de populo barbaro:* (i. e. qui utebatur lingua aliena :)

b. *Finis discessus proponitur.*

2. *Facta est Judaea* (populus Judaeorum) *sanctificatio ejus,* (populus sanctificatus Dei ipsius) *Israël potestas ejus* (sub potestate existit immediata Dei ; corpus ejus politicum a ceteris seclusum theocratice gubernatur).

c. *Signa praesentiae et auctoritatis divinae.*

Miraculum primum : 3. *Mare vidit, et fugit* : (prodigium maris rubri. Ex. 14. 22 :)

Miraculum ultimum : *Jordanis conversus est retrorsum* (« Ingressisque eis Jordanem, steterunt aquae descendentes. » Jos. 3, 15.16).

Miraculum intermedium : 4. *Montes exultaverunt* (in textu hebraico, *subsilierunt*) *ut arietes* : (« totus autem mons Sinai fumabat (hebraice, *tremebat*) Ex. 19. 18) : *et colles sicut agni ovium.*

d. *Dialogus poëticus.*

5. *Quid est tibi mare quod fugisti* ?
et tu Jordanis quia (cur) *conversus es retrorsum ?*

6. (Cur) *Montes exultastis ut arietes,*
et colles sicut agni ovium ?

Responsio.

7. *A facie Domini mota est terra,* (a Dei potentia)
A facie Dei Jacob (qui solus verus est Deus).

8. *Qui convertit petram in stagna aquarum,* (in monte Horeb. Ex. 17, 6)
et rupem in fontes aquarum (in Cades. Num. 20, 11).

178. Psalmus cxiii. In exitu Israël (Pars altera 1-13).

CULTUS DEI VERI.

a. Finis orandi, gloria Dei.

1. NON NOBIS, DOMINE, NON NOBIS : SED NOMINI TUO DA GLORIAM.

b. Motiva orandi, — Dei misericordia et veracitas.

2. *Super* (propter) *misericordia tua, et veritate tua* :

Nequando (ne forte unquam) *dicant gentes : Ubi est Deus eorum ?*

c. Professio fidei.

3. *Deus autem noster in coelo* : (et) *omnia quaecunque* (cum emphasi) *voluit, fecit.*

4. (E contrario) *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.*

d. Irrisio falsorum deorum.

5. *Os habent et non loquentur* :
oculos habent et non videbunt.

6. *Aures habent et non audient* :
nares habent, et non odorabunt.

7. *Manus habent, et non palpabunt* :
pedes habent, et non ambulabunt :
non clamabunt in gutture suo.
adeoque : —

8. *Similes illis fiant* (hebraice : *fient*) *qui faciunt ea :*
et omnes qui confidunt in eis.

e. Exhortatio ad fiduciam.

9. *Domus Israël* (i. e. universus populus) *speravit* (hebraice : *sperate*) *in Domino :*
adjutor eorum et protector eorum est.

10. *Domus Aaron* (tribus sacerdotalis) *speravit* (sperate) *in Domino* :
adjutor eorum et protector eorum est.

11. *Qui timent Dominum* (proselytae) *speraverunt* (sperate) *in Domino* :
adjutor eorum et protector eorum est.

12. *Dominus memor fuit* (melius : est vel erit, et sic de ceteris) *nostri* :

et benedixit nobis :
Benedixit domui Israël :
benedixit domui Aaron :

13. *Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.*

179. Psalmus cxiii. In exitu Israel (14-18).

PETUNTUR BENEDICTIONES DIVINAE.

Breviter revocentur laudes divinae in superioribus prolatae.

a. Thema poëmatis : ALLELUIA.
b. Laudatur omnipotentia.
c. Deus omnibus canitur praestare ; ejus gloria omnibus anteponenda : —

---

14. *Adjiciat Dominus super vos* : (det vobis omnem bonorum copiam :)

super vos, et super filios vestros (« Accesserunt oves quae non erant de hoc ovili, ut fieret unus grex et unus pastor: accessit fides omnium gentium, et crevit numerus non solum sapientium antistitum, sed etiam obedientium populorum. » S. Aug. in h. l. M. 1486).

15. *Benedicti vos a Domino* (valet quidem ille super omnes vobis benefacere et benedicere, quia ille est —)
qui fecit cœlum et terram.

16. *Cœlum cœli Domino*: (lucem inhabitat inaccessibilem; ibi propria sedes ejus ;)
terram autem dedit filiis hominum (ut ibi habitent, vitamque ducant tranquillam et piam). (Alium sensum addit S. Augustinus : videlicet : Dominus « ere-

xit et sublimavit quorundam sanctorum mentes in tantum, ut nulli hominum, sed ipsi Deo suo docibiles fierent : in cujus cœli comparatione quidquid carneis oculis cernitur, terra dicenda est. *Terram autem dedit filiis hominum* quatenus ejus consideratione, quantum possunt, conjiciant Creatorem, quem infirmis adhuc cordibus sine isto conjecturae adminiculo videre non possunt. » in h. l. M. 1486).

17. (Profecto) *Non mortui laudabunt te, Domine* : (adeoque non sinat nos Deus perire, quia tunc cessaret laus populi electi :)
neque omnes qui descendunt in infernum (vel mortui vel damnati).

18. *Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino,*
ex hoc nunc et usque in saeculum (Praeter sensum obvium Bellarminus et alium proponit, scilicet : — « Qui mortui sunt morte peccati, etiamsi vivant vitae naturae, non laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum, qui in morte peccati confirmati sunt, et ad poenas aeternas descenderunt : sed nos qui vivimus vita gratiae, qui per fidem, et caritatem tibi inhaeremus, et jam coelestis patriae cives sumus »).

180. Psalmus xxx. In te Domine speravi [1].

IV. Precatio fiducialis.

1. Psalmus iste scriptus est a Davide tempore persecutionis Saulinae.
2. Observandum porro quod secundum textum hebraicum Deus dicitur esse

1. 1 – 6 : prout in Completorio recitatur.

petra . . . . . praesidium naturale (in Vulgata. *fortitudo*).
petra fortissima. item praesidium naturale (in Vulgata. *protector*).
munimentum. . . structura artefacta (in Vulgata. *refugium*).
arx munitissima. (anglice : citadel) (in Vulg. *domus refugii*).

---

a. *Fiducia.*

2. *In te Domine speravi* (in textu hebraico : *ad te confugi*) : *non confundar in aeternum* : (nunquam erit mihi locus erubescendi ex eo quod rem meam Domino commiserim :)
in justitia tua libera me (ex amore rectitudinis et justitiae salva innocentem).

b. *Petitio.*

3. *Inclina ad me aurem tuam,* (pulchra et filialis commercii metaphora)
accelera (quia periculum imminet)
ut eruas me.
Esto mihi in Deum protectorem (hebraice : *esto mihi rupes fortissima*):
et in domum refugii (hebraice : *in arcem valide munitam*),
ut salvum me facias.

c. *Fiduciae motiva.*

4. *Quoniam fortitudo mea* (hebraice : *petra*), *et refugium meum* (hebraice : *munimentum* : anglice : fortification)
es tu : (Nota emphasim.)
et propter nomen tuum (quia bonus es, et creator et fidelis)
deduces me, (sicut pastor oves praecedit eisque viam ostendit)

et enutries me (sicut pastor cibum et aquam gregi providet [hebraice : *duces et deduces me*]).

5. *Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi :* (Nota vividam metaphoram insidiarum.)
quoniam tu es protector meus (petra fortissima).

d. Fiduciae actus supremus.

6. *In manus tuas commendo spiritum meum* :. (vérba sacratissima quibus Salvator et sancti complures animam conditori reddiderunt :)
redemisti me (etenim a periculis saepe me salvasti ;) *Domine Deus veritatis* (Deus ipsa fidelitas ; si stat verbum regis vel episcopi, quanto magis verbum Dei ?).

181. Psalmus xlii. Judica me, Deus.

Homo mortalis, sacra muneris veste ornatus, ad altare humilis corde accedit, et quamvis mente conscius sit de exiguitate sua, Deum tamen cum fiducia alloquitur

Homo est, tristibus vexatus, Adae filius fragilis ac tentatus, miles Christi insidiis diaboli obnoxius. Hinc fortasse mentis dubietate tremebundus exsistit ne indignus sit ut edat et bibat de sacra mensa salutis.

Eloquio igitur Spiritus sancti edoctus ita exorditur : —

a. Appellatio ad Deum.

1. *Judica me Deus,* (omniscius et justus)
et discerne (judica) *causam meam de gente non sancta,* (Veritatem enim quaesivi, virtutem dilexi, et malum odio sincero habui.)
ab homine (quolibet) *iniquo et doloso erue me.*

2. *Quia tu es Deus fortitudo mea :*
(pia audacia nunc queritur) : —
1. *quare me repulisti ?* (Videris enim me dereliquisse. Quid feci ?)
2. *et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus ?* (Sta, Domine, promissis, et ne permittas servum tuum nimium premi hostibus.)

b. Fiducia.

3. *Emitte lucem tuam* (Ipse lumen mentium, et lux mundi.)
et veritatem tuam : (adimple promissa adjuvandi nos :)
(Sane) *ipsa* (lux et veritas) *me deduxerunt et adduxerunt* (Intellige de praeterito et de futuro.)
1. *in montem sanctum tuum* (Quare dicitur mons sanctus ?)
2. *et in tabernacula tua* (pluralis forsan majestatis).

c. Major adhuc fiducia.

4. *Et introibo ad altare Dei :* (ubi Deo sacrificatur Deus-homo in quatuor fines cultus supremi :)
ad Deum qui laetificat juventutem meam (Quis inter juvenes gaudet sicut sacerdos ?). *Confitebor tibi in cithara* (aperta laude) *Deus* (elice actum fidei) *DEUS MEUS* (cum emphasi repetitur).

d. Redeunte tristitia redit et fiducia.

5. *Quare tristis es anima mea ? et quare conturbas me ? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi* :
(quia) *salutare vultus mei*, (Deus dabit ut fide salutem consequar ;)
et DEUS MEUS (mihi totus et omnia).

182. Psalmus XXV. Judica me, Domine [1].

1. In priore hujus psalmi parte David professus est suam innocentiam, et Deum rogavit ut ipsum probaret et tentaret. « Proba me, Domine, et tenta me. »

2. Proposita sua deinde statuit de futuro. « Cum iniqua gerentibus non introibo. »

3. Innocentiam suam nunc factis et verbis manifestat.

a. Actiones cultus.

6. *a. Lavabo inter innocentes manus meas* : (ritus symbolicus ante sacrificium :)

b. et circumdabo altare tuum Domine : (altare holocaustorum ante tabernaculum :)

c. ut audiam (vel proferam) *vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua* (hominibus generatim, ac nominatim mihimetipsi).

b. Amor templi divini.

8. *Domine dilexi decorem domus tuae,* (Hoc saltem quisquis poterit Deo praestare, scilicet ejus visibilem habitationem ornare, revereri, in omnibus nitidam servare.)

et locum habitationis gloriae tuae (Gloria enim Dei visibiliter manifestata est super tabernaculum, et in dedicatione templi. « Ignis descendit de coelo, et devoravit holocausta et victimas : et majestas Domini implevit domum. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset majestas Domini templum Domini. » etc. 2 Par. 7).

1. Pars altera 6 12, ut in Missa occurrit.

c. Petitio.

9. *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, et cum viris sanguinum* (i. e. iniquissimis) *vitam meam* : (ne forsan tentatus in grave delictum vel in desperationem apostasiae declinem :)

10. *In quorum manibus iniquitates sunt : dextera eorum repleta est muneribus* (insinuantur videlicet varia oblectamenta quibus allici posset sacerdos in malum).

d. Ardens innocentiae professio.

11. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me et miserere mei.*

12. *Pes meus stetit in directo* (firmus ac stabilis) : *in ecclesiis benedicam te Domine* (i. e. publice, et solemni gratiarum actione).

183. Psalmus cxxi. Laetatus sum (1-5).

Una cum peregrinis, qui ascendunt montem Sion, ut offerant dona et preces in loco sancto, hunc laetitiae hymnum cantemus.

i. Imaginare aspectum civitatis Jerusalem de monte Olivarum.

ii. Spiritum petas viri in urbem sanctam peregrinantis.

iii. Laetare et gratias age pro omnibus, quae fecit Deus servis suis in loco isto.

iv. Inter psalmum recitandum ob oculos semper teneantur: —

1. Jerusalem, civitas David.
2. Ecclesia novi testamenti, et nominatim haec nostra ecclesia Oscotiensis.
3. Jerusalem coelestis.

4. Peregrinantes ad istas civitates, earumque templa.
5. Levitae redeuntes ad sanctuarium Domini.

A. PRAELUDIUM :-CONCLAMANT PEREGRINI :

a. *in via.*

1. *Laetatus sum in his : quae dicta sunt mihi : « In domum Domini ibimus »* (Eamus in domum pulchram, spatiosam, magnificam, salvificam, propter me meosque sodales et amicos aedificatam. « Curramus, curramus, quia in domum Domini ibimus.»S. Aug. in h. 1).

b. *quum venerint in conspectu urbis.*

2. *Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis, Jerusalem* : (Consistebant, et admirabantur illam.)

B. LAUDATUR URBS SANCTA.

a. *civitas ipsa materialis.*

3. *Jerusalem, quae aedificatur ut civitas* (grandis, regalis) :
cujus participatio (ejus) in idipsum (cujus aedificia apte et perpulchre sunt compacta).

b. *dilecta et sancta civitas populi Dei.*

4. *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini :*
testimonium Israël (secundum legem, ter in annum ascendebant)
ad confitendum nomini Domini (Cogita quam verum hoc sit de Judaeis, de fidelibus, de nobis, qui ad seminarium redimus, et de animabus, quae transeunt ad civitatem coelestem, ubi « per vicos Alleluia cantabitur. » Tob. 13. 22).

c. *centrum auctoritatis et vitae socialis.*

5. *Quia illic sederunt sedes in judicio* (judicum), *sedes super domum David.*

184. Psalmus cxxi. Laetatus sum (6-9).

Haec meditationi ipsi praemittantur : —

1. Deus ipse fundator fuit et rector populi Judaici : ipse templum Salomonis speciali modo visitavit, inauguravit et sanctificavit.
2. Deus-homo et fundavit et sibi propriam fecit Ecclesiam novi testamenti. Templa nostra ejus praesentia reali sacrata sunt, et nominatim templum hoc, ubi tot gratiae et aliis et nobis collatae sunt.
3. Visio Dei cœlum est. Ipse Deus rex beatorum ; ipse beatis omnia in omnibus. Ipse civitatis aeternae gloria ineffabilis et indeficiens.

---

d. *Salutationes urbis sanctae.*

6. *Rogate quae ad pacem sunt Jerusalem :* (i. e. prospera, stabilia, et tranquilla :) (« Da pacem Domine in diebus nostris. »)
   et (sit) *abundantia diligentibus te* (i. e, incolis et amicis urbis ; secundum illud quod adeo frequenter precamur : « Retribuere dignare Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam »).

7. *Fiat pax in virtute tua* (i. e. intra muros tuos :)
   et abundantia in turribus tuis in palatiis.)

C. MOTIVUM LAUDIS.

a. *Amor fratrum.*

8. *Propter fratres meos, et proximos meos,* (Deus in familia sanctorum laudandus est, adeoque Deum jubemur

laudare propter amicos et cognatos nostros omnes, qui ex stirpe sunt populi electi. Quanto vero magis in arcta societate Ecclesiae Christi haec sunt proclamanda, et magis adhuc in cœlesti urbe, ubi omnia perfecta erunt. Spritus itaque Dei nobis benigne concedat, ut omnium hominum vel saltem credentium sit cor unum et anima una ; ut omnes absque suspicione, praejudicio vel contentione in unam familiam pacificam filiorum Dei coalescant.)

loquebar pacem de te (pacem adprecatus sum tibi, Jerusalem) :

b. *Zelus religionis.*

9. *Propter domum Domini Dei nostri* (propter zelum religionis, seu cultus divini, ut regnum Dei inter homines dilatetur)
quaesivi bona tibi.
a. An Ecclesiam Dei in terris sincere diligo ? an sum illi in cunctis fidelis ?
b. An super omnia et semper inter cives regni cœlestis adscribi cupio ?
c. An ecclesiam hanc amo, in qua gloria Dei, et corpus sacratissimum Salvatoris habitant ?

185. Psalmus cxlvii. Lauda Jerusalem.

LAUDATUR DEUS OMNIUM BONORUM DATOR.

Largitori bonorum omnium Deo laudes rependuntur ; quia, sicut universis benigne contulit bona naturalia, ita electis congrua et nobilissima bona supernaturalia providit.

THEMA. ALLELUIA, sive, Laudate Dominum. Hic omnium finis et beatitas.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

a. *Beneficia populo electo facta.*

12. *Lauda Jerusalem* (totus fidelium cœtus) *Dominum* (Jahve) :
lauda Deum tuum Sion (levitae, sacris addicti muneribus).

13. *Quoniam confortavit seras portarum tuarum* : (securitas vitae communis intimatur :)
benedixit filiis tuis in te (prolis fecunditatem elargiendo).

14. *Qui posuit fines tuos pacem* : (pacem dedit cum vicinis :)
et adipe frumenti satiat te (cibariorum abundantiam paravit).

b. *Beneficia omnibus communia gentibus.*

15. *Qui emittit eloquium suum terrae* : (verbo Dei cunctae dispositae sunt leges, quibus regitur cursus mundanus:)
velociter currit sermo ejus (secura et velox omnium gubernatio).
(Deo enim sic disponente propere facies hiemis apparet). —

16. *Qui dat nivem sicut lanam* :
nebulam (pruinam) *sicut cinerem spargit.*
Mittit crystallum suam (grandinem) *sicut buccellas* (frustula) :
ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ? (Frigoris pulchre depingitur saevitia pluribus, et maxime Orientalibus vix tolerabilis.)
(Deo aliter disponente ver subito apparet) —

18. *Emittit verbum suum, et liquefaciet ea* (nivem, pruinam, grandinem, et glaciem) :
flabit spiritus ejus (ventus tepidus), *et fluent aquae*

(inflantur rivuli et amnes, nive et glacie liquefactis).

c. *Beneficia summa et singularia genti praedilectae collata*

19. *Qui annuntiat verbum suum Jacob*: (Verbum Dei intelligitur esse lex quatenus a Deo revelata.)
iustitias (sanctitatis praecepta) *et judicia* (mandata recta) *sua*
Israël (Populi quidem Israëlitici hoc supereminens erat beneficium, quo Deus legem vitae rectae sanctaeque ipsi communicavit).

20. *Non fecit taliter omni nationi* :
et judicia sua non manifestavit eis (beneficii singularitas agnoscitur).
ALLELUIA.(affectu ferventiori laudes benefactori summo redduntur).

186. Psalmus cxvi. Laudate Dominum omnes gentes.

Invitantur gentes ad laudandum Deum, et prophetice annuntiatur regnum Messianicum universale.

Antiphona (in textu hebraico) ALLELUIA.

1. *Laudate* (actibus cultus, reverentia nempe, gratulatione, gratiarum actione, amore)
Dominum (Jahve, supremum omnium rectorem, et principem potestate et perfectione infinita pollentem)
omnes (et non multae tantum sed prorsus universae) *gentes :* (quae sunt, vel fuerint ex omni stirpe humana conversae ad fidem Messiae, —

sive etiam aliae nondum ad integritatem fidei adductae :)

laudate eum omnes populi : (Populorum nomine significantur sive iidem ac superius, sive Judaei universi, sive tandem omnes nationes, lingua, institutis ac moribus distinctae. His verbis « Vocatio gentium ad Christum » praenuntiatur. Rom. 15, 9 sqq. « Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine. (2 Reg. 22, 50). « Et qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. » Is. 11, 10.)

2. *Quoniam* (ratio affertur laudis universalis) *confirmata est* (in textu hebr : *confortata*) *super nos* (Judaeos, et etiam Christianos) *misericordia ejus* : (super Judaeos propter impletas promissiones, — terrae lacte et melle manantis, prosperitatis, protectionis ; — super Christianos ex gentibus conversos, propter vocationem gratuitam, gratiam, misericordiam, redemptionem, sacramentorum dona praeclara. « Dico enim.. gentes autem super misericordia honorare Deum. » R. 15, 9 :)

et veritas Domini, (prophetiae videlicet, et promissiones Judaeis factae) *manet in aeternum* : (sub tutela divina, cum assistentia Spiritus sancti, in praesentia Christi eucharistici). (Manet porro veritas Domini, ait S. Augustinus, « sive in eis quae promisit justis, sive in eis quae minatus est impiis. » In h. l. M. 4, 1495.) ALLELUIA (Antiphona in t. hebr.)

187. Psalmus cxii. Laudate, pueri Dominum [1].

EXORDIUM SEU HORTATIO AD LAUDANDUM.

1. *Laudate, pueri Dominum* : (hebraice : *servi Jahve*, quo titulo honorifico designatur universus populus Dei :)
laudate nomen Domini (ejus nempe essentiam, gloriam splendorem, majestatem, titulos divinos).

2. *Sit nomen Domini benedictum*, (in omnibus, super omnia, tamquam res ex propria substantia sacrosancta, et summis semper laudibus efferenda)
ex hoc nunc et usque in saeculum (A cunctis praedicetur, extollatur, sanctificetur majestas numinis usque in remotissimam aeternitatem).

3. *A solis ortu usque ad occasum*, (ab oriente ad occidentem, super universam faciem terrae)
laudabile nomen Domini (tamquam thema laudis perennis).

MOTIVA LAUDANDI : —

a. *Dei praestantia.*

4. *Excelsus super omnes gentes Dominus*, (quantumcunque sint numerosae, splendidae, fortes et sapientes)
et super coelos gloria ejus (Pulchritudinem creaturarum terrestrium quis rite investigabit ? coelorum vastitatem, subtilitatem, ordinem, mutuam actionem quis aestimare valet ? at super omnia ista sublimis ille regnat).

1. Primus ex psalmis laudis seu « Hallel, » cxii-cxvii.

b. *Dei cura suorum.*

5. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat,* (ut in sede propria)

6. *et humilia respicit in coelo et in terra* (Quod profecto movet admirationem ; quia quum in se sit ens sublime, altissimum, et sibi omnimodo sufficiens, nihilominus omnia gubernat, omnibusque providet. Respicit praesertim preces humilium, quibus etiam uti solet ad opera praeclara).

c. *Benignitas Dei* i. *erga pauperes :*

7. *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem,*

8. *Ut collocet eum cum principibus,* (quod cum emphasi dicitur) *cum principibus populi sui* (populi electi, theocratici).

ii. *erga eam quae laborat defectu physico.*

9. *Qui habitare facit sterilem in domo* (sponsam diu infecundam), *matrem filiorum laetantem.*

188. Psalmus cxxxi. Memento Domine David (1-5).

DE TEMPLO AD ARCAM FOEDERIS RECIPIENDAM DIGNO.

Arcam testimonii mente conspice. Erat ex lignis setim confecta, auro mundissimo intus et foris obtecta ; in utroque latere annuli habebantur aurei, in quibus inserti erant vectes auro vestiti. Operiebatur propitiatorio super quod positi erant duo cherubim ex auro ductili ex utraque parte propitiatorii. Ibi erat thronus Dei secundum verbum : « In nube apparebo super oraculum (seu propitiatorium). » Lev. 19, 2.

In arca reconditae sunt virga Aaronis, tabulae testamenti,

et urna aurea continens manna. « Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, et ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas. » Exod. 40, 36.

Praesente arca hostes sunt victi, retrusum flumen, dejecta civitatis moenia, immissae pœnae vel effusae benedictiones.

David templum stabile dignumque ad arcam recipiendam erigere cupivit : at vero non illi (viro bellatori qui sanguinem fuderat), sed filio suo Salomoni (viro pacifico) honos ille a Deo concessus fuit.

---

a. Deus pius invocatur.

1. *Memento Domine David,* (Si non apud homines, saltem apud Deum justus habetur in memoria sempiterna. Psaltes Deum appellat, ut reminiscatur Davidis tamquam viri fidelis, devoti filii, ac regis singulariter dilecti, atque eminentis typi Messiam venturum praesignificantis.)

et omnis mansuetudinis ejus : (i. e. vel. 1. *patientiae* inter molestias regni et rebellionis ; sive *humilitatis*, ut patet in psalmis et in indole cordis Davidis : « Quis ego sum Domine Deus, et quae domus mea, ut praestares mihi talia ? » 1 Par. 17, 16 ; vel 2. in hebraeo : *defatigationis* seu *laboris* (ut sanctuarium Arcae fixum praepararet :)

b. Narrantur gesta David.

2. *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob* (i. e. « Potenti » Jacob) :

(« (David) dixit ad Nathan prophetam : Ecce ego habito in domo cedrina : arca autem foederis Domini sub pellibus est. » 1 Par. 17, 1.)

3. *Si introiero in tabernaculum domus meae* (i. e. domum meam)

si ascendero in lectum strati mei :

4. *Si dedero somnum oculis meis : et palpebris meis dormitationem,*

5. *et requiem temporibus meis :*
donec inveniam locum Domino, (templum divinae congruum majestati) *tabernaculum Deo Jacob* (Omnipotenti Deo hujus stirpis Israëliticae). (« Haec dicit Dominus :... Neque enim mansi in domo, ex eo tempore quo eduxi Israel usque in diem hanc : sed fui semper mutans loca tabernaculi, et in tentorio manens cum omni Israël. » 1 Par. 17, 5. 6.

Ex his omnibus disce :
a. Dei fidelitatem ;
b. ardorem in bono prosequendo ;
c. zelum circa cultum Dei ;
d. devotionem erga SS. Sacramentum in templis nostris nobiscum manens.)

189. Psalmus cxxxi. Memento Domine David (6-10).

De Arca foederis in templo collocanda.

Arca Domini a levitis per omnes Israëlitarum peregrinationes portabatur ; capta Jericho septem annos collocata est in Galgalis ; postmodum in urbe montana Silo annos 350 permansit ; a Philistaeis capta post septem menses restituta est, et apud Bethsames paulisper sedit, deinde apud Cariathiarim Abinadab levita eam viginti annos pie custodivit ; denique tempore Davidis adducta est Jerusalem cum insigni pompa et collocata primo cum Obedodom, Gethaeo, tandem in monte Sion.

Quod autem adeo pulchre de sanctuario templi et de arca cantatum est a Salomone, id tu fac etiam intelligas de adumbrata Ecclesia et tabernaculo ubi habitat cum suis Messias et Salvator.

6. *Ecce audivimus* (majorum traditione) *eam in Ephrata* : (intellige Ephraim, ubi sita est Silo :)
invenimus eam (nostro ipso tempore) *in campis sylvae* (Cariathiarim).

7. *Introibimus in tabernaculum ejus* : (magna mentis expectatione sibi imaginantur fideles aedificium splendidum, in quo fixam sedem habeat arca testimonii :)
adorabimus in loco (i. e. in templo), *ubi steterunt pedes ejus* (Arca habebatur ut scabellum pedum Omnipotentis. Ita David ipse : « Cogitavi ut aedificarem domum, in qua requiesceret arca foederis Domini, et scabellum pedum Dei nostri : » Par. 28, 2).

8. *Surge, Domine in requiem tuam* : (Hic revocentur verba Moysis : « Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses : Surge, Domine, et dissipentur inimici tui. « Num. 10, 35. Audiantur pariter verba Salomonis in dedicatione templi : « Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuae : » 2 Par. 6, 41.) *tu et arca sanctificationis tuae* (i. e. arca Dei praesentia visibili sanctificata).

Psaltes tria precatur :

9. *a. Sacerdotes tui induantur* (tamquam vestimentum magnificum) *justitiam* (i. e. sanctitatem propter eorum ministerium circa venerandam Dei majestatem) :
b. et sancti tui (fideles populi) *exultent*.
Propter David servum tuum, (motivum triplicis hujus petitionis)
c. (denique) *non avertas faciem Christi tui* (Rex, sacro unctus oleo, semper gaudeat favore divino).

190. Psalmus cxxxi. Memento Domine David (11-13).

QUID DEUS LARGITUS SIT SERVO SUO DAVID.

a. *Stirpis Davidicae perpetuitas.*

11. *Juravit Dominus David veritatem,* (juramentum reddit pro juramento) *et non frustrabitur eam* (quam nunquam retractabit) : « Praedicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus : ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum » 2 Reg. 7, 11-13. Cujus promissionis substantia nunc repetitur.)

de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

(Promissio datur atque servabitur, sed non absque paterno monito.)

12. *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea haec, quae docebo eos* :

Et filii eorum usque in saeculum, sedebunt super sedem tuam (Dominus enim jam dixerat : « Si (filius) inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum... Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul. Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter. » 2 Reg. 7, 14-16.

Et alibi :

« Semel juravi in sancto meo, si David mentiar :

Semen ejus in aeternum manebit.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum. » Ps. 88, 36-38.)

(Addit psaltes ipse) —

13. *Quoniam elegit Dominus Sion : elegit eam in habitationem sibi.*

(Admirare Dei amorem erga pium suum servum David ; intuere curam divinae providentiae, qua regiam Messiae dignitatem praeparat ac praenuntiat. Nuntii angelici verba recole : « Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. » L. 1, 32. 33.

Gaude demum ac laetare quod videris hoc Christi regnum gloriosum, cujus David et populus Israel electus non erant nisi figurae.)

191. Psalmus cxxxi. Memento Domine David (14-18).

b. *Locupl*es benedictio, viduae, pauperis sacerdotis, familiae David.*

14. *Haec* (Sion) *requies mea in saeculum saeculi : hic habitabo, quoniam elegi eam.* (Verba haec praeclara nobis sint signa amoris, quo idem Dominus nobiscum in ecclesiis commoratur. Suaviter S. Augustinus haec ad alium sensum applicat : « Sion, ipsa est Ecclesia, ipsa est et illa Jerusalem, ad cujus pacem currimus, quae non in Angelis, sed in nobis peregrinatur, quae ex parte meliore expectat partem redituram, unde nobis litterae venerunt quae quotidie recitantur. Ipsa civitas, ipsa est Sion quam praeelegit Dominus. Haec requies mea.... Jam Dei verba sunt, requies mea, ibi requiesco. Quantum nos amat Deus, fratres, ut quia nos requiescimus, se dicat requiescere. » Enar. in Ps. 181. in h. 1

15. *a. Viduam ejus* (Sion, et populi Israëlitici) *benedictione benedicam :*
b. pauperes ejus saturabo panibus.

16. *c. Sacerdotes ejus induam salutari*: (bonis salutaribus, et maxime sanctitate :)
d. et sancti ejus exultatione exultabunt.

17. *e. Illuc* (in hoc regno) *producam cornu*, (potestatem ejus accrescere faciam) *David* (i. e. stirpis Davidicae) *paravi lucernam christo meo* (regem gloria circumdabo : quod et praesertim de Christo Jesu intelligitur).

18. *Inimicos ejus induam confusione* (seu pudore) : (Fata recogitentur hostium sive Judaeorum, sive Christi, sive Ecclesiae.)
super ipsum (regem, et praecipue Messiam) *autem efflorebit sanctificatio mea* (sanctus erit gratiis, quibus ipsum replebo).
(Quae omnia plenum sensum obtinent in Christo Jesu, cujus David fuit typus insignis, et in Ecclesia sive militante sive maxime triumphante, quae regnum est Christi.)

192. Psalmus cxxvi. Nisi Dominus (v. i.)

1. *Canticum graduum* (Id mystice a S. Augustino sic exponitur : —
« Cantat ascendentis vox in affectu pietatis et caritatis ad illam supernam Jerusalem, cui aspiramus quamdiu peregrinamur, et ubi laetabimur cum a peregrinatione redierimus ;.. amando Deum, ascendis ; amando saeculum, cadis. Sunt ergo ista cantica aman-

tium, quodam sancto desiderio flagrantium.» in h. l. M. 4, 1667)

Salomonis (illius nimirum, cui Dominus nomen gratiosum Ididae, seu « dilecti » imposuit : « E vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. » 2. Reg. 12, 25).

Nisi Dominus aedificaverit domum, (De domo materiali primo agitur, quae divina providentia exsistit et servatur, deinde de opere quovis a nobis suscepto. Verba applicari etiam possunt ad Christum Ecclesiamque ab eo fundatam, et in hujus temporis spatio extruendam, vel denique ad nosmetipsos nostramque ad ecclesiasticum statum vocationem.)

in vanum laboraverunt qui aedificant eam.

(*a*. Structura materialis praesupponit certas qualitates materiae, et leges naturae physicae, quas utrasque determinavit ac permanenter sustinet Creator omnium.

b. Opus quod non pro Deo est, nec opitulante Deo suscipitur, aut citius aut tardius frustra esse conspicitur.

c. Non a Deo oriunda velleitas, quam quis circa statum sacerdotalem nutrit, vera vocatio dici nequit.

d. « Laborant multi in aedificando (Ecclesiam) ; sed si ille (Deus) non aedificet,in vanum laboraverunt aedificantes eam. Qui sunt qui laborant aedificantes ? Omnes qui in Ecclesia praedicant verbum Dei, ministri Sacramentorum Dei. Omnes currimus, omnes laboramus, omnes aedificamus modo ; et ante nos cucurrerunt, laboraverunt, aedificaverunt : sed nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, aedificantes eam... Nos ergo loquimur foris, ille aedificat intus... Ipse aedificat, ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sensum vestrum : et tamen

laboramus tamquam operarii ; sed nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt aedificantes eam. » S. Aug. in h. l. M. 4, 1668 in medio).

Nisi Dominus custodierit civitatem, (Non una tantum urbs, sed et regnum, immo et familia intelligi potest.)

frustra vigilat qui custodit eam (Deo benedicente societas prosperatur, Deo permittente manet, Deo non favente disparet ; et de Ecclesiae custodia ita loquitur S. Augustinus : « Laboramus in custodiendo, sed vanus est labor noster, nisi ille custodiat qui videt cogitationes nostras. » ib. M. 4, 1669).

193. Psalmus cxxvi. Nisi Dominus (2-5).

Pars prior hujus psalmi mente repetatur.

Ad omnia postulabantur Dei providentia, benedictio et gratia, secus opus incœptum aut non prosperum, aut labile tantummodo esset.

Id nominatim declaratum est quoad domus stabilitatem, et urbis securitatem.

Idem ulterius nunc ostenditur —

a. *In improbo et casso labore eorum, qui terrenis inhiant.*

2. *Vanum est vobis ante lucem surgere* : (Hoc dicitur non quidem simpliciter, sed quatenus quis surgeret ad laborandum mere propter bona vitae hujus, ad divitias comparandas, vel ad famam obtinendam. Laborum talium merces inepta prorsus esse cognoscitur.)

surgite postquam sederitis, (cum ironia dictum ; statim ac sederitis iterum ad laborem surgite ;)

qui manducatis panem doloris (Illi designantur, quorum

vita tristis et labor continuus est. Merito his verbis describuntur homines, qui curis negotiorum absorpti a mane ad noctem laborant, quin otium sibi concedant ut de fine vitae, vel de officiis aliquantulum cogitent, quae familiis, concivibus, Deo praestare debeant).

Cum dederit dilectis suis somnum : (Deus vult quidem ut fideles aptam capiant quietem et cogitationem, neque vero ut opera continua crucientur.)

a. *In benedictione eorum, qui cœlestia sapiunt.*

3. *Ecce haereditas Domini, filii* : (Porro neque filiorum gaudium et tutela nisi a Deo habetur. Quia filii, non a sola natura, sed a Deo providente procreantur ; etenim disposuit ille ut natura fecunda sit, et stirps adeo valida ut per saeculares generationes robusta maneat : dedit animam ipse eam creando ; dedit pariter instinctus affectusque eos homini infundendo; destinavit tandem filios in finem ultimum vitae, nimirum in beatam aeternitatem.)

merces,(praemium quod nobis Pater coelestis elargitur) *fructus ventris* (i. e. filii).

4. *Sicut sagittae in manu potentis* : (Indicantur arma, robur sagittarii et peritia. Robur et peritia nos apte docent, quae sint qualitates filiorum Ecclesiae militantis, et maxime eorum qui vocantur ut in ea sint duces.)

ita filii excussorum (filii eorum, qui exilium passi sunt : vel secundum textum hebraicum : *filii juventutis*, seu ex parentibus adolescentulis nati, qui frequenter magis robusti sunt. Filii igitur hujusmodi parentes defendent in angustiis, in egestate sustentabunt. Filii demum robusti Ecclesiae ipsam defendent contra hostiles modernorum incursus).

5. *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis :* (i. e. vel 1. qui numerosam prolem receperit ; vel 2. qui pharetram suam sagittis impleverit ad parentum defensionem :)
non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta (ex numerosa et robusta familia auctoritatem acquiret, qua publice et cum proceribus res suas audacter poterit agere).

194. Psalmus xc. Qui habitat (1-2).

Canticum laudis et fiduciae (sub forma dialogi).

« Si Deus pro nobis, quis contra nos ? » R. 8, 31.

Psalmus hic probabiliter scriptus fuit a David occasione pestis dirae, quae versus finem regni sui populum decimavit.

Thematis propositio

Prima vox.

1. *Qui habitat* (qui sedet permanenter, et quiescit)
in adjutorio Altissimi, (hebraice : *in loco secreto penes Altissimum*)
in protectione Dei cœli commorabitur (Permanebit sub umbra Omnipotentis ; manebit securus, confidens fortiori se. Viri siquidem honesti est hospites suos honorifice tractare et fidelissime tueri ; quam securus igitur erit ille, qui confugerit ad Dei hospitium, et totum se divino praesidio tradiderit).

Altera vox.

2. *Dicet Domino* : (Jahve nimirum, qui dedit revelationem et fœdus cum populo Israëlitico inivit :)

Susceptor (asylum) *meus es tu*, (hujus vocis emphasim nota)

et refugium meum : (Ipse quoque susceptor est, ut cum ceciderimus, non collidamur, quoniam supponit manum suam. Cum ergo tentationis impetum sentimus, ad ipsum statim confugiamus, et auxilium humiliter postulemus. Quod si forte tentatio nos praeoccupaverit, ad eum illico fugiamus. Solliciti simus semper ut suscipiat nos manus Domini.)

Deus meus (« Cur non Deus noster ? Quia in creatione, redemptione, ceterisque communibus beneficiis est Deus omnium : sed in tentationibus suis tamquam proprium eum habent singuli electorum. » S. Bern. in h. Ps. S. ii. n. 2. II, 1841.)

sperabo in eum (« Et attende quod non dixerit, Speravi, aut Spero ; sed Sperabo. Hic, inquit, est votum meum, haec propositum meum, haec intentio cordis mei. » ib. n. 3).

195. Psalmus xc. Qui habitat (3-8).

Pie ac lente intus repete exordium psalmi, ubi laudis hujus thema proponitur.

FIDUCIAE FUNDAMENTA.

Prima vox.

3. *Quoniam ipse liberavit me*

i. *de laqueo venantium*, (Inimicus generis nostri variis insidiis animas nostras veluti feras vel aves capere nititur. Quinam autem laquei ejus ? pro clerico hi enumerantur principales : —

« Luxus hujus saeculi ; sumptus in victu et vestitu et supellectili nimis profusi ; mollis vita, moresque delicati, nimius otii et quietis amor. » Synod. Westm. IV. Decr. ix. n. 9.)

ii. *et a verbo aspero* (verbis malignis et nocivis).

4. iii. *Scapulis suis* (in textu hebr. alis suis amplis) *obumbrabit tibi* :

iv. *et sub pennis ejus sperabis* (hebraice : *refugium petes*).

5. v. *Scuto* (suo magno) *circumdabit te veritas ejus* (fidelitas in promissis) :

vi. *non timebis a timore nocturno*, (nocte magis timentur pericula)

6. » » *a sagitta volante in die*, (inimicorum repentina incursione)

» » *a negotio perambulante in tenebris*, (hebraice : *peste*)

» » *ab incursu et daemonio meridiano* (ab incursu validioris hostis meridiani, vel simpliciter : a contagione pestis). (Quibus notantur inimici, qui nos nunquam non vexant, nocte, die, crepusculo et meridie. Omnis autem incursio inimica erit una ex sequentibus, nimirum : —

a. *timores* ; ut anxietas, aegritudo animi, scrupulositas ;

b. *incursio subitanea;* v. g. imaginis pravae vel verbi injuriosi ;

c. *impugnatio secreta* ; vel societatum secretarum, haereticorum ;

d. *aperta tentatio ;* v. g. ex parte litteraturae, vel luxus, vel intemperantiae alicujus, vel superbiae).

7. vii. *Cadent a latere tuo* (sinistro) *mille* :
et decem millia a dextris tuis :
ad te autem non appropinquabit (quia incedis sub protectione Dei).

8. *Verumtamen oculis tuis considerabis* ;
et retributionem peccatorum videbis (Hoc a justis frequenter perspectum est, ut narrant libri sacri ; idem patet tam in successivis Ecclesiae triumphis, quam in vita privatorum. Sed postremo, illud in regno Dei beato praesertim manifestabitur).

196. Psalmus xc. Qui habitat (9-13).

DEUS IPSE ASYLUM NOSTRUM, ET ANGELI CUSTODES.

Breviter in memoriam revoca securitatem asyli divini, ereptionem animae a laqueis, et certam Dei tutelam, quae significata est per protectionem alarum et scuti divini.

Altera vox

9. *Quoniam tu* (cum emphasi dicitur) *es Domine spes mea* (asylum) :

Prima vox.

Altissimum posuisti refugium tuum (asylum salutis certum).

10. *Non accedet ad te malum :*
(*a*. in genere : quod plenissime verificatur quando justus tandem pervenerit in portum regni coelestis.
b. in praesenti autem stadio, malum vel arcetur, vel minuitur et temperatur, ita ut ex malo majus bonum eruatur ;)
et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo (Intende vulnus vel vexationem externam).

11. *Quoniam angelis suis mandavit de te* : (Regia Dei ma-

jestas saepe vitae hujus necessitatibus providet per aulicos coelestes, qui ministri sunt voluntatis divinae.)

ut custodiant te in omnibus viis tuis (Notetur itaque hujus protectionis permanentia).

12. *In manibus portabunt te* : (Quam pia, quam suavis, quam delicata ista tutela !)

ne forte offendas ad lapidem pedem tuum (quapropter justus valebit non tantum hostibus resistere, verum etiam de iis triumphum reportare).

13. *Super aspidem et basiliscum* (serpentes valde nocivos) *ambulabis* :

et conculcabis leonem et draconem (feras indomitas, quae nominantur ob robur et indolem ferocem).

197. Psalmus xc. Qui habitat (14-16).

PRAESIDIUM DEI PROMITTITUR.

Deus ipse loquens inducitur.

14. *Quoniam in me speravit*, (hebraice : *mihi conjunctus est amore*)

a. liberabo eum : (Non enim dedignatur esse spes miserorum miserator et misericors Dominus ; nam se ipsum liberatorem simul et protectorem in se sperantibus exhibere non recusat. » S. Bernardus, in h. Ps. S. xv, n. 3. II, 1913.)

b. protegam eum, quoniam cognovit nomen meum (esse, majestatem, misericordiam, benignitatem, potentiam).

15. *Clamabit ad me,*

c. *et ego exaudiam eum* : (« Hoc plane est testamentum pacis, hoc pietatis foedus, hoc pactum misericordiae et miserationis... Dulcis lex, quae meritum exauditionis in clamore constituit postulationis. » 1. c. S. xvi, n. 1. II, 1917.)

d. *cum ipso sum in tribulatione* : (adest nobis cum tribulamur, — in taedio, in maerore, in luctu, in impugnatione qualibet :)

α. *eripiam eum,* (Clientem meum liberabo a barathro tristitiae, a pressura nimia, a malo viribus suis fortiore, a caligine tandem et lacrimis vallis hujus mundanae. « Sursum cor, sursum clamor, sursum desideria, sursum conversatio, sursum intentio, et omnis expectatio tua desursum sit. » 1. c. S. xvii, n. 6. II, 1915.)

β. *et glorificabo eum* (« quem nisi lux vera reficere, nisi aeterna implere non potest. » 1. c. S. xvii, n. 6. II, 1925).

γ. *longitudine dierum replebo eum :*

δ. *et ostendam illi salutare meum* (in praesenti consolatione et cœlesti gaudio. (« Verus nimirum dies, qui non novit occasum, aeterna veritas, vera aeternitas ; ac proinde vera, aeternaque satietas... Ostendam illi salutare meum, ostendam illi Jesum meum, ut in aeternum jam videat in quem credidit, quem dilexit, quem semper optavit. » 1. c. nn. 2. 7).

198. Psalmus lxviii. Salvum me fac, Deus.

I. Christi magna inter patiendum fiducia.

2. *Salvum me fac, Deus* : (Christus in angustiis positus, auxilium orat)
quoniam
intraverunt aquae (sicut inundatio quae omnia obruit)
usque ad animam meam (ut me in profundis demersum interimant).

3. *Infixus sum in limo profundi* (in limo aqua profunda cooperto) :
et non est substantia (Totum continuo cedit pedi. Hostes Christum quaerunt ut perdant. Recogita falsa testimonia, pervicaciam et astutiam populi et sacerdotum, debilitatem Pilati).
Veni in altitudinem maris (in mare dolorum apertum et profundum) :
et tempestas demersit me (Fluctuum impetus obruit me. Clamaverunt « Non hunc, sed Barabbam. Tolle, tolle, crucifige eum »).

4. (In his igitur angustiis spiritus mei) *Laboravi clamans*, (usque ad omnimodam defatigationem)
raucae factae sunt fauces meae (i. e. ploratu meo inflammatae) :
defecerunt oculi mei, (propter anxiam et continuum aspectum ad Deum)
dum spero in Deum meum (inter acerbissimos dolores et tristitias Christus indesinenter sperat, Deo immobiliter adhaeret).

---

1. De Christi dolore et triumpho.

5. (E contrario, dum homines respicit, dicere compellitur —)
Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis (Dicta applices ad inimicos Christi patientis, atque ad hostes Ecclesiae, quam ipse constituit).
Confortati sunt (pariter roborati sunt) *qui persecuti sunt me inimici mei injuste* : (« Nullam [ita confessus est Pilatus] invenio in eo causam. » J. 18, 38.)
quae non rapui, tunc exsolvebam (Expressio proverbialis est, qua proclamatur Christi innocentia. Eam applica ad falsitatem plurimorum, de quibus accusatur Ecclesia).

6. (Sequitur humilis confessio peccatorum in se susceptorum) *Deus, tu scis insipientiam meam*: (quoad David intellige peccata propria, quoad Christum, peccata generis humani in se libere suscepta :)
et delicta mea a te non sunt abscondita.

7. (Nihilominus) *Non erubescant in me* (i. e. propter me, ob dolorem et humiliationem) *qui expectant te, Domine virtutum* (Adonai, Jahve virtutum).
Non confundantur super me (mea causa) *qui quaerunt te, Deus Israël* (i. e. Deus promissionum Israël).

199. Psalmus lxviii. Salvum me fac, Deus (8-13).

ii. De Christi patientis in Deum pietate.

Ob oculos ponantur : —

1 Christi opprobria *in vita* (existimabatur ut stultus, filius fabri, litteris non excultus, vinolentus, violator Sabbati), — *in passione* (praesertim in judicio iniquo, flagellatione, crucifixione).

2. Christi jejunantis pœnitentia.
3. Irrisiones et contemptus inimicorum.

---

8. *Quoniam propter te* (propter majorem tibi gloriam comparandam) *sustinui opprobium :* (Nascitur in stabulo, vagus portatur in Aegyptum ubi in terra alienigenarum commoratur, vagus redit Nazareth ; sapiens ipse, ut stultus reputatur, verax tamquam mendax, Sanctum Dei ut daemonium habens, Judex mortuorum ut impostor, Filius Dei ut blasphemus, ipsa ejus divinitas ut causa mortis profertur).
   operuit confusio faciem meam (maxime in flagellatione, in coronatione, in crucifixione).
9. (SOLITUDO) *Extraneus factus suum fratribus meis, et peregrinus filiis matris mea* (« In propria venit, et sui eum non receperunt. » J. 1. 11. « Me autem mundus odit. » J. 7. 7).
10. *Quoniam*
   zelus domus tuae comedit me : (Merito de David dicitur, et de Salvatore, et maxime quum negotiatores illos e templo ejecerit. J. 2.)
   et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me (Injuriae tuae injuriae meae. Cor enim Davidis unitum erat cum Deo, Christus vero unum erat cum Patre).
11. *Et operui* (aliter, humiliavi) *in jejunio animam meam* :
   et hoc ipsum etiam) *factum est in opprobrium mihi.*
12. *Et posui vestimentum meum cilicium :*
   et factus sum illis in parabolum (in objectum irrisionis).
13. *Adversum me loquebantur qui sederunt in porta* : (ad portas urbis, seu in loco publico negotiorum ;)
   et in me psallebant (ironice) *qui bibebant vinum* (potius liquorem aliquem valde inebriantem).

200. Psalmus lxviii. Salvum me fac, Deus (14-19).

III. ORATIO CHRISTI PATIENTIS.

14. *Ego vero* (me persequentibus et blasphemantibus inimicis)
orationem meam ad te (dirigo) *Domine* :
Tempus beneplaciti, (sit, vel erit) *Deus, in multitudine misericordiae tuae* (« Hoc est tempus beneplaciti, In multitudine misericordiae tuae.
Nam si non esset multitudo misericordiae tuae, quid nos faceremus de multitudine iniquitatis nostrae? » S. Aug. in h. l.)
exaudi me in veritate salutis tuae (secundum verissimam promissionem tuam).

15. *Eripe me* (Rete difficultatum nostrarum una cum hostili Christi impugnatione cogitare hic juvabit. De Christo igitur recole hostium numerum, odium, praejudicia, daemonis astutiam eos excitantis, voluntatem Patris ; quoad nos autem, concupiscentiam quae intus ardet, tentationes quae quandoque animam obruturae videntur, daemonis impugnationem dolosam, tenebras densas quae lucem nonnunquam mente prohibent, et beneplacitum Dei qui suos vult probare.)
a. de luto, ut non infigar (v. 3):
b. libera me ab iis qui oderunt me (v. 5),
c. et de profundis aquarum.

16. *Non me demergat potestas aquae,*
neque absorbeat me profundum :
neque urgeat (claudat) *super me puteus os suum.*

17. *Exaudi me Domine, —*
a. quoniam benigna est misericordia tua : (venia

divina non est dura, neque frigida [quam Angli appellant « official »], sed suavis et humana ;)

b. secundum multitudinem miserationum tuarum (scilicet, paucae non sunt et rarae, sed innumerabiles ; pro omnibus habentur ad abundantiam ;)

respice in me.

Et ne avertas faciem tuam (tamquam indifferens vel iratus) *a puero tuo* (i. e. a dilecto tuo famulo) :

c. quoniam tribulor, (Causam dicit quare se exaudiri roget : homini quidem in tribulatione posito necessaria est Dei suavis misericordia. « Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviae in tempore siccitatis. » Eccli. 35, 26.) *velociter exaudi me.*

19. *Intende animae meae,* (quam ardenter Deum obsecrat) *et libera eam :*

propter inimicos meos (ne injusti semper triumphent) *eripe me.*

201. Psalmus lxviii. Salvum me fac, Deus (20-22).

iv. Christi ignominia et desolatio.

a. *Quae patitur Filius piissimo Patri aperta sunt.*

20. *Tu scis* (cum emphasi)

1. *improperium meum,* (Improperium intellige, improperium nempe ejus, cujus nihil magis proprium quam cultu latriae a creaturis honorari. Exempla recogita : « Audistis blasphemiam ?... Filium Dei se fecit.... Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. »)

2. *et confusionem meam*, (Ejus quidem confusio indicatur, cujus est rerum universitati providere. In memoriam revoca negationem Petri, flagellationem, coronationem, nuditatem. Porro : « Expuerunt in faciem ejus et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes : Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit ? » M.26, 67. 68.)
3. *et reverentiam meam* (scil. laesam reverentiam, vel infamiam illius, qui est Sanctus sanctorum ; cujus infamiae exempla quaedam sunt : apprehensio, judicium iniquum, praelatioBarabbae, consociatio cum latronibus).

21. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me* : (nihil prorsus Deum latet ;)

b. *Questus Domini lacrimabilis.*

i. Christi desolatio.

improperium expectavit cor meum (in textu hebraico : *opprobrium conterit cor meum*), (Quid non ab inimicis adeo inhumanis expectare potuit ?)
et miseriam (hebraice : *et aeger sum*).
Et sustinui (desideravi, cupivi)
i. *qui simul contristaretur, — et non fuit* :
ii. *et qui consolaretur, — et non inveni.*

ii. Saeva torquentium crudelitas.

22. *Et dederunt in escam meam fel* : (« Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. » M. 27, 34.)
et in siti mea potaverunt me aceto (« Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.» J. 19, 29).

202. Psalmus lxviii. Salvum me fac, Deus. (23-27).

V. Christi injuste patientis judicium et anathema.

Recogitetur indoles criminis nefandi, quod Judaei sibi consciverunt :

1. invidia, qua Salvatorem recipere noluerunt ;
2. nota laesae majestatis, qua ipsum interficere constituerunt ;
3. processu judiciali usi sunt festinato, et omni ex parte vitioso ;
4. Insuper « Dominum gloriae crucifixerunt. » 1 C. 2, 8.
5. Stupenda denique pervicacia, astutia, rebellione, et immanitate flagitium deicidii perfecerunt.

---

23. *Fiat mensa eorum coram ipsis* (epulae ipsis jam splendide paratae)
— *in laqueum*, (seu in exitium ; inter epulas ipsas subito capiantur)
— *et in retributiones*, (justa vindicta puniantur)
— *et in scandalum* (ut inde trahantur in mala nova). (Propter escam et potum Christo traditum, veniat cito in eos ruina.)

24. *Obscurentur eorum oculi ne videant* : (hisce verbis praenuntiantur obstinatio et obcaecatio tot Judaeorum, qui ad dies usque nostros perdurat ;)
et dorsum eorum semper incurva (aggrava eos labore, et subjectione).

25. *Effunde super eos iram tuam* (judicio condigno) :
et furor irae tuae comprehendat eos (manu Dei forti in poenam debitam).

26. *Fiat habitatio eorum deserta* : (stirps extinguatur, ut Judae proditori accidit ;)
et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet (sicut magna ex parte gens Judaica et Romani Judaeam dereliquerunt.

27. *Quoniam* (datur ratio maledictionis)
a. *quem tu* (ex justitia tua) *percussisti* (morte scilicet pro salute hominum),
persecuti sunt (mendacio, invidia, cruciatu tormentorum) :
b. *et super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (ignominia diabolica, atque Jesum tandem omni tormentorum genere excruciatum interfecerunt).

203. Psalmus lxviii. Salvum me fac, Deus (27-29).

VI. ABSOLVITUR JUDICIUM SOLEMNE.

In antecessum haec menti proponantur : —
i. Christus in patibulo ut infamis suspenditur.
ii. Odio inhumano contra ipsum saeviunt Judaei.
iii. Divinum sacrificii decretum nolentes implent, sed addita nova et atroci crudelitate. Quare merito conquestus est Salvator, dicens : —

---

27. *Quoniam quem tu* (Pater mi) *percussisti* (ictu sacrificali) *persecuti sunt* (virgis et tormentis) : *et super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (scilicet ignominiam). (Cum Christo pie contristare. Persecutores reproba. Quid tu fecisti in hoc scelesto opere Christi dolores augendo?)
Sequitur sententia velut judicialis contra hostes sceleratissimos.

28. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum :* (Quod fit variis modis : —

a. non statim delendo primum peccatum, quia peccatores resipiscere nolunt ;

b. permittendo ut peccator induratus in delicta graviora labatur ;

c. gratias copiosiores denegando. Huc pertinent verba Christi ad Judaeos : « Et vos implete mensuram patrum vestrorum. » M. 23, 32. « Ut veniat super vos omnis sanguis justus. » ib. 35. Judicium demum terribile in se miseri imprecati sunt, quando clamabant : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. » M. 27, 25.)

et non intrent in justitiam tuam (Cujus dicti hic est sensus :

a. In Dei favorem ne recipiantur, quia contra lucem fulgentem peccant.

b. Non prior malitia est causa rejectionis, sed peccatoris obcaecatio subsequens et voluntas obdurata).

29. *Deleantur de libro viventium :*

a. (Ne amplius habeantur ut populus Dei electus. Stirps itaque electa, gens ipsa Salvatoris rejecta est.

b. Rejectio ista propter demerita statuta est, licet et nunc possint, si velint, salvari.)

et cum justis non scribantur.

a (Ne computentur cum discipulis devotis, quorum nomina « scripta sunt in coelis. » L. 10, 20.

b. Enumerentur cum peccatoribus obduratis. O infortunium nullis unquam verbis satis plangendum ! Quid nos oportet indesinenter facere, ut nomina nostra in libro vitae scripta retineantur ?)

204. Psalmus lxviii. Salvum me fac Deus (30-34).

VII. VERBA LAUDIS.

Totam psalmi scenam paucis tibi depinge : —

1. Christi in cruce pendentis fiduciam: *Salvum me fac Deus.*
2. Ejus erga Patrem tenerrimum affectum : *Quoniam propter te sustinui opprobrium.*
3. Piam obsecrationem :*Exaudi me ; respice in me ; intende animae meae.*
4. Infamiam : improperium et confusionem ; solitudinem : *sustinui qui simul contristaretur.*
5. Anathema in hostes obduratos : *Effunde super eos iram tuam.*

---

30. (Et quanquam) *Ego sum* (in quem incurrunt inimici infensissimi ; — ego hostia divina ;) *pauper* (i. e. afflictus, vir dolorum, derelictus) *et dolens* :

(« A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas. » Is. 1, 6.

Cum summa tamen liberationis certitudine clamat :—)

Salus tua, Deus, suscepit me (Futurum tamquam eventum peractum annuntiat. Quapropter in Dei laudes statim erumpit : —)

a. *Deum ipse laudat.*

31. *Laudabo nomen Dei cum cantico* (carmen laudis concinam) :

et magnificabo eum in laude :

32. *Et placebit* (laus mea) *Deo super* (magis quam) *vitulum ovellum, cornua producentem* (i. e. juvenem

et robustum, nec ultra tres annos) *et ungulas* significatur quippe sacrificium legaliter integrum et purum.

Animadvertatur quod laus Dei magis valeat quam quaevis sacrificia antiqua ; sed sacrificium novi testamenti est ipsum praecipuus laudis actus).

b. *Alios ad laudandum invitat.*

33. *Videant pauperes* (afflicti), *et laetentur* : (de victoria et consolatione Salvatoris ;)

Quaerite Deum, (meditatione et affectu) *et vivet anima vestra* (In ipso vita ; ipse est vita ; « quoniam apud te est fons vitae. » Ps. 35, 10. « Fons sapientiae verbum Dei in excelsis. » Eccli., 1, 5. « Qui me invenerit, inveniet vitam. » Prov. 8, 35).

34. *Quoniam exaudivit pauperes* (afflictos) *Dominus : et vinctos suos* (qui passi sunt mala carceris, vel alia) *non despexit* (immo eos consolatur et honoratur, eisque tandem dat victoriam).

205. Psalmus lxviii. Salvum me fac, Deus (35-37).

CARMEN LAUDIS.

a. *Laudis thema annuntiatur.*

35. *Laudent illum* (Dominum Deum)
cœli et terra, (ob amplitudinem, splendorem, pulchritudinem)
mare, (ob infinitatem et potestatem)
et omnia reptilia in eis (innumerabiles pisces, animalia et plantae marinae).

b. *Laudis motivum.*

36. *Quoniam Dominus salvam faciet Sion*: (sedem nempe Dei in terris sanctiorem ; ita etiam Jerusalem post captivitatem Babylonicam, et nunc Ecclesiam Christi per orbem diffusam, quam Salvator fovebit et proteget ; contra quam portae inferi nunquam praevalebunt ;)
et aedificabuntur civitates Juda (Hoc vaticinium de Judaea primo dicitur, deinde de Ecclesia. « O si velis agnoscere structuram, et esse lapis vivus, ut intres in eam. » S. Aug. in h. 1).
Et inhabitabunt ibi, (viri boni habitabunt in Sion, quae nunc Ecclesia esse intelligitur, tandem vero Sion cœlestis)
et haereditate acquirent eam (non solum dicitur de haereditate temporali ut penes Judaeos, sed maxime de spirituali ut penes Christianos).

37. *Et semen servorum ejus possidebit eam* : (i. e. (*a*) generatio carnalis Judaeorum ; (*b*) generatio spiritualis in Christo, qua fratres et cohaeredes evadimus : « Imitatores fidei servorum ejus obtinebunt eam.» S. Aug.;)
et qui diligunt nomen ejus, (qui affectu suavi et forti tendunt in bonum supremum, Christum intime amplectuntur, et opere affectum complent)
habitabunt in ea (in civitate Sion cœlestis). (Ibi Deo devoti, filii amatores, fideles, simul conquiescent. Coronam scilicet vitae « repromisit Deus diligentibus se. » Jac. 1. 12).

206. Canticum Benedictus [1].

Hujus cantici occasionem et circumstantias recogita : filium natum Elizabeth olim sterili, Zachariam mutum propter incredulitatem, — nomen Joannis scriptum in tabella, linguam patris solutam.

Cantici subjectum : —

Laus Dei : *Benedictus Dominus Deus Israël.*
Adventus Messiae celebratur : *Quia visitavit* etc.
Salutatur Domini magnus praecursor : *Et tu puer* etc
Benignum opus extollitur : *Per viscera misericordiae* etc.

Thema.

68. *Benedictus* (titulus praeprimis Deo conveniens)
Dominus Deus Israël, (et si Deus Israël rite appellatur, quanto magis et Deus nostri ?)

Benedictionis motiva

quia visitavit (in populum enim suum benigne respexit, gratiis elevavit, praesentia tandem corporali et humana nobilitavit et consolatur)
et fecit redemptionem (plebem olim liberavit ab oppressione Aegyptiaca, et captivitate Babylonica, nunc autem mundi universi liberationem instaurat)
plebis suae (Non tantum non negligit parvulum hunc mundum, nec homines labiles et ingratos spernit, sed tamquam dilectam suam creaturam sublevat et ad se arctius constringit. « Ipse enim fecit nos, et non ipsi nos. »)

---

1. L 1, 68-71.

69. *Et erexit cornu salutis* (stabilivit efficacem et validam redemptionem) *nobis* (nostri causa),
in domo David (natus enim est homo-Deus inter populum Judaicum, et ex stirpe Davidica per virginem Mariam) *pueri sui* (i. e, cultoris veri Dei : qui titulus est honoris).

Quae quidem omnia facta sunt secundum antiquas Dei promissiones :

70. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt prophetarum ejus* : (Sancti sunt viri, qui a Deo consecrati et deputati sunt ministri divini, et interpretes revelationis Dei ; quorum post tempora Davidica plures distinctius venturum Salvatorem praedicaverunt.

Praeclarum equidem et grande est opus illud, quod tam longa et insigni serie legatorum praenuntiatum est.)

71. *Salutem* (fecit) *ex inimicis nostris*, (nos videlicet eripiendo e potestate diaboli, ab ineptiis superstitionis, et e coeno vitiorum)
et de manu omnium qui oderunt nos (Deus enim multiplici ac potenti tutela populum jam servavit et in finem usque servabit).

207. Canticum Benedictus [1].

De fine visitationis salvificae.

Opus benignissimum quod benedictus Deus fecit nobis in mirabili redemptionis beneficio piis oculis paulisper contemplare.

1. (L. 1, 72-75).

72 *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris*, (implendo scilicet promissa facta patribus, patriarchis et majoribus populi, et efficiendo ut patres in limbo positi etiam fructus redemptionis salutisque messianae redderentur participes. Knabenbauer in h. l.)

et memorari testamenti sui sancti (quia ostendit se memorem esse promissionum olim datarum).

73. *Jusjurandum* (loco jusjurandi) *quod juravit ad Abraham patrem nostrum* (« Per memetipsum juravi, dicit Dominus... Benedicam tibi.. et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrrae. » Gen. 22, 16-18.)

daturum se nobis: (Promissio divini adventus implicite sub juramento continetur. Aliter tamen commode potest intelligi, quod Deus efficiet ut a timore liberati Deo sancte serviamus, quemadmodum in sequenti versiculo explicatur.)

74. *Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum* (daemonum, persecutorum, peccatorum, mortis, inferni) *liberati, serviamus illi*, (id sane postulatur, ut assidue et sine nimia vel anxia mentis praeoccupatione cultui spirituali novi foederis incumbamus ;)

75. *In sanctitate* (pio erga Deum affectu) *et justitia* (Nomine justitiae complexus virtutum intendi solet. Hae duae qualitates frequenter de tempore Messiae praedicatae sunt.)

coram ipso (ut vita bona intuitu Dei in omnibus agatur),

omnibus diebus nostris (Perennitas insinuatur regni Messianici, et etiam debitum perseverantiae in singulis individuis).

208.* Canticum Benedictus [1].

PRAECURSOR DOMINI SALUTATUR.

76. *Et tu puer*, (Grato et paterno commotus affectu Zacharias filium alloquitur, quem in senectute sua Dei dono ex uxore sterili receperat)
propheta Altissimi vocaberis : (Puer quoque iste recens conceptus in serie legatorum divinorum numerandus erit. Audiverat enim Zacharias ab angelo filium suum magnum coram Domino esse futurum, in spiritu et virtute Eliae acturum, Spiritu sancto replendum, atque incredulos multos esse conversurum. Sensu porro eminentiori nomen prophetae meriturus erat ; quia de eo dicitur —)
praeibis enim ante faciem Domini (quia sicut ceteri a longe Dominum venturum annuntiabant, ita ille Salvatorem proxime advenientem ostensurus erat)
parare vias ejus : (exemplo vitae austerae, nuntiando regnum Messianicum, praedicando poenitentiam :)

77. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem* (remissione) *peccatorum eorum* : (Animadverte quod opus proprium salutis messianae sit spirituale. Admirare deinde Dei clementiam. Summa vitae hujus miseria peccatum est : hoc autem mederi imprimis vult Salvator.)

78. *Per viscera misericordiae Dei nostri* (propter ardentissimam Dei misericordiam) : *in quibus visitavit nos*, (Quid sit quod Deus in specie visibili nos visitet, perpende.)

---

1. (L. 1, 76-79).

ORIENS (ἀνατολή, ortus, sol vel lux ; sicut prophetae non raro loquuntur ;) *ex alto* : (ex excelso Dei habitaculo verbum divinum ad nos benignissime descendit ;)

Hujus autem visitationis finis deinceps explicatur.

79. *Illuminare* (solis enim est illuminare mundum) *his*, (ethnicis) *qui in tenebris* (ex parte intellectus) *et in umbra mortis* (ex parte voluntatis iniquae) *sedent* :
ad dirigendos pedes nostros (adjutorio multiplici, gratia praeveniente, illustratione, motu suavi) *pedes nostros* (omnes homines, qui lumen Salvatoris admiserint) *in viam pacis*. (Nomine pacis significatur bonum illud excelsum, quod toties in sacris eloquiis sive novis sive antiquis declaratur et exaltatur. Pax commendatur cum Deo, cum proximo, et tranquillitas animae interna, per quam ad pacem aeternam in coelis attingemus).

209. Canticum Benedictus [1].

Christus est Oriens.

Notetur quod nomen Oriens (ἀνατολή) sit substantivum. Quod plurimi non habent, et quod ex imo corde desiderant. et profitentur aperte se non habere, est lumen de rebus altissimis ac divinis.

Plato ipse vocem aliquam divinitus emissam audire cupi-

1. L. 1, 78.

vit ; Socrates autem angelum quemdam sibi semper credidit adesse.

Lux vero illa olim et multoties praenuntiata tandem venit.

---

a. *Lucis annuntiatio prophetica.*

1. « Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit LUMEN TUUM, et gloria Domini super te orta est. » Is. 60, 1.

« Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit LUCEM MAGNAM : habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. » ib. 9, 2.

« Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. » ib. 49, 6.

« Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israël. » Num. 24, 17.

« Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiae, et sanitas in pennis ejus. » Mal. 4, 2.

2. Messias pariter ut Oriens praenuntiatus est :

« Ecce adducam servum meum Orientem. » Zach. 3, 8.

« Ecce vir oriens nomen ejus. » ib. 6, 12.

b. *Lucis praesentis manifestatio.*

1. « Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » J. 1, 9.

2. Christus de seipso testatus est : —

« Ego sum LUX MUNDI : qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. » J, 8, 12

Ipse quidem —

1. lux est et singulorum et cunctorum hominum ;
2. nobis revelavit mysteria Dei, — ineffabile beneficium incarnationis, — viam salutis ;

3. laetitiam dedit suavissimae lucis de coelo ;
4. nobis futurus est lux in coelo : « Et civitas non eget sole... nam CLARITAS DEI illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. Et ambulabunt gentes in LUMINE ejus. » Ap. 21, 23-4.

210. Doxologiae in fine quinque librorum psalmorum.

Vitae humanae scopus primarius et absolutus est conditori nostro Deo gloriam reddere.

Illud formaliter et liturgice Deo praestamus iis locutionibus quibus nomen « doxologiae » inditum est.

Psalmorum liber est praesertim manuale laudum in Dei gloriam quinque partibus constans, quibus propria singulis doxologia subnexa est.

---

1. Ps. 40, 14.
   Benedictus (Deo dona realia dare non valemus, sed in nostra est potestate carmina laudis ei offerre.)
   Dominus (ille « Qui est », ipsa perfectionis summa, substantialis infinitudo, omnium origo et gubernator)
   Deus Israël, (Deus verus, qui multis atque miris modis sese manifestavit populo suo dilecto)
   a saeculo (ab aeternitate ipsa quam nos ut praeteritam fingimus)
   et usque in saeculum (Verba haec interminabilem illam durationem praeseferunt, quae omnes temporum differentias in se complectitur).
   Fiat. Fiat (Amen. Amen. Animosa fidei et fidelitatis professio).

2. Ps. 71, 20.
   Benedictus Dominus, Deus Israël,

qui facit mirabilia solus (Ordo mundanus egregia exhibet sed fixa et determinata ; Deus vero, rerum omnium institutor atque gubernator, operatur non tantum insueta et nova, sed quae vires ordinis instituti prorsus exsuperant).

Et benedictum nomen majestatis ejus (Majestas intelligitur esse magnitudinis supereminentia ac splendor.)

in aeternum,

et replebitur majestate ejus (pulchritudine nempe, magnificentia, perfectione et potentia, suprematu morali atque religioso)

omnis terra (Refulgent radii splendoris divini non tantum in intellectu et corde hominum, verum etiam in gloria operum naturalium).

Fiat. Fiat.

211. Doxologiae (2).

Mente revocentur et pie proferantur duae priores laudis strophae.

1. *Benedictus Dominus, Deus Israël, a saeculo et usque in saeculum. Fiat. Fiat.* Ps. 40, 14.
2. *Benedictus Dominus, Deus Israël, qui facit mirabilia solus. Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum, et replebitur majestate ejus omnis terra.*
   Fiat. Fiat. Ps. *71, 19.*

---

3. Ps. 88. 53.
   Benedictus Dominus in aeternum. Fiat. Fiat. (Formula omnium simplicissima affectu flagrante saepius iteranda.)

4. Ps. 105. 48.
   Benedictus Dominus Deus Israël, a saeculo et usque

in saeculum : et dicet omnis populus : fiat, fiat. (In textu hebraico : *Amen. Alleluia.*)

5. Ps. 150.

ALLELUIA (Thema laudis).

Laudate Dominum in sanctis ejus (in spatiis coelestibus) :

laudate eum in firmamento virtutis ejus (in coelorum immensitate, quam condidit manus ejus).

Laudate eum in virtutibus ejus (in summa potestatis omni ex parte manifestatione) :

laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus (Quia ubique Deus sese manifestat mirabilem, ubique scientiam nostram prorsus excedit).

Laudate eum in sono tubae :

laudate eum in psalterio (lyra) *et cithara.*

Laudate eum in tympano et choro (chorea) : (« Inter canendum saltabant virgines tympana pulsantes. »)

laudate eum in chordis (fidibus) *et organo* (fistula).

Laudate eum in cymbalis benesonantibus (secundum textum hebraicum : *in cymbalis acutis*) :

laudate eum in cymbalis jubilationis (in cymbalis sonoris et festivis) :

Omnis spiritus (cuncta creatura animata) *laudet Dominum.*

ALLELUIA.

PARS QUARTA.

DE SANCTIS DEI.

Caput I. De Beata Dei Matre.

212. De Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis.

i. Protoparentum nostrorum lapsum infelicissimum tibi repraesenta, et benigna verba ausculta, quibus redemptor et mater intemerata simul ab initio praenuntiati sunt : « Inimicitias ponam inter te (diabolum) et mulierem (beatam Mariam virginem), et semen tuum (Christum) et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. » Gen. 3, 15.

ii. Verba pie revolve, quae in Missae Introitu ponuntur, « Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo : »

iii. Ut Mariae immaculatae dignitatem intelligas pie roga, et affectum pariter laudis filialis erga eam precare.

I. *Veritas fidei.* ' Beata Virgo, a primo instante creationis suae, singulari Dei privilegio, fuit preservata ab originali peccato '. Ex Bulla, *Ineffabilis*.

Ubi notabis —

a. *debitum*, quo posteris Adami nullus patet evadendi locus, quominus sub peccati maledictum et umbram cadant ;

b veram Christi *redemptionem* pro Maria fuisse anticipatam ;

c. *privilegium singulare*, quo nunquam vel umbra peccati foedata est purissima Virgo.

Adeoque animadvertendum quod —

1. Maria nunquam sine gratia, virtutibus, et donis exstitit ;
2. nunquam concupiscentiae stimulos passa est ;
3. singulariter fuit praeelecta ; semper stetit cum inimicitiis contra diabolum, cujus caput sua potestate et celsitudine plane contrivit ;
4. singulariter prorsus ab angelo patribusque salutata est, ut « gratia plena, » cujus gratiae plenitudini nullus vel in initio naevus nocuit.

II. Sancti Patres eam vocant « per omnia et funditus immaculatam, ... puritatis culmen... in comparatione cumilla (aiunt) angelorum ipsa puritas obscuratur. » Cf. C. Pesch, Prael. Dogm. III, p. 157.

III. Ideo fuit praeservata et ornata, quia proxima futura erat Christo.

Et tu quidem Christi minister quondam es futurus ; et nunc quidem cum ipso in eadem domo habitas. An mente et actionibus alienus es a foetore vel naevo peccati ?

213. De Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis (2).

i. Scalam Jacob, Virginis Immaculatae figuram contemplabor, « quam de terra ad cœlum usque pertingere vidit, cujus gradibus Angeli Dei ascendebant et descendebant, cujusque vertici ipse innitebatur Dominus. » Ex Bulla, *Ineffabilis*.

ii. « Benedicta es tu (Virgo Maria), a Domino Deo excelso, prae omnibus mulieribus super terram. » Judithi 13, 23.

iii. Affectum admirationis et fiduciae demisse rogabo.

I. Maria fuit *Dei aedicula*, divinitus electa et praeparata. « Dominus possedit me. » Palatium fuit Verbi incarnati, humanis viribus non manufactum, cujus templi initia in ipsa conceptione posita sunt.

Mariae celsitudinem admirabor; de ea divinae largitati gratias reddam. Perpendam insuper quod et anima mea eo creata est, ut Deus in ea habitet.

II. Maria fuit *nova creatura*, opus artis divinae, adeoque ab omni peccato alienum. Maria condita est extra peccati limites ; facta est spiritualiter pulchra et non deformis. Instauratrix est novi ordinis gratiae in Christo Deo Salvatore.

Per intercessionem Beatae Virginis deprecabor, ut cor novum in me creetur.

III. Virgo fuit *omni tempore* purissima ; natura expers peccati omnis ; civitas in qua nunquam dominatum est peccatum. Atque in quantum simplex creatura id esse potuit, ipsa fuit sanctitas absque naevo, imperfectione, vel umbra.

Mariae praesidium contra incursus diabolicos suppliciter petam.

IV. Fuit vera *Eva secunda*, quia genuit Salvatorem et effectorem vitae supernaturalis in stirpe humana.

Fuit et Mater viventium, quia mater fuit Jesu, qui est vita nostra, et ab ipso moriente Salvatore deputata est, ut nobis omnibus sit mater spiritualis.

In Maria immaculata fiduciam meam reponam, eamque saepius invocabo.

Ipsam tamquam typum agnoscam summae illius immunitatis ab omni naevo peccati, quam Deus in ministris suis exoptat.

214 De Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis (3).

i. Menti praeponatur figura virginis immaculatae, rubus nempe, « quem in loco sancto Moyses undique ardere ac inter crepitantes ignis flammas non jam comburi aut jacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere ac florescere conspexit. » Ex Bulla, *Ineffabilis*.

ii. « Sapientia aedificavit sibi domum. » Prov 9, 1.

iii. Christo gratias agam ob gloriam, qua voluit ac fecit Mariam splendescere.

I. *Sanctitudo Dei* matrem Salvatoris voluit intactam prorsus, et omnino illibatam ; quia peccatum summopere odit, nec peccati umbram ipsam in suam praesentiam admittit.

Voluit praeterea matrem omni specie et gloria sanctitatis positivae ornatam : « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. » Cant. 2, 16.

II. Dei largitas supereffluens ingentem gratiarum thesaurum Mariae contulit, tam in immunitate a labe originali, quam in ornamentorum coelestium varietate plane singulari, cujusmodi sunt — gratia sanctificans (qua super omnes gradu enitet praenobili), gratiae actuales muneri suo excelso apprime congruae, dona deinde Spiritus sancti praestantissima, ejusdemque demum fructus uberrimi.

« Gloriosa dicta sunt de te Maria, quia fecit tibi magna qui potens est. » (Communio). « Ipsa (Maria) omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quaedam : quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors : et ideo dantur in exemplum specialium virtutum : sed Beata Virgo in exemplum

omnium virtutum. » S. Th. Opusc. *De salut. ang. v. med.*

III. Qui Mariam tamquam matrem suam gloria summa statuit ornare, et mihi ut filio et ministro electo gratiam et gloriam vult conferre.

An paratus sum Magistrum loquentem auscultare, dona Domini recipere, mandata perficere et consilia sequi ?

215. De Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis (4).

i. Contemplabor illam Beatae Virginis immaculatae figuram sitam « in corusca illa Dei civitate, cujus fundamenta in montibus sanctis. » Ex Bulla, *Ineffabilis*.

ii. « Conceptio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annuntiavit universo mundo. »

iii. Gratiam imitandi Mariam enixe rogabo.

Propter suam cum Filio arctissimam conjunctionem, atque supereminentem et plane intemeratum candorem, remotionemque ab omni inquinamento peccati, Maria solet Evae contraponi. Ita quidem : —

a. Eva a diabolo seducta, Maria pedibus diabolum contrivit.

b. Eva sub diaboli potestate cecidit, Maria vires diabolicas superavit.

c. Eva gratiam perdidit, Maria gratiae plenitudine ornata est.

d. Eva prius intacta fuit, peccato deinde foedata, Maria pulchritudinis nitorem nunquam amisit, sed indesinenter auxit.

e. Eva prima peccatrix, Maria sola inter omnes illibata.

f. Eva misera intulit mortem, generis nostri maledictionem, et hominibus semper horrendam, Maria vitam, scilicet Christum mundo genuit, verae vitae datorem et bonorum omnium remuneratorem.

g. Eva interitum lugendum et universalem induxit in orbem, Maria vero salutem copiosissimam et omnibus oblatam.

h. Eva interemptrix fuit, quia divino mandato non obedivit, Maria redemptrix fuit consentiendo invitationi divinae, ut Mater fieret Salvatoris.

i. Maria in opere reparationis Filio sociata est, sicut Eva in lapsu sociata fuit Adamo.

O praecelsum et inclytum munus Mariae ! Si Matris dignitatem cognoverimus, Filii opus ineffabile et gloriosum comprehendere aliquatenus valebimus. Si Mariae exemplo perfecto capti fuerimus, ad Filium sacrosanctum suaviter deducemur.

i. Eva mater viventium fuit quoad corpora, Maria adhuc magis viventium mater, quia dedit nobis Vitam ipsam, et quia potenti sua intercessione a morte aeterna nos servat.

216. De Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis (5).

i. Aliam virginis immaculatae figuram considerabo, quae habetur « in augustissimo illo Dei templo, quod divinis refulgens splendoribus, plenum est gloria Domini. » Ex Bulla, *Ineffabilis*.

ii. « In sole posuit tabernaculum suum. » Ps. 18, 6.

iii. Gratiam abhorrendi a quovis peccato Christum precabor.

I. « *Dominus possedit me in initio viarum suarum* » (Ex Epistola festi).

1. Haec verba Sapientiae increatae ab Ecclesia applicata sunt Sapientiae incarnatae, ut ostenderet praecelsam quamdam proportionem sive analogiam intercedere inter increatam Filii Dei generationem et beatissimae suae matris ortum in tempore.

   Christus enim est Sapientia Dei ; Maria autem munere suo et gratiis sapientiae sedes constituitur. Christus in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus est ; Maria super omnes puras creaturas ab aeterno cognita et electa. Christus homo, ex Maria natus, ab aeterno praeexstitit ; Maria in tempore natus, ab annis aeternis divino consilio praedestinata fuit et ornata.

2. Beata Virgo fuit ab aeterno in tranquilla et pacifica Dei possessione, Deo unita citra labem peccati quod ipsam a Deo avulsisset. « Mihi adhaerere Deo bonum est. » Ps. 72, 28. Ergo laqueos conteramus, quibus in peccatis et in rebus mundanis irretiti sumus.

II. « *Beati qui custodiunt vias meas* » (Ex Epistola).

Mariam agnoscam ut divinitus mihi datum exemplar. Virtutes ejus praecipuas maximi aestimabo, quae sunt, — humilitas, caritas, obedientia, paupertas. Ipsam salutemus, ipsam imitari sincere studeamus.

III. « *Gratia plena* » (Ex Evangelio festi) :

1. quoad omne tempus existentiae suae ;
2. quoad dignitatis altitudinem ;
3. quoad cooperationem cum gratiis divinis actualibus ;
4. quoad animam ; angelis siquidem praestantior fuit, et supra omnem modum sublimata est ;
5. quoad redundantiam gratiae ejus —

   a. in carnem, ut de ipsa conciperet Filium Dei, ex quo Mater Dei effecta est ;

b. in omnes homines, ex quo Mater est hominum. « Beata Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima auctori gratiae ; ita quod eum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet, et eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret. » S. Th. 3, q. 27, a. 5 ad 1.

217. De Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis (6).

i. « Et signum magnum apparuit in cœlo : mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. » Ap. 12, 1.

ii. Ut tantae matris filius semper merearis vocari, pie precare.

I. Perpendatur celsitudo Mariae Immaculatae —

1. ex altitudine praedestinationis aeternae : « Dominus possedit me in initio viarum suarum. » Prov. 8, 22.
2. ex praeclara dote immunitatis a peccati labe : « Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo (Ant. ad Magn. in festo Praesentationis).
3. ex amplitudine gratiae, qua ornata fuit : « Tota pulchra es Maria, et macula originalis non est in te » (Ex Officio festi).

II. Mariam contemplare tamquam *decus* et splendorem gentis nostrae. Nam (1) mirifice prae ceteris omnibus extollitur propter insignem ejus praeservationem a cujuslibet naevo peccati ;

(2) adeo intime ad opus Dei-hominis assumpta est, ut coredemptricis ministerio aucta sit ;

(3) si comparatur inclyta virgo cum stirpe nostra multiformiter peccatrice, fulget ipsa ut lilium inter spinas candidissimum ;

(4) nostra tamen est ; ad genus et sanguinem nostrum spectare non dedignatur, immo mater est et advocata semper piissima.

III. Mariam denique nobis in *exemplar* datam contuere, admirare et moribus tuis exprimere stude. Ipsa siquidem est virtutis speculum absque macula ; maculas itaque peccati fuge, et concupiscentiae stimulos viriliter comprime. Virtutum pariter ornamenta sedulo prosequere.

Praeter illam enim alia non datur via, qua matre tanta digni fiamus, vel Filio suo sanctissimo placeamus.

Virginis potentissimae fiduciam habeamus.

218. De Conceptione Immaculata Beatae Mariae Virginis (7).

i. Ecce figuram virginis immaculatae, quae habetur « in arca illa Noë, quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit. » Ex Bulla, *Ineffabilis*.

ii. « Laudate Dominum Deum nostrum, qui... in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam. » Judith 13, 17. 18.

ii. Praesidium Mariae immaculatae in omnibus ora studiose.

---

1. Pia et honorifica salutatio.

Praeclara custos virginum,
Intacta Mater numinis.
Coelestis vitae janua,
Spes nostra, coeli gaudium.

2. Salutatur ut « Immaculata, — Gratiosissima, — Mater Redemptoris illibata. »

Inter rubeta lilium,
Columba formosissima,
Virga e radice germinans
Nostro medelam vulneri.

3. Salutatio Matris nostrae potentissimae.

Turris draconi impervia,
Amica stella naufragis,
Tuere nos a fraudibus,
Tuaque luce dirige.

Erroris umbras discute,
Syrtes dolosas amove,
Fluctus tot inter, deviis
Tutam reclude semitam.

219. De Nativitate Beatae Mariae Virginis.

i. Finge tibi cœtum hominum piorum in orbe universo, qui hanc festivitatem devote concelebrant.
ii. Sincerae pietatis sensa erga beatam Mariam Viriginem iterum atque iterum precare.

Institutio festi, et nativitatis ipsius adjuncta consideranda proponuntur :

I. *Festum.* Si merito cum gaudio celebratur dies natalis papae, regis, parentum amicorumque, quanto magis dies natalis purissimae Matris Dei ac Reginae angelorum.

Attente meditare adjuncta nativitatis puellae hujus inclytae, humilem videlicet pagum Nazareth,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tempus, quod fuit annus decimus quintus ante Christum natum, ac mensem, qui erat inter Judaeos festivus.

Neque solum honorabilis est parvula ista, sed nos honorificat atque laetificat, est enim veraciter « causa nostrae laetitiae. »

II. Et *natalium dignitas* pensanda venit, quia Virgo ista est ex antiquissima prosapia oriunda, scilicet ex patriarchis, prophetis, regibus ac sacerdotibus.

In hoc admirare suavem Dei providentiam.

III. Attamen *sublimior et proprior dignitas* Virginis «non descendit a parentibus, sed ascendit a Filio. » Circa quod haec pie recolenda sunt : —

1. Infans haec mater futurae est divinae prolis. Maria enim est virgo illa, quam indicavit angelus verbis istis : « de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. » M. 1, 16.
2. Vere ac proprie dicitur et erit : « Mater Dei. »
3. Simul quoque erit et Mater Dei et virgo perpetua. « Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel. » Judith 15, 10.

IV. Denique in Virgine Matre congrua dignitas splendorque vitae ex plane admirando virtutum et gratiarum ornatu enascuntur.

Erga beatam Matrem affectus elice jucunditatis et gratulationis.

Beatissimae Virginis virtutes addiscere, consectari et imitari stude.

Quid nominatim hodie Virgini Mariae offerendum habes ?

220. De Nativitate Beatae Mariae Virginis (2).

i. Mente mihi repraesentabo universum orbem catholicum corde et animo in hac solemnitate gaudentem.
ii. Christum humiliter reverentiam erga matrem suam precabor.

I. Virgini praenobili gratulemur : —
1. De *incoepto vitae cursu*, quem impletura erat tanto virtutum gradu, tantoque et semper crescente sanctitatis splendore, quo vere ipsi dicitur : « Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. » De ea recte proferuntur verba Psalmi : « Fundamenta ejus in montibus sanctis. » Ps. 86, 1. Ortus quidem ejus dignissimus fuit, utpote et conceptione immaculata, et immunitate a concupiscentia, et insigni gradu gratiae sanctificantis decoratus.
2. De eminenti et sibi propria gratiarum excellentia : « Elegit eam Deus, et praeelegit eam. »
3. De ejus praecelsa atque unica destinatione —
a. ad dignitatem ac munera Matris Dei :
b. ad altissimam in coelis gloriam : « Felix es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster. »

II. Nobis praeterea secundum illud : « Gaudium annuntiavit universo mundo : » vehementer gaudendum : —
1. De felici adventu matris Salvatoris.
2. De tanto virtutis exemplo ; etenim ejus « vita inclyta cunctas illustrat ecclesias. »
3. De tam potente mediatrice. Nemo enim Christo intimior, nemo carior, nemo apud Deum potentior, nemo nobis clementior.

4. De tanta generis nostri gloria. Etenim virgo ex stirpe humana supra cherubim et seraphim extollitur.
5. De gloria, quam Deo reddit virgo gloriosa, pulchra, electa ut sol.

III. Augeantur itaque in nobis praecelsae virginis aestimatio et honor. Personae sublimis sanctitatem admiremur, muneris dignitatem veneremur, officia contemplemur. Virtutes ejus, praesertim puritatem humilitatem et exercitium vitae interioris magis sedulo imitemur.

221. De Nativitate Beatae Mariae Virginis (3). [1]

i. « There it rises (Collegium S. Mariae) under the invocation of the same sweet and powerful name, which has been our strength and consolation in the valley. » Card. Newman. Sermo cui titulus « The Second Spring. »

(In monte nunc surgit Collegium sub invocatione nominis ejusdem dulcis ac potentis, quod nobis in valle degentibus robori fuit et solatio.)

ii. A Christo effiagites aliquid amoris istius, quo patres nostri ac avi erga beatissimam illam Dei genitricem ardebant.

Sicut olim ab initio insigne Collegium Oscotiense, ita Seminarium Generale manet et est sub nomine, (Hoc enim nomen ejus semper cum honore profertur, et tamquam nobis proprium frequentatur.)
titulo, (quo totum institutum decoratur)
et patrocinio (cui respondere debent nostra fiducia, pietas, observantia)

---

1. Ex Constitutione Seminarii S. Mariae de Oscott.

Almae (piae, vigilis, potentis)
Virginis (conceptu immaculatae, perfecta castitate gloriosae)
Genitricis (Munus istud admiremur stupendum, ineffabile.)
Mariae, (Nomen hoc super omnia nomina post illud Salvatoris veneremur.)
quae rite constituitur (non tantum ex devotione nostra, sed Ecclesiae dedicatione, et superiorum ordinatione)
sacerdotum Mater, (quia sicut sacerdos « alter Christus » est, ita Christi confratres sumus;)
Comes,(ob insignes suas partes in opere salutis)
et Regina, (regis enim et Salvatoris mater est)
praesertim eorum (Anglorum scilicet) *qui* :

1. *propriae suae haereditatis servuli* (i. e. Dominae addictissimi)
2. *ac peculiaris dotis adscriptitii* » (specialiter servitio ejus obstricti, sicut cives). (Quapropter ab hoc regno et ab hoc Collegio gloria et honorificentia jure quodam singulari ac proprio Mariae tamquam Dominae debentur.)

ab antiquo nuncupantur (scilicet a Thoma Arundel, Ep. Cantuar. 1399).

Hanc ergo dulcissimam Matrem, superiores, professores et alumni semper et in omnibus piissima veneratione colent tamquam loci totius Dominam universaeque familiae custodem atque Reginam.

222. Sanctissimum Nomen Mariae.

i. Cogita S. Lucam afflatu divino verba ista scribentem : « Et nomen Virginis Maria. » L. 1, 27.
ii. Reverentiam amoremque filialem erga Mariam a Jesu flagita.

I. Honore merito habentur nomina familiae, nationis, reginae, sanctorum, adeoque et nomen venerabile Mariae.

Hoc nomen a Deo ipso proculdubio selectum fuit, quo intelligendum venit « Domina, » vel « Stella maris. »

Cognomen nullum habuit nisi « Virginem » et « Matrem Jesu. »

1. *Domina* importat dignitatem, et potestatem.
2. *Stella maris* importat puritatem, et splendorem, et illustrationem. Sicut sidus nitet puritate et splendore; ita Maria est stella *oriens ex Jacob*, orbem illustrans, animas dirigens. « Respice stellam, voca Mariam. »

II. Potestas hujus nominis cum fiducia consideretur.

Maria titulo proprio appellatur « Virgo potens. » Id insuper ei gloriose attribuitur, quod omnes haereses sola interemerit. Potentiae insuper signum luculentum sunt victoriae inclytae sub ejus invocatione pluries reportatae, ac nominatim illa Viennae parta.

An plene cum Ecclesia sentis de beatae Mariae praepollenti pro nobis intercedendi potestate, quae Virgini Matri a Filio collata est ?

Mariam cum fiducia magna appella, ut subsidium tibi in necessitudine jugiter procuret.

III. Sicut suavissima sunt nomina matris, amici, advocati, ita nobis delectabile est nomen Mariae.

An, sicut decet, Mariam tam intelligentia aestimare, quam affectu colere satagis ?

In operibus tuis, dignum te ostende Maria, praesertim humilitate, fervore, recollectione praesentiae divinae et affectu erga Jesum Salvatorem.

223. Sanctissimum nomen Mariae (2).

i. Hodie ubique terrarum inter missarum solemnia canuntur verba : — « Et nomen virginis Maria. »
ii. Affectum petam Mariae pie obsequendi.

I. Nomen *honoris* est :

a. propter abundantiam gratiarum, qua ditata est virgo Maria ;

b. quia Christo fuit dulcissimum, angelis delectabile, daemonibus autem terribile.

Locus omnium gratiarum dicitur Maria. Omnes quidem homines excedit immaculata sua conceptione, — omnes matres incorruptione pariendi, — omnes virgines fecunditate uteri, — omnes beatos pulchritudine gloriae, — omnes angelicos spiritus muneris celsitudine, — omnes denique creaturas possibiles sublimitate maternitatis divinae.

II. Nomen est *potentiae* :

Domina enim nuncupatur et est. « Vere enim facta domina omnium creaturarum, cum omnium Conditoris facta est Mater. » S. Joannes Damascenus. De Fide, iv. c. 15.

Virgini Mariae applicare licet verba illa de Christo prolata : « Deus exaltavit illam, et dedit illi nomen quod, sub Deo, est supra omne nomen. » Suarez.

Mariae pariter ab Ecclesia sunt attributa verba ista : In ipsa, « gratia omnis viae et veritatis... omnis spes vitae et virtutis. » Eccli. 24, 25.

III. Nomen est *Reginae* :

a. propter conjunctionem cum Filio ; unde tamquam regis matri, regius ei honor est exhibendus.

b. propter cooperationem in opere redemptionis, in quo, sicut Christus est Dominus et rex, ita Maria domina et regina ;

c. propter munus quod habet in gratiarum dispensatione.

Laudanda igitur beata virgo praeconiis sacrae liturgiae : « Ave Regina : Salve Regina : Regina cœli : Regina angelorum. »

IV. Beatissima Virgo *proprissime* Maria nominatur :

a. tamquam illuminata et illuminans ;

b. tamquam Domina, — propter summam potestatem in regno Filii sui ;

c. quia stella maris est, et oceanus gratiarum.

224. Sanctissimum Nomen Mariae (3).

i. Mariam in coelo contemplare piorum clientum suorum multitudine circumdatam.

ii. Gaude de Virginis suavi et inclyto nomine.

I. Haec facta mente revolvantur : —

Nomen Mariae per tot saecula adeo frequentatum :

Nomen illud ubique ac saepissime usurpatum tamquam titulus ecclesiarum, sacellorum, collegiorum, conventuum, nosocomiorum :

Sub nomine isto dulci ac venerabili nationes mitiores factae sunt :

Nomen Mariae penes omnes feminas benedictum :

Cum sacratissimo nomine Salvatoris indissolubiliter est nexum.

II. Perpendamus et nostras faciamus laudes Mariae, quae prolatae sunt —

1. a propheta : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Is. 7, 14.
2. ab angelo : « Ave gratia plena : Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus. » L. 1, 28.
3. ab Elizabeth : « Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me ? » L. 1, 42. 43.
4. a Virgine ipsa Spiritus mota instinctu : « Beatam me dicent omnes generationes. » L. 1, 48.
5. ab evangelista Matthaeo : « (Maria) de qua natus est Jesus, qui vocatus Christus. » M. 1, 16.
6. a divino suo Filio, qui ipsam tamquam matrem honorabat : « Et erat subditus illis. » L. 2, 51.
7. ab Ecclesia, cujus auctoritate proclamata est, « Mater Dei, Virgo perpetua et immaculata. »
   (Ecclesia, Virginem Matrem ita pulchre salutat : « Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. » « Felix namque es sacro Virgo Maria, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster. »)
8. ore sanctorum Patrum : « Heva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. » S. Aug. App. Sermo 208. M. 5, 2131.
9. ex ore Sanctorum, qui eam appellant incomparabilem, ineffabilem, soli Deo cognoscendam.
   « Beata virgo, ex hoc quod est mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam. » S. Th. 1, q. 25, a. 6 ad 4.
10. ex ore Christianorum, quorum non pauci nomen ejus proprium assumunt, dum cuncti festo multiplici eam pie colunt, et preces Salutationis angelicae et Rosarii tantopere frequentant.

225. De Praesentatione Beatae Mariae in templo.

i. Templum Hierosolymitanum, et domum vicinam, ubi piae quaedam puellae instituebantur, menti mihi repraesentabo.
ii. Ut vitam absconditam aestimem atque amplectar Mariam obsecrabo.

I. Anno suo jam tertio Maria Deo a parentibus in templo consecratur, ut votum adimpleant. Ibi ad annum suum decimum quartum Maria cum aliis puellis docilis atque obediens permansit.

Exemplum nobis praebet seclusionis a mundo.

II. In templo rebus divinis liberius potuit vacare, — meditando, orando, litteras sacras addiscendo, incumbendo pariter lectionibus et operibus manualibus in ministerio templi.

Exinde nobis exemplum offert diligentiae in cultu divino et officiis quotidianis.

Ardentissimo praesertim affectu adventum Salvatoris promissi desiderabat, quo nobis debitum demonstrat gratias continuas Deo agendi de redemptionis beneficio, quo nunc fruimur.

III. Castimoniam perpetuo servandam sibi proposuit, immo ad id voto sese obstrinxit, illudque omnium virginum prima fecisse creditur.

Castitatis integerrimae exemplar admiremur, quod docet nos illam in se revereri et amare, atque statum nostrum aestimare eo magis, quod eam exposcit et praeexigit.

IV. Praeparatione ista *disponebatur*, ut prius filia Dei

esset per insignes gratias et virtutes (maxime per caritatem, castitatem, et humilitatem), quam Mater Dei facta esset per divinam potestatem. Hinc nobis profecto intelligendum, quod Christus debeat prius corda nostra informare, quam ipsum aliis possimus fructuose annuntiare.

V. Ex his omnibus discere opus est :
1. Dei cultui generose nos devovere ;
2. mundum secundum normas status nostri devitare ;
3. officia quaevis status hujus absconditi propter Deum fideliter peragere ;
4. corde obediente atque tranquillo mandatum praestolari, quo Deus ad alia opera nos mittat.

226. De Praesentatione Beatae Mariae in templo. [1]

i. « Et videntes eam filiae Sion, beatissimam praedicaverunt. » Prov. 31, 28.
ii. Per virginis intercessionem gratias statui praesenti congruas suppliciter petamus.

I. Eventus festi in mentem revocemus, ingressum nempe Mariae in templum, ejus consecrationem, votum castitatis perpetuae, orationem continuam, lectionem sacram, opera manualia.

II. *Beata Dei Genitrix Maria*, (In silentio remota a turbis mundanis et commotionibus ad munus altissimum praeparatur. Ubi templum meum ? quaenam et qualis mea praeparatio ? et quantum munus illud ad quod aspirare audeo ?)

1. Antiphona ad Magnificat festi.

Virgo perpetua, (Deus enim qui eam intemeratam in conceptione servaverat, qui castitatis votum inspiraverat, novit quo modo providendum foret inclyto operi incarnationis Filii sui.

Illibatissimam virginis puritatem consectari atque imitari studeamus, et divinae semper gubernationi vitam nostram committamus.)

templum Domini, (Quod Mariae excellentissime competebat, hoc justis quibuscunque non denegatur, ut videlicet templa fiant et maneant, in quibus sanctissima Trinitas summa dilectione ac dignatione inhabitet.)

sacrarium Spiritus sancti, (« Illam enim Spiritus sanctus in adorando Incarnationis mysterio obumbravit... supervenit... in Virginem, virtutem susceptivam Verbi Dei tribuens ; id est, ut conciperet Verbum Dei : unde factum est ut flos de radice ejus ascenderet. » Lépicier, De Beata Virgine, p. 44.)

sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. (Adeo scilicet placuit a/ ut eligeretur ; b/ ut pulchre gratiis ornaretur. Placuit insuper per insignem puritatem, per totam sui ad Deum consecrationem, per profectum in virtutibus toto vitae suae mortalis decursu plane admirabilem.

« Nulli dubium esse potest beatam Virginem actus meritorios perfecisse, tum in prima periodo vitae suae, in qua, ut constans traditio est, trimula virgo semetipsam Deo obtulit, vitaeque potissimum contemplativae inter virgines Deo consecratas tradidit, tum post Christi Incarnationem... quo tempore perpetua Jesu sectatrix effecta est, tum ultimo vitae suae tempore cum desideriorum premebatur incendio, et crebris suspiriis angebatur. » Lépicier. Op. cit. p. 172.)

227. De Desponsatione Beatae Mariae Virginis.

i. Ob oculos mentis ponam domum Nazarethanam, situm ejus, formam, magnitudinem, vicum ubi reperitur, munera demum humilia beatae Virginis ejusque sponsi.
ii. Deum rogabo spiritum caritatis fraternae et fiduciam divinae providentiae.

---

1. Maria, voto castitatis perfectae Deo jam consecrata, quum aetatem nubilem adepta fuerit, mortuis parentibus, a sacerdotibus tradita est viro optimo ex eadem familia, sancto nempe patriarchae Joseph.

Dei providentiam in omnibus pie agnoscam ; et quidquid difficile, repugnans vel obscurum occurrerit, sine haesitatione ulla vel timore me illi committam.

In hac ergo desponsatione, sanctis ac praeclaris conjugibus gratulabor de egregia sua stirpe, immo de stirpe messianica, de sublimi sanctitate, de proposito castitatis mutuo, de conditionis suae simplicitate et paupertate.

II. Desponsatio illa :

a. Verum fuit matrimonium ; adeoque S. Joseph, humilis ac simplex cum fuerit, sanctissimae hujus familiae superior jure exstitit. Maria conjux ejus vere fuit ; quod quidem inde roboratur, quod Joseph de ejus dimissione cogitare potuerit. Joseph fuit « vir Mariae, » et a Maria honorabatur titulo « Patris : »« Ecce pater tuus et ego. » L. 2, 48.

b. Habuit praeterea primam matrimonii perfectionem, seu veritatem contractus ; habuit et alteram, prolem scilicet, quia proles divina ex Maria, Spiritus sancti operante virtute, concepta est. Divinam sapientiam

potentiamque admirabor, quibus factum est, ut fructus matris simul cum virginitatis candore habeatur.

c. Utrimque denique consecrata est castitate intemerata. Maria siquidem virginum et conjugum exemplar fuit primum ac praecipuum. Virgo immaculata passa est videri non virgo sed uxor.

III. Ideo factum est mysterium incarnationis per oeconomiam Desponsationis.

1. ut Filius honoraretur ab infidelibus (secus enim ob ignorantiam tamquam spurius habitus esset), et ut a patre nutritio jure sustentaretur
2. ne mater lapidaretur ut adultera, et ut ministerium ei a S. Joseph praeberetur ;
3. ut nobis ex testimonio sponsi virginalis conceptus probaretur.

228. De Annuntiatione Beatae Mariae Virginis.

i. Hujus mysterii locum, personas, verba, actiones mente mihi repraesentabo.

ii. Humilem gratumque animum Deum precabor.

I. Angelus reveretur Mariam, inferiorem natura, gratia excellentiorem. Ego autem, quomodo me gero erga superiores ? Quomodo erga illos, quos novi me praestantiores esse gratia et virtutibus ? Erga fratres meos in sanctuario quonam reverentiae spiritu utor ?

II. *Humilitas Mariae* observetur. Turbata est ad praesentiam et sermonem nuntii inclyti ; miraculum maternitatis virginalis in ea operandum esse, ne suspicatur quidem ; humillimam reddit responsum : « Ecce

ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » L. 1, 38.

Qualis mea simplicitas, moderatio, et humilitas in muneribus meis explendis ?

III. Statim subsecuta est stupenda illa *Dei Verbi humiliatio*, qua de coelo ad humilem casulam descendit ; exinanivit se ut sit puerulus in sinu matris occultatus ; « non horruit Virginis uterum, » ut postea parvulus nasceretur, et diu reputaretur fabri puer, qui tamen maximo miraculo de pura et immaculata Virgine conceptus fuerat. « Deus omnipotens et clemens, cujus natura *bonitas*, cujus voluntas *potentia*, cujus opus misericordia est, » post lapsum illico promisit « Christum in carne venturum, Deum hominemque, natum ex Virgine. » S. Leo. lect. In nat. Domini, II. I, 68.

Deus nobiscum se humiliat. Rex coeli et terrae factus est obediens ; in abjecta conditione sociali, in operibus manualibus totam paene vitam peregit.

« Universitatis Dominus, servilem formam, obumbrata majestatis suae dignitate, suscepit ; impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis : et immortalis, mortis legibus subjacere. » S. Leo, l. c.

O bone Salvator, qui hac agendi ratione, conditionem humanam mirifice elevavit et sanctificavit !

229. De Annuntiatione Beatae Mariae Virginis (2). [1]

« AVE, » salutatio honorifica, congratulatio, et reverentiae significatio nunc primum ab angelo naturae nostrae exhibita.

Cujus salutationis hae sunt rationes :

1 Secundum S. Thomam Aquinatem, Opusc. VIII.

I. Beata virgo angelos gratia excelluit, quatenus summo ornamentorum coelestium cumulo ditata fuit :

1. quantum ad *animam*, tum ad bene operandum (ex quo facta est exemplar virtutis omnis, et maxime humilitatis, castitatis et patientiae) ; tum ad malum vitandum (quia ab originali labe praeservata fuit, et ab omni peccato actuali immunis semper exstitit). « Tota pulchra es, Maria, et macula originalis non est in te. » Secundum Cant. 4, 7.
2. Quantum ad *corpus*, quia gratia ab anima redundavit in corpus, ut ab eo nasceretur Deus et homo.
3. Tanta fuit gratia ejus, ut non in multos tantum refunderetur, sed in omnes homines.

Ita in *omni periculo* salutem habere licet ex Maria : « Mille clypei (i. e. remedia) pendent ex ea, omnis armatura fortium. » Cant. 4, 4.

Pariter in *omni opere virtutis* poteris habere eam in adjutorium ; « in me omnis spes vitae et virtutis. » Eccli. 24, 25.

II. Excelluit etiam ratione *familiaritatis* cum Deo : ideo dictum est...

« Dominus tecum.... Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. » L. 1, 35.

Etenim Filius Dei cum Maria fuit ut Filius, cum Angelo ut Dominus. Maria enim fuit « Totius Trinitatis nobile triclinium. »

III. Excelluit etiam ratione *puritatis* ; quia et pura in se fuit, et puritatem aliis procuravit. In se fuit immunis ab omni naevo, a poenis circa partum, et a corruptione tumuli.

230. De Annuntiatione Beatae Mariae Virginis (3). [1]

« Non solum potenter, sed etiam sapienter quaecunque voluit, fecit.

« Sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit :

« ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostrae videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed et prudentiam ostendere voluit. » S. Bern. Hom. 2. Super *Missus est*, n. 13. II, 1680.

« Benedicta tu inter mulieres. » L. 1, 28 : videlicet —

1. Benedicta a *sanctissima Trinitate* :
   a. a Deo Patre, quia in eodem Filio cum illo communicas ;
   b. a Deo Filio, quia dignum habitaculum ei praebes ;
   c. a Spiritu sancto, cujus operatione Salvatorem mundi generas.

2. Benedicta ab *angelis* : —
   a. quia illorum te allocutionibus humilias, dicens : « Ecce ancilla, Domini. »
   b. quia eorum vitam in terris inchoas ; vitam enim instituisti virginum : « Virginitas » dicente S. Hieronymo, « est soror angelorum. »

3. Benedicta ab *hominibus*: —
   a. a peccatoribus, quia eos de angustia liberas, et in

---

1. Sermo S. Thomae in festo Annuntiationis.

periculis adjuvas : « In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. » S. Bernardus. Hom. 2. super Missus est. n. 17. II, 1684.

b. a justis, quia eos exaudis in precibus, liberas a tentationibus, eorumque augmentas gratiam in virtutibus ;

c. a mulieribus, quia —

i. eas pariter cum viris ab inimicis spiritualibus potenter liberas, quoniam Christus filius tuus diabolum destruxit :

« Ut per mortem, destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.» : Hebr. 2, 14.

ii. mulierem, quoad virum, excusas; quia viro dicenti, « Propter te damnor, » mulier nunc potest respondere : « Per me salvaris. »

iii. quoad Deum, mulieres honoras, quia idem est Filius Dei et filius mulieris. « Misit Deus Filium suum factum ex muliere. » Gal. 4, 4.

4. Benedicta ab *omni creatura* : —

a. quia earum Creatorem ubere pleno lactas ;

b. quia eas in statum pristinum renovas. Filius enim quem genuisti, omnia tandem renovabit : « Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia. » Ap. 21, 5.

231. De Visitatione Beatae Mariae Virginis. [1]

1. Paulo post annuntiationem beata virgo a Nazareth cum pia aliqua comite profecta est, ad oppidum in montanis Judae, ubi habitabat cognata sua Elizabeth.

1. L. 1, 39-46.

2. Sine mora, immo cum festinatione iter illud instituit ; cujus itineris is fuit scopus :
   a. ut gratularetur cognatae de insigni quam acceperat gratia filii concepti in senectute sua ;
   b. ut ministerium sedula impenderet Elizabeth aetate jam provectae ;
   c. ut Spiritus sancti instinctu infantem sanctum in utero suo latentem adduceret ad praecursorem sanctificandum.

3. Intravit domum, atque verbis benignis et fervidis salutavit Elizabeth :
   « Et factum est ut audivit salutationem Mariae Elizabeth, —
   a. exultavit infans in utero ejus : » (Illustratus est, mundatus, sanctificatus, Deum praesentem agnovit, et exultatione significavit matri suae, Dominum Deum in sinu beatae Virginis Mariae adfuisse.)
   b. « et repleta est Spiritu sancto Elizabeth : »
   In istis omnibus Dei providentiam, potentiam, et sanctitatem admirare et lauda.

4. « Et exclamavit voce magna, et dixit :
   Benedicta tu inter mulieres, et —
   Benedictus fructus ventris tui.
   Et unde hoc mihi (verba sunt animae humilis)
   ut veniat mater Domini mei ad me (verba fidei) ?
   Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.
   Et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino. »

5. Responsio Mariae fuit canticum laudis Dominicae : « Magnificat anima Dominum. »

232. De Visitatione Beatae Mariae Virginis (2).[1]

i. Imaginatione mihi repraesentabo Mariae discessum a Nazareth, iter longum et asperum, domum Zachariae.
ii. Humilitatem suppliciter exorabo et benignitatem.

---

1. **Personae : —**

Joseph, humilis et justus, sponsus beatae Mariae, et ipse virgo.

Maria, gratiis cumulatissime ornata, nunc Filium Dei in utero gestans.

Comes itineris, puella gravis et devota, quam Maria elegerat.

Zacharias, sacerdos, justus, legis observator assiduus, qui primus meruit nuntium praecursoris Domini recipere.

Elizabeth, ad senectam usque sterilis, nunc vero stupendo miraculo fecunditatis gloria dotata.

Baptista, infantulus in utero delitescens, qui inclytus futurus est praeco Domini Salvatoris.

Jesus in utero Virginis, Salvator in humillimo suo reclinio recumbens.

II. **Verba : —**

Salutatio Mariae, decora et suavis.

Responsio Elizabeth : « Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me ? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo : Et beata

---

1. L. 1, 39-56.

quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino. »

Canticum Mariae, quod sensa animi grati et humilis, magna spiritus exultatione patefecit.

III. **Actiones** : —

Iter difficile et laboriosum ; ingressus et salutatio Mariae ; responsio Elizabeth.

Puerum Joannem Jesus illustrat et sanctificat.

Infans Joannes gaudio exultat.

Maria, Spiritus instinctu excitata, in splendidum laudis canticum prorumpit.

Maria diu cum cognata manet, eique inservit.

Superiores veniunt ad inferiores ; Maria obtemperat suggestioni Angeli : « Et ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua. »

« Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus : et reversa est in domum suam. »

233. De Visitatione Beatae Mariae Virginis (3).

CANTICUM VIRGINIS MATRIS. L. 1, 46-55.

1. *Quis* cantat ? Beata Virgo, Mater Dei jam effecta ; castissimis labiis ac corde fervido magnalia Dei in se et in universo orbe ostensa proclamat.

2. *Ubi* cantat ? In domo Zachariae, qui filii donum a Deo receperat.

3. *Quo animi affectu* ?

Profundo gratitudinis et humilitatis sensu. Extra se rapta gloriam concinit incarnationis.

4. *Quid* celebrat ?

Dei magnificentiam, potentiam, sanctitudinem, misericordiam, benignitatem.

5. *Quonam modo* ?

Spiritus sancti mota instinctu.

6. *Quanam occasione ?*

Ad laudes quibus S. Elizabeth cumulaverat Mariam, ipsa respondit laudando Deum : « Et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino. » L. 1, 45.

« Et ait Maria : »

Dei beneficia panguntur.

Magnificat anima mea *Dominum* :

Et exultavit spiritus meus in *Deo* salutari meo.

Quia respexit humilitatem *ancillae* suae : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui *potens* est :

Et *sanctum* nomen ejus.

Et *misericordia* ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Fecit *potentiam* in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui.

Desposuit potentes de sede : et exaltavit humiles.

Canitur deinde benignitas Dei.

Esurientes implevit bonis : et divites dimisit inanes.

(Dominus) Suscepit Israël (Israëlem) puerum suum : recordatus misericordiae suae.

Laudatur Dei fidelitas.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in saecula.

Vide quo modo in Maria humilitas et magnanimitas conjunctae sint cum animo gratissimo.

234. Expectatio partus.

i. Mente repraesentabo Mariam cum S. Joseph in itinere a Nazareth ad Bethlehem.
ii. Gratiam rogabo pie expectandi Salvatoris adventum in corda nostra.

I. Obedientia animatus Joseph cum Maria iter instituit a Nazareth ad viculum Bethlehem.

Cogitetur hujus itineris longitudo, — difficultas (pedibus id fecit Joseph, Maria insidens asino), — pericula ex latronibus, — incongruitas, Maria tunc praegnante. Sed incommoda illa multa non impediunt quominus officium adimpleant.

Quonam spiritu recipio mandata auctoritatis civilis? Quanti facio statuta vel consilia Summi Pontificis, sacrarum Congregationum Romanarum, acta synodi provincialis, ordinationes Episcopi proprii, regulas directionesve superiorum domus?

II. Considerabo Mariae desiderium flagrantissimum, omnium regum prophetarumque suspiriis ardentius, ut oculis tandem conspiceret Filium suum divinitus datum, conceptum de Spiritu sancto, ipsum « Sanctum Dei », et mundi redemptorem.

Mysterii hujus silentium et sublimem humilitatem admirabor.

Et nos pariter ardenter cupiamus, ut Jesus in hoc saeculo appareat, in moribus splendeat, in cordibus per gratiam semper maneat.

Nonne et ego pro pluribus Christi ero praecursor? Nonne et meum erit viam ante faciem ejus praeparare?

Quonam modo me nunc ad ministerium futurum praeparo ?

III. Meditabor ardentissimum divini infantuli desiderium, ut cursum suum inciperet, ut tamquam « Lucifer » ad mundi tenebras dissipandas oriretur.

Et nos pariter Salvatorem desideremus cum antiquis sanctis aspirando : « Rorate cœli desuper. »

IV. Instat nunc festum Nativitatis Domini ; incipiunt Ecclesiae pia suspiria cum antiphonis majoribus, quorum titulos saltem revocemus, ut lingua Ecclesiae infantem ferventer salutemus : O Sapientia. O Adonai. O radix Jesse. O clavis David. O Oriens. O Rex gentium. O Emmanuel.

235. De Purificatione Beatae Mariae Virginis (Contemplatio).

Personae.

Jesús : infans, mutus, inops, sed legifer, redemptor, Deus.

Maria : puella, pauper, cum infante primogenito et pretiosissimo.

Joseph : simplex, artifex, faber, sed familiae sanctae superior et protector.

Simeon : justus, timoratus, impletus Spiritu sancto, expectans consolationem Israël.

Anna : prophetissa, vidua, senex, religiosissima, quae non discedebat a templo, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte.

Verba.

1. legis : « Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur : et ut darent hostiam...

par turturum, aut duos pullos columbarum. » L. 2, 23. 24.

2. Simeonis ad Dominum : « Nunc dimittis servum tuum Domine etc. ».
3. Simeonis ad Mariam : « Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël, et in signum cui contradicetur : et tuam ipsius animam pertransibit gladius. » L. 2, 34. 35.
4. Annae, quae « confitebatur Domino : et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israël. » ib. 38.

Quibus hoc accedit notatu dignum :

5. Jesus, Maria, Joseph siluerunt.

Actiones.

1. *parentum* : *a*. « Tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, et ut darent hostiam. » ib 22. 24. *b*. « Et erat pater ejus, et mater mirantes (non de prius sibi ignotis, sed de iis, quae pie et animose dicta fuerant a sancto sene) super his quae dicebantur de illo. » ib. 33. *c*. « Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth. » ib. 39.
2. *Simeonis*.
   a. Spiritus impulsu in templum venit ;
   b. accepit puerum in ulnas suas, et benedixit Dominum ;
   c. benedixit Mariae et Joseph ;
   d. Mariae locutus est verba valde tristia (supra 3.)
3. *Annae* : venit in templum ; confitebatur Domino ; loquebatur de puero.
4. *Jesus* : sivit se tangi, portari, in ulnas recipi, domum deduci.

236. De Purificatione Beatae Mariae Virginis (2).

I. Lex.

1. Quoad *dies purgationis* : « Mulier, si pepererit masculum... triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suae. » Lev. 12, 2. 4. At vero Maria non habuit prolem naturaliter conceptam secundum mentem legislatoris, neque fuit immunda.
2. Quoad *praesentationem* : « Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam, in filiis Israël. » Exod. 13, 2 ; « Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur. » L. 2, 23.

   Attamen divinus infans vulvam non aperuit, sed e sinu matris miraculose egressus est, illaesa ejus manente virginitate ; neque vocabatur « Sanctum Domino, » sed « Sanctum » fuit et Filius Dei.
3. Quoad *oblationem* : « Cumque expleti fuerint dies purgationis suae » dona deferet « ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea. » Lev. 12, 6, 7. Haec vero propter praedicta non erat necessaria. Duplex autem statuta erat oblatio sive divitum sive pauperum. Pauperum dona obtulerunt parentes Domini. Christus enim pauper paupertatem non erubuit, sed sanctificavit.

II. Legis observatio.

Jesus, Maria, Joseph omnes a lege se immunem esse noverunt. Legis enim sensus talis procul dubio fuit, ut Beatam Virginem ejusque prolem non complecteretur. Omnia tamen observantissime adimplent (i) humilitatis causa, (ii) ut nobis sese associent, (iii) in exemplum animi generosi et obsequii in legem, qua communitas

obstricta fuit. Singularem immunitatem sibi non vindicant ; privilegio status sui uti noluerunt.

III. *Simeon, vir* (non de tribu Levi), *justus* (pius et sanctus), de quo dictum est : « Spiritus sanctus erat in eo,» *responsum accepit a Spiritu sancto* (credidit, speravit, expectavit consolationem Israël ;)

non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini, mature venit in templum, videt sanctam familiam ingredientem, lumine superno agnoscit infantem ; salutat infantem ejusque matrem, precatur ut accipiat filium, illumque tenet in ulnis suis. Prae nimio gaudio illacrimatur, et prorumpit in canticum : « *Nunc dimittis.* »

Pie ac morose verba cantici prosequar, mentem defigens in celsitudinem illius eventus, quem Simeon diu expectaverat et tandem vidit, cujus fructum ego nunc plene possideo.

237. De Purificatione Beatae Mariae Virginis (3).

i. Verba Magistri perpendam : « Non veni solvere (legem) sed adimplere. » M. 5, 17.

ii. Obediendi spiritum enixe orabo.

I. Nec Jesus lege praesentationis, nec Maria lege purificationis tenebatur. Notam legi inhaerentem non refugiunt, sed patiebantur.

Obedientiam generosam recusare nesciunt. Lege non fuerunt obstricti, sed se legi communi conformare statuerunt.

Nos vero regulas nobis jure impositas haud infre-

quenter forsan violamus. Praetextus quaerimus et excogitamus regulas et superiorum ordinationes evitandi.

Reverentiam et liberalitatem obedientiae perfectae raro attingimus.

II. Legi non subditus, Christus ei se subdidit in exemplum animi docilis, et in obsequium auctoritatis, ut impleret omnem justitiam ; voluit ipse fratribus in omnibus assimilari, non vero e numero et conditione fratrum quos diligebat per exceptionem eximi.

An leges sub quibus vivo, revereor ?

An quaero exemptiones et excusationes ?

An exacte, et cum plena fidelitate eas omnes observo ?

III. Ad templum suum venit Dominator in forma pauperis ; cum matre paupercula, cum patre putativo et homine operario. Nullum majestatis indicium apertum ostensum fuit.

Ego e contrario paupertatem horreo, fugio et erubesco. Bona opera mea pluribus nota esse desidero. De meipso tacere vix possum. Humilem secessum seminarii aegre fortasse sustineo.

IV. A parentibus donum pauperum offertur. Paupertatem sanctae familiae admirabor. Ipsa divitias non affectat. Miraculum nullum factum esse videtur ad paupertatem suam levandam. Pretio pauperum redimitur infans, qui mundi universi futurus erat redemptor. Divitias in cœlo habuit, paupertatem in terris quaesivit. Nobis pariter paupertatem in loco exsilii colentibus, in patria beata divitias retribuet cœlestes.

238. De Purificatione Beatae Mariae Virginis (4). [1]

Statim (Quaerentibus, desiderantibus et paene desperantibus propheta annuntiat Dominum cito venturum, repente et sine mora appariturum post nativitatem. Iniquis sacerdotibus rogantibus « Ubi est Deus judicii ? » illico respondet : « Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum. »)

veniet (Tamquam angelus testamenti, et legatus Dei promissa adimplebit. Foedus antiquum Dei cum populo suo perficietur. Omnes enim in Christo Dei, redemptore, largitore, consummatore, summam et inopinatam recipient benedictionem.)

ad templum suum (templum veri Dei) (*sanctum*) (ad sacrificia Deo offerenda, ad cultum solemniorem, et sacratum per divinam praesentiam specialem)

dominator (Dominus exercituum, Jahve, « hujus foederis mediator et sponsor designatur. » Knabenbauer. in h. l. « Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multae miserationis et verax. » Ex. 34. 6.)

quem vos quaeritis, (desideratis nimirum affectu ardente, verbis magni vatis utentes : « Aperiatur terra et germinet Salvatorem. » Is. 45, 8.)

et angelus testamenti (Etenim Christus, Messias, palam annuntiat, sanguine firmat, et amore replet novum hoc foedus pacis et sanctitatis : « Et ideo novi testamenti mediator est. » Heb. 9, 15. « Unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. » 1 T. 2, 5.

1. Mal. 3, 1 ; et Ant. ad Magnificat.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« Fecit enim nobis in adventu suo testamentum de aeterna haereditate. » S. Th. Sermo in hoc festo.)

quem vos vultis (ad quem suspiriis anhelatis, quem diligitis, et in cujus adventu vehementer gaudetis).

Ecce venit, (certa prophetae asseveratio contra eos, qui de dilatione Messiae murmurabant)

dicit Dominus exercituum (Quibus verbis proponitur tamquam arrha certissimi adventus, Dei majestas, potentia, veracitas et fidelitas).

239. De Purificatione Beatae Mariae Virginis (5). [1]

« Statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis. » Mal. 3, 1.

Hoc vaticinium exponi potest secundum allegoriam de adventu Filii Dei in uterum Virginis Mariae. Ipsa enim est templum Dei mirabile prae omnibus sanctis.

Templum autem illud —

1. mirabiliter *magnum* erat secundum longitudinem et latitudinem caritatis. Sicut enim Maria plus fidei, spei et caritatis habet quam aliqua alia creatura, sic plus habuit de magnitudine ;

2. desiderabiliter *pulchrum* fuit ; quia sicut nihil erat in templo (Salomonis) quod non auro tegeretur (3 Reg. 6, 22), ita nihil in virgine quod sanctitate plenum non esset ;

3. exquisite fuit picturis *decoratum*, omni videlicet virtutum ornamento, praesertim humilitate, castitate, caritate;

1. Secundum S. Thomam. Sermo in hoc festo.

4. opere totius Trinitatis fuit *consecratum* : « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. » Ps. 45, 5 ; Filia enim Patris recte nominatur Beata Virgo, Mater Verbi, Sponsa Spiritus sancti ;

5. tantae dignitatis *privilegio* excellit, ut omnes rei et malefactores, qui ad illud currunt ex toto corde salventur : hinc Beatae Mariae merito appellata est : « Refugium peccatorum, et Virgo potentissima. »

6. ideo extructum erat, ut Dei Filius ibi *homo fieret*. « Beata viscera Mariae Virginis, quae portaverunt aeterni Patris Filium. »

« Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. » Heb. 4, 16.

240. Canticum Simeonis. [1]

Paucis ob oculos propone totam scenam Purificationis una cum personis, quae ibi aderant.

Perpende quamdiu et quam flagranter viri pii adventum Redemptoris desideraverint.

Aspice quod tandem Simeon vir piissimus, simplex et humilis videt oculis et in ulnis tenet illum, quem ceteri tantopere videre concupierant, et Spiritus sancti impulsu prorumpit in verba animi gratissimi.

Haec verba singillatim meditare, et eorum robore et suavitate cor tuum nutri ac refove.

Nunc (post diuturnas tandem preces atque expectationem)

---

1. L. 2, 29-32.

dimittis (Auctor vitae, mortisque arbiter me nunc ad discedendum e vita promptum invenies.)
servum tuum (virum nempe justum, qui reverenter, fideliter ac pie numen supremum colit)
Domine, (a cujus dispositione benevola pendemus universi) (Verba ista sunt animi grati, contenti et plene in Deo confidentis.)
secundum verbum tuum (benignum, propheticum, certum)
in pace (in tranquilla boni expectati possessione) :
Quia viderunt oculi mei (immo manus meae tetigerunt)
salutare tuum, (diu promissum, nunc misericorditer datum)
Quod parasti (divina sapientia et potentia, summo amore destinatum)
ante faciem omnium populorum, (ut omnes tandem nationes suavitatem Domini intelligant et gustent)
Lumen (doctrina mentis et cordis, exemplum vivendi, lux mundi, via, veritas, vita)
ad revelationem (Dominus illuminatio mea. Ipse illuxit in cordibus nostris (2 C. 4, 6), oriens ex alto (L. 1, 78.)
gentium, (infelices gentes barbarae et ethnicae nunc invitantur et recipiuntur :)
et gloriam (decus et splendorem honorifice in universum mundum proclamandum)
plebis tuae (electae et adeo dilectae) *Israël* (Israëlitarum enim est adoptio filiorum, gloria, testamentum, promissa, quorum sunt patres, et quibus gloriati sunt, — sed deinceps gloriabuntur in Verbo divino ex suo genere incarnato, — « ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. » R. 9, 4-6).

241. Prophetia Simeonis. [1]

i. Simeonem senem sanctum intuere raptum spiritu, et sacrae familiae prophetantem.
ii. Verba mirae et audacis prophetiae ausculta.
iii. Lumen ut mysterium hoc intelligas obsecra.

---

1. *Verba prophetiae.*

Ecce (animo attento dicta accipe)
positus est hic (a Deo ad hoc destinatus est)
in ruinam (eorum nempe, qui culpa sua pertinaci credituri non sint)
et in resurrectionem multorum (eorum qui gratiam Christi accipere velint)
in Israël, (tum in populo illo peculiari, tum in universo populo, quem Christus sanguine suo acquisivit)
et in signum cui contradicetur : (*a*. quando vexillum evangelii a Christo explicatum fuerit; *b*. in sacrificio crucis ; *c*. decursu saeculorum ;)
Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, (viso atroci crucis supplicio, et ictu lanceae transverberantis Filium dilectissimum)
ut revelentur ex multis cordibus cogitationes (tunc enim Judaeorum insidiae et odia incredibilia patefient).

2. *Verba Annae (alia scilicet laudis verba).*

1. *Et haec,.. confitebatur Domino* :
a. (laude et glorificatione ;
b. gratiarum actione de Salvatoris adventu ;
c. professione fidei in Christum Dominum ;)

---

1. L. 2, 34. 35.

2. *et loquebatur de illo omnibus,qui expectabant redemptionem Israël* (eosdem nimirum actus coram adstantibus iterabat, munus tunc gerens apostolatus).

3. *Gradus manifestationis :* —

Pastores, ex loco vicino, *viderunt*, et cultum tantum cordis ex paupertate sua praestabant.

Magi, e longinquo, *adoraverunt*, et dona pretiosa obtulerunt.

Simeon, ex coetu perfectorum, *in ulnas recepit* infantem, praemium affectus piissimi.

242. Dolores Beatae Mariae Virginis.

i. Conspice beatam matrem in templo stantem, et audientem Simeonis luctuosam prophetiam. L. 2, 34. 35.

ii. Spiritum efflagita Matris Ecclesiae circa dolores Mariae, qui est affectus docilitatis, admirationis et compassionis.

Circa Virginis dolores tria imprimis meditari convenit, quae sunt : —

I. Ratio Mariam compatiendi.

Sicut congaudemus amicis ac praesertim matri, ita flendo cum iis amorem exhibemus. Quapropter matrem Dei et nostram compati in summo suo dolore maxime decet.

II. Virginis dolor vehemens.

1. Dolor fuit supra dolorem martyrum. Sic Patres unanimiter Mariam « plus quam martyrem » praedicant, eamque Ecclesia « Reginam martyrum » proclamat.

« Cui comparabo te ? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem ? cui exaequabo te, et consolabor te virgo filia Sion ? magna est enim velut mare contritio tua : quis medebitur tui ? » Thren. 2, 13.

2. In omnibus simul septem doloribus vehemens maestitiae affectus conspicitur.
3. Vehemens praesertim fuit Matris dolor —
   a. quando dilectum Filium amiserat ; cujus rei signum sunt verba : « Fili, quid fecisti nobis sic ? » L. 2, 48.
   b. quando vidit Filium suum e patibulo crucis pendentem clavis perforatum manibus pedibusque ;
   c. quando dilaceratum corpus emortui Filii... in gremium recepit ;
   d. per totam vitam, sub umbra nimirum vaticinii mox implendi :

« Ecce, positus est hic in signum cui contradicetur. » L. 2, 34. Sicut crescente rosa crescunt spinae, sic rosa ista electissima, Maria, quantum crescebat aetate, tantum tribulationis spinis pungebatur.

« Omnium matrum maestissima ex ipsius amarissimae passionis praesentia. » S. Birgitta.

III. Exemplar dura patiendi.

Sicut exemplum Christi, ita et exemplum matris ejus discipulos suaviter ac fortiter allicit, ut crucis instructionem dociliter recipiant.

243. Dolores Beatae Mariae Virginis (2).

i. « Stemus juxta crucem cum Maria matre Jesu ».
ii. « Fac me tecum pie flere. »

Causae doloris adeo vehementis in Maria quaerendae sunt —

1. Ex cognita acerbitate tormentorum, quae Filio suo tenerrime dilecto a Pilato infligebantur ad dura et ferina Judaeorum corda emollienda.

2. Ex praesentia Filii sui dira patientis. Agar a filio suo moriente recessit. « Non videbo » dixit « morientem puerum. » Gen. 21, 16. Maria vero Jesum ob oculos tenuit.

3. Ex passionis diuturnitate, nempe, ab oratione Salvatoris in horto Gethsemane facta sub nocte feriae quintae, usque ad horam nonam diei sequentis quando magna voce exclamans emisit spiritum.

4. Ex amore in patientem, qui filius unicus erat, et totus Matris.

5. Ex desolatione :

« Discipuli, relicto eo, fugerunt. » M. 26, 56.

« Stabant omnes noti ejus a longe, et mulieres. » L. 23, 49.

Juxta crucem erant tantummodo Joannes, Maria Cleophae, et Maria Magdalena.

« Vidit suum dulcem natum
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum. »

6. Ex impotentia leniendi cruciatus Christi morientis (sicut solent assistentes adjuvare moribundos).

7. Ex auditis blasphemiis.

« Lingua eorum gladius acutus » Ps. 56, 5.

« Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio. » Thren. 3. 15.

« Cor tuum vulneratum conjunge cordi nostro, ut tecum tuis vulneribus pariter vulneremur. » S. Bernardus.

244. Dolores Beatae Mariae Virginis (3).

i. Mariam contemplare stantem juxta crucem, in qua Filius amabilis moriebatur.
ii. Pium compassionis affectum in eam flagita.

Jesus de cruce pendens Mariae erat filius unicus, donum Dei singulare profecto et pretiosum. Erat praeterea —

totus Matris : sicut eam salutat mellifluus doctor : « Tuus, O Maria, ille Jesus, omnium quidem, sed specialiter tuus. » item: « qui (Christus) etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine ; totus tamen Dei, et totus Virginis esset ; nec duo filii, sed unus utriusque filius. » Hom. III, Super *Missus est*. n. 4. II, 1688.

innocentissimus: quoniam ex Matre immaculata apparuit Deus homo, in quo naevi cujuslibet umbra fuisset impossibilis ;

obedientissimus, cujus vitae longe major pars sub obedientiae jugo agebatur ;

fidelissimus : nemo siquidem matri fidelius adhaesit sive in infantia, sive in pueritia, sive in adulta aetate, sive in ipsa mortis hora ; (nam moriens matrem sibi adstare voluit) :

amantissimus : propterea quod « numquam filius aliquis tantum dilexit matrem, tantum honoravit, tantum pro ea sustinuit, tantum ei dedit, sicut Christus pro matre. » S. Antoninus, Tit. xv, c. 20, p. 1065.

dilectissimus, quia « quanto natura nobilior, tanto habet nobiliores affectiones et operationes. Ipsa autem habuit naturam nobilissimam et amorem naturalem summum.. Numquam aliquis habuit tantam caritatem ad filium, sicut ipsa ad Jesum. » ib.

Ea de re audiatur S. Sophronius : « Quia (Maria) plus omnibus dilexit, propterea et plus doluit, in tantum ut animam ejus totam pertransiret et possideret vis doloris, ad testimonium eximiae dilectionis. » Sermo de Assumpt. inter Op. S. Hier. V, p. 799. (Ed. Paris. 1609.)

perfectissimus, quum indole naturae humanae, tum qualitate et copia gratiarum ;

divinus : « Et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. » R. 9, 5.

Verbum Patris caro factum.

« O vulnerata Domina, vulnera corda nostra, et in cordibus nostris tuam et Filii renova passionem. » S. Bonaventura.

245. Dolores Beatae Mariae Virginis (4).

Affectus erga Matrem dolorosam.

Crucifixionis locum imaginatione tibi describe.

Filium dilectionis paternae, matremque tenerrimam intuere.

Quid agatur et qua crudelitate conspice.

Quorum causa ea fiant meditare.

I. Dolor Virginis Matris perpendatur

a. in crucifixione Filii :

« Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus. »

« Cujus animam pertransivit gladius. »

« Pro peccatis suae gentis vidit Jesum in tormentis. »

b. in depositione de cruce, quando
« Os suave, mite pectus, et latus dulcissimum,
« Dexteramque vulneratam, et sinistram sauciam,
« Et rubras cruore plantas, aegra tingit lachrymis. »

II. Offeratur compassio, qua dolor noster dolori Matris adjungatur : —

a. « Quis est homo qui non fleret Matrem Christi si videret in tanto supplicio ? »

b. « Fac me tecum pie flere, crucifixo condolere. »

c. « Juxta crucem tecum stare, et me tibi sociare in planctu desidero. »

« Stemus juxta crucem cum Maria matre Jesu, cujus animam doloris gladius pertransivit. »

III. Cum virgine perdolente affectum conjunge, et partem in luctu tam piae matris habere flagita.

« Crucifixi fige plagas cordi meo valide..
Pœnas mecum divide.. Fac me tecum plangere..
Fac ut portem Christi mortem, passionis fac consortem...
Fac me plagis vulnerari, fac me cruce inebriari, et cruore Filii. »

Quid vero haec omnia sibi volunt ? Quousque in te verum reperiunt sensum ?

246. In Festo Dolorum Beatae Mariae Virginis.

i. Martyrum reginam contemplare dum mortuum suum Filium in sinu recepit, et verba recole : « Magna est velut mare contritio tua. » Thren. 2, 13.

ii. « Da per Matrem me venire ad palmam victoriae. »

Dolores beatae Mariae virginis undenam orti sunt ?

1. Ex ipso suo *statu*, unde habebatur suspicio S. Joseph ; inde etiam ex angustiis vitae pauperrimae, quibus accedunt itinera longa, labores quotidiani, commoratio in regione aliena, Filii amissio.

Et nos pariter ex perfectis imperfectisque, ex locis, rebus, inedia, durioribus vitae conditionibus, atque plura continuo perpeti debemus. In hujusmodi ergo animum induamus affectum virginis Mariae patientem.

2. Ex munere *cooperantis* in opere redemptionis pretiosissimo. In eo enim se Filio sociavit dum ob viam ei crucem jam bajulanti occurrit, dum cruci ad finem usque constans adstitit, et sacram tandem victimam occisam in genua maerens suscepit. Singula aliquantum pio compassionis affectu meditemur.

Nobis etiam haud raro praebentur occasiones dolendi una cum dolorosa Christi matre : ut videre est —

a. in munere quo fungimur, v. g. alumni vel sacerdotis ; et

b. in debito satisfactionis persolvendo pro culpis, quum plurima occurrant dura, aspera, difficilia, aemulationes, contradictiones, incommoda, aerumnae, vexationes. An, tantae matris exemplo considerato, aegre feramus difficultates nostras quotidianas (sive leves sint sive graves), vel de iis querelas continuas movere velimus, vel de iis irritari et despondere ? « Cruces » quidem et dolores non desunt cuipiam ; eas uti tales agnoscamus. Istiusmodi esse possunt, — studiorum labor ingratus, valetudo infirma, orandi difficultas, ipse a mundo secessus, commodorum complurium renuntiatio, ordo vitae relative durus, cibus simplex et frugalis, mores indolesque fortasse nonnullorum sociorum.

Eas itaque aliasque, si adfuerint molestiae, animo virili ac libenter accipiamus in unione cum forti illa matre, cujus filios nos esse gloriamur.

3. Ex statu *viatoris*, seu ex conditione praesentis hujus probationis. Pro omnibus enim terrestris haec vita via est et non quies termini. « Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quae de cœlo est, superindui cupientes. » 2 C. 5, 2. Dolorem ac spem una conjungit S. Augustinus : « Flere debes, sed recordando Sion. »

Pro nobis saltem status est non patientiae solum sed et pugnae : « Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. » Heb. 12, 1. « Certa bonum certamen fidei ; apprehende vitam aeternam in qua vocatus es. » 1 T. 6, 12. « Usque ad mortem certa pro justitia. Eccl. 4, 33.

247. In Festo Dolorum Beatae Mariae Virginis (2).

1. *Scena* crucifixionis adumbratur.

Stabat Mater dolorosa
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.

Personas et grandem illam actionem sacrificalem reverenter cogita.

2. Exprimitur tenerrimus sensus *compassionis*.

Quis est homo, qui non fleret,
Christi Matrem si videret,
In tanto supplicio ?

3. Oratio ad compassionis affectum *obtinendum*.

Eia Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum, lugeam.

4. Precatur fidelis anima, ut passionis dominicae piam semper *memoriam* habeat.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

5. Petitur *participatio* in sacratissima Christi passione.
   Fac ut portem Christi mortem,
   Passionis fac consortem,
   Et plagas recolere.

6. Per intercessionem beatae Virginis *mors pia* flagitatur.
   Christe, cum sit hinc exire,
   Da per Matrem me venire
   Ad palmam victoriae.

248. Dormitio Beatae Mariae Virginis.

1. Post resurrectionem Filii sui, Beata Virgo probabiliter adfuit ascensioni, certe vero descensui Spiritus sancti, deinde aliquot annos in terris commorata est :
   a. ad incrementum virtutis suae ;
   b. ad bonum nascentis Ecclesiae ; traditur enim ipsam fuisse apostolorum magistram. Vita ejus fecunda simul fuit et abscondita ; femina super omnes nobilis et sancta.

2. Tempore a Deo praenuntiato, Beata Virgo piissime obdormivit in Christo ; Filium secuta est ; naturae debitum persolvit. « Quis est homo qui non videbit mortem ? » Ps. 88, 49.

3. Nec morbo, nec martyrio, nec vi ulla e vivis discessit, sed « hoc utique edici potest, Beatam Virginem ex amore fuisse mortuam, non ita quod vehementia illius amoris ejus mortem causaverit, sed quia suis fervidis desideriis a Deo obtinuerit ut, impleta jam meritorum mensura, media vitae illius praeservativa suspenderentur. Unde fingere possumus Deiparam ferventius longe quam David exclamasse : Quemadmodum desiderat

cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? Cui Deus respondebat : Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. » Lépicier, Tract. de B. V. Maria. p. 256.

4. Accedente mortis momento, desiderii et amoris actus intensissimos frequenter iteravit, ut tandem absque morae cujusvis intervallo, actus viatoris transirent in actus comprehensoris. « Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. » Ps. 83, 3.

5. Aetas beatae Mariae virginis, tempus et locus mortis pariter incerta sunt: caput est quod immaculate vixerit, et quod throno primo digna fuerit inventa. Ita mea maxime interest non quando, nec ubinam, sed quomodo moriturus sim, quod nempe sancte vixerim, et beate moriar.

249. Assumptio Beatae Mariae Virginis.

i. Ad tumulum Beatae Mariae Virginis cum apostolis adstabo mente.

ii. Spiritum petam gaudii de Virginis honore et gloria.

1. Mortua Beata Virgine, anima in cœlos statim recepta est, corpus vero in tumulo reverenter depositum, apostolis (Thoma excepto) adstantibus. Apostoli ad monumentum hymnos pie decantabant.

2. Post triduum, adveniente Thoma, sacrum tumulum reserarunt, ut a sancto Thoma virgineum corpus conspici posset et venerari: at ecce, corpus repertum non fuit, sed linteamina apte composita. « Assumpta est

Maria in cœlum, gaudent angeli, laudantes benedicunt Dominum. »

3. Mente nunc conspiciam gloriosam virginem, choris angelorum et beatorum circumdatam, tamquam cœlorum reginam in paradisum ascendentem. « Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ? » Cant. 6, 9.

4. Corporeae assumptionis prodigium haec rationes confirmant : —
   a. dignitas Matris Dei ; ejus enim caro fuit, ex qua efformata est Dei caro :
   b. affectus Filii in tantam matrem, quam gratia sua supra reliquas creaturas evexerat ;
   c. intima virginis Mariae cum Filio conjunctio atque consensio ;
   d. ejus praestantissima super omnium sanctitatem, quae praemium beatitatis integrum sine mora postulavit ;
   e. singularis ejus a peccato immunitas.

250. Assumptio Beatae Mariae Virginis (2). [1]

i. Scenam coelestem ubi Maria ad gloriam suam ascendit menti meae repraesentabo : « Virgo prudentissima, quo progrederis, quasi aurora valde rutilans ? Filia Sion tota formosa et suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol » (Ant. ad Magn.)
ii. Christum efflagitabo ardentissimum amoris affectum in dilectissimam suam Matrem triumphantem.

---

1. Secundum cl Bucceroni. Comm. de B. M. V. p. 284, et sqq

I. *Beatitudo essentialis* beatae virginis Mariae, quae sita est in visione immediata et clarissima substantiae divinae speciosissimae, superat beatitatem hominum et angelorum universorum. « Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros angelorum ad coelestia regna. » (Ant. 1 ad Mat.)

1. Videt omnia in Verbo : —
   α. intensius quam ceteri beati ; videt et plura ;
   β. videt distinctius et plenius quam ceteri ea omnia, quae pertinent ad mysterium incarnationis, propter suam arctissimam connexionem cum illo mysterio ;
   γ. videt melius quam alii mysterium sanctissimae Trinitatis, quia essentiali sua sanctitudine ceteros quoslibet tantopere excedit ;
   δ. videt probabiliter omnia ferme, quae pertinent ad scientiam visionis Dei ipsius, quatenus omnia ad Christum incarnatum ordinantur.
2. Postremo, probabile est Dei gloriam in beata Maria virgine magis relucere quam in reliquis omnibus simul beatis.

II. Quod spectat *beatitudinem* matris Dei *accidentalem*, —
   a. cumulatissime ornatur perfectionibus accidentalibus, quae omnibus beatis communes sunt (ut fulgore, subtilitate, pulchritudine, facultatum cognoscitivarum acie) ;
   b. habet aureolas doctoris, virginis, et martyris, super quas gloriose fulget propria et ineffabilis aureola Matris Dei. Erat enim in terris : —
      i. fidei magistra, et doctorum doctrix :
      ii. virginum regina, quia integritate et perfectione puritatis suae ceteras longe post se habuit ;
      iii. martyrum regina, propter dolores, quos passa est juxta crucem.

251. Maternitas Beatae Mariae Virginis.

« Venite, audite et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animae meae. » Ps. 65, 16.

I. Consideretur maternitatis praeparatio in singulari *privilegio immunitatis* a peccato originali.

Cujusmodi vero immunitas ista ? Pulchrior sane longe quam protoparentum innocentia et gloria.

Ad quid erat ? Ut Maria Deipara esse mereretur.

Quanta erat ? Quanta scilicet necessaria fuit, ut ipsa vas indignum non esset sacrosancto Verbo Dei continendo.

II. Et alia consideretur praeparatio in *desponsatione*, qua honor virginis a casto Joseph custodiretur.

III. Perpendenda est et illa insignis gratiae praeparatio, qua ab angelo meruit salutari tamquam « *gratia plena.* » Qua de re docent SS. Patres et Doctores : —

a. Dignam fuisse Mariam, ut ex ea Filius Dei nasceretur.

« Digna fuit, ex qua Filius Dei nasceretur. » S. Amb. De Virg. II. c. 2. n. 10. III, 197.

Digna facta est habitaculum fieri Filii Dei. « In domo Dei plantata, et per Spiritum saginata, instar olivae fructiferae virtutum omnium domicilium instruitur... Unde sanctimoniam consectando, templum evasit sanctum et admirabile, Deique altissimi hospitio dignum. » S. J. Damasc. De Fide Orthod. IV. c. 14. I, 275.

b. Deum cum illa non fuisse hospitem unius diei ; sed *(a)* triginta saltem annorum ; et *(b)* in utero ejus novem menses delituisse.

c. « Illos quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei... Beata autem Virgo fuit electa divinitus ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitantum quod Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit. » S. Th. 3, q. 27, a. 4.

IV. Undenam hanc animi praeparationem accepit ?

1. Ex *gratia* praeveniente : « Non de terra utique, sed de coelo vas sibi hoc per quod descenderet Christus elegit, et sacravit templum pudoris. » S. Ambros. De Inst. Virg. c. 5. n. 34. III, 318.

« Factor hominum ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, immo condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. S. Bern. Hom. II super Missus est, n. 1. II, 1672.

Ejus autem gratia praeveniens communiter describitur tamquam « incomparabilis, ineffabilis, soli Deo cognita. »

2. Ex *operibus* : « Haec nempe est virgo sanctissima, quae virtutum omnium ornata decore, et gratiarum plenitudine, atque donorum coelestium irradiata fulgore, coelorum regem suo ad se traxit odore. » S. Laurent. Just. De casto connub. c. 9. p. 130.
3. Ex *virtutum* decore, quibus praecipue enituit, humilitate nempe, puritate, caritate. « Erat quidem beata virgo thalamus puritate nitidus, moribus ornatus et omni praeditus sanctitate... pollens humilitate. » S. Laurent. Just. ib.

252. Maternitas Beatae Mariae Virginis (2).

i. Ob oculos mentis ponatur « Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus. » Ap. 12, 1.
ii. Christum roga sensa piissima erga sanctam Dei genitricem.

---

1. Beatae Virgini praerogativam maternitatis divinae adscribunt :
   Isaias : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Is. 7, 12.
   Angelus : « Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur FILIUS DEI. » L. 1, 35.
   Elizabeth : « Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me ? » ib. 43.
   S. Joannes : « Et Verbum caro factum est » J. 1, 14.
   S. Paulus : « Ex quibus (scilicet patribus) est Christus (per Mariam) secundum carnem, qui est super omnes DEUS benedictus in saecula. » R. 9, 5.
   Vox antiquitatis christianae Mariam DEIPARAM proclamavit.
   Concilium tandem *Ephesinum* eamdem praerogativam splendide contra errores propugnavit : « Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam virginem : peperit enim secundum carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est: " Verbum caro factum est, " anathema sit. » Can. 1.

2. Beata Virgo genuit factorem suum. Genuit enim veraciter, et proprie Deum, non carnem tantum, nec tantummodo hominem, in quo Deus inhabitet.

3. Vere mater fuit : habuit enim relationem realem seu physicam matris ad Verbum incarnatum.

Dignitatem habuit quamdam infinitam : « Ipsa est mater, quae tali filio est decentissima.. Ipsa est qua majorem Deus facere non posset. Majorem mundum posset facere Deus, majus coelum posset facere Deus : majorem matrem quam matrem Dei non posset facere Deus. » S. Bonav. Spec. B. M. V. Lect. 10 in medio. VI, 467.

« De qua natus est Jesus : in hoc clauditur quidquid de illa dici potest, si mille libri scriberentur. » S. Anselmus.

Unionem habuit cum Verbo qua nulla intimior, quia infans vivit vita matris. « Deus in virgine speciali modo per indentitatem. Hic taceat et contremiscat omnis creatura, et vix audeat aspicere tantae dignitatis immensitatem. » S. Joan. Damasc.

4. Deum habuit *sibi subditum* : « Quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo : et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. » S. Bernardus, De Laud. Virg. Matris, 1, n. 7. II, 1670.

5. Dignitatem *Dominae* obtinuit ut mater Regis.

6. In maternitate igitur cerne atque reverere radicem gratiarum omnium, quae virginem matrem super omnes creaturas ornaverunt.

253 Maternitas Beatae Mariae Virginis (3).

i. Stabulum nativitatis mihi mente repraesentabo.
ii. Per virginis Mariae intercessionem humilitatem una cum magnanimitate obnixe precabor.

I. Perpendatur maternitatis praecelsa dignitas :
1. *Physica* —
a Quatenus Maria de se subministravit id, quod Verbum sibi assumpsit in naturam suam humanam. Verbum itaque fuit realiter ac physice Filius Mariae.
b. Mira exinde affinitas cernitur matris cum Patre generante Filium secundum divinitatem, et cum Spiritu sancto, qui est fructus Filii secundum divinitatem (« Ille me clarificabit : quia de meo accipiet. » J. 16, 14) ; et cujus Filius est fructus secundum humanitatem (« quae [scilicet Virgo] et Unigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit »).
c. Cognatio haec est naturalis (quia per naturae communicationem ex Maria), et supernaturalis, quia est affecta per Spiritum sanctum, et ejus terminus est Filius Dei.
2. *Moralis ;* est enim radix omnium gratiarum Mariae collatarum inde ab immaculata conceptione usque ad exaltationem in coelesti regno.

II. Munus Deiparae est *compendium doctrinae* de incarnatione ; nam
a. ideo Genitrix esse proclamatur, quia ex illibata sua carne carnem Christi subministravit ; et
b. quia Dei Genitrix est, ideo ille qui proprie ab ipsa genitus est, Verbum Dei fuit et Filius Patris.

III. Deiparae *magnanimitas et humilitas* nunc considerentur : Tantae sublimitatis munus non recusavit, sed humiliter accepit. « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » L. 1, 38. Canticum laudis et humilitatis protulit. « Magnificat anima mea Dominum. » ib. 46.

Tristem Simeonis prophetiam animo forti auscultavit. ib. 2, 45. Matris munus totum in se recepit. « Et peperit filium suum unigenitum »... Fili, quid fecisti nobis sic ? Ecce pater tuus et ego... « Et erat subditus illis. »

IV. Cum inclyto matris honore humiliatio Unigeniti Dei sociatur. Nam Christus uteri ergastulum non abhorruit, neque habitum creaturae, neque infantis imbecillitatem. Egestatem ejusque incommoda vitare noluit, obedientiam diuturnam et absconditam non recusavit, nec opprobria declinavit.

254. Maternitas Beatae Mariae Virginis (4).

i. Beatissimam Virginem in cœlis splendidissime fulgentem contemplare.

ii. Cum S. Anselmo precare : « Deus, qui factus es filius feminae propter misericordiam ; femina, quae facta es mater Dei, per misericordiam, aut miseremini nostri, tu parcendo, tu interveniendo ; aut ostendite ad quos tutius fugiam misericordiores, et monstrate in quibus certius confidam potentioribus. » Oratio 5o. ad Beatam Virginem, p. 28o.

---

1. Maria « Domina » habetur et vocatur. « Ave Domina angelorum. »

« Anna (quod vocabulum gratiam significat) Dominam parit (id enim Mariae nomine significatur, quae vere omnis creaturae Domina facta est, cum Creatoris mater exstitit) » S. J. Damasc. De fide Orthod. IV, xiv, p. 275.

« Profecto vere et proprie Dei genitrix est et Domina, omnibusque creaturis imperat, quae ancilla materque simul exstitit Creatoris. » ib. p. 276.

II. *Cognatione naturali* vincitur ad Deum. Deus enim Pater mirabili conjunctione adest Mariae, non solum morali unione sed etiam physica efficientia. Deus est cum omnibus sanctis per concordiam voluntatis, « specialiter tamen cum Maria ; cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret ; ac de sua Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret : qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine ; totus tamen Dei, et totus Virginis esset ; nec duo filii, sed unus utriusque filius. » S. Bern. Hom. III Super *Missus est*, n. 4. II, 1687.

III. Divina maternitas est « *radix et fundamentum* in beatissima Virgine plenitudinis gratiarum, quae ab immaculato conceptu usque ad ejus exaltationem in cœlesti gloria super omnes meras creaturas eidem SS. matri collatae sunt.

Amplitudini videlicet dignitatis et propinquitati matris ad ipsum omnis gratiae auctorem ac fontem commensuravit divina sapientia et bonitas amplitudinem gratiae in ordine sanctificationis et glorificationis. » Franzelin. De Verbo Incarnato, p. 384.

« O beata fiducia : O tutum refugium. Mater Dei est mater nostra : mater ejus in quo solo speramus, et quem solum timemus, est mater nostra ; mater, inquam ejus qui solus salvat, solus damnat, est mater nostra. » S. Anselmus, Oratio post medium. p. 281.

255. Puritas Beatae Mariae Virginis.

i. « Nihil inquinatum in eam incurrit ; candor est lucis aeternae et speculum sine macula. » Sap. 7, 25. 26.
ii. Virginem intemeratam conspicias tamquam rem Deo sacratam ; tamquam sanctitatis normam, et tibi in exemplum et praesidium deputatam.
iii. Donum puritatis supplex roga.

I. Puritatis nomine intenditur — immunitas a peccato omni, ab imperfectionibus atque concupiscentia. Est igitur innocentia in opere, verbis, et cogitatione.

II. Voluit omnium factor matrem *prae omnibus electam*, ut omni virtutum gloria splendesceret ; voluit virginem de qua immaculata immaculatus procederet. Virginitas est corporis sanctitudo, sicut sanctitudo mentis est humilitas.

An aliquid in te forsan corpus vel animam maculat, praesertim in genere castitatis ? Et quonam modo ?

III. *Amor puritatis* in beata Maria Virgine splendet.

1. Namque adhuc puella Deo castitatem suam voto consecravit.

Sic enim sacrata castitas, firmata, Deo gratior et sanctior evasit.

2. Turbata est in sermone angelico, dum respondit : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? » L. 2, 34.

Virtutem angelicam studeas alte aestimare et vehementer desiderare ; et sollicitudine summa ab omni inquinamento illi contrario cave.

IV. *Dignitas* pensetur Virginis Matris ;

1. *Ante partum.* Angelus Gabriel conceptionem nuntiat ; Spiritus sanctus virginem obumbrat ; Filius purissimus concipitur; adimpletur prophetia : « Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum DEUS. » M. 1, 23.
2. *In partu* : Christus enim natus est ex virgine. Mater virgo permansit.
3. *Post partum.* Quod Jesus fuit matris suae unica gemma pretiosissima omnes fidei magistri alte proclamaverunt.

Mariae uterus sacrarium fuit Spiritus sancti. Piissime saluta Mariam semper Virginem.

256. De castitate.

i. Purissima virgo domina est loci hujus et domus ; nos quoque eam ut cordis nostri dominam et exemplum vitae libentissime accipiamus.

ii. Ipsa in fenestra super altare majus capellae Oscotiensis depingitur una cum SS. Virginibus Caecilia et Catharina, tamquam « Regina Cleri. »

iii. Piam nostram matrem humiliter obsecremus, ut nobis magnam castitatis aestimationem obtineat, et sit nobis contra vitium oppositum praesidium firmum.

Virtutis angelicae cultori haec ex sapientium sententia commendantur : —

1. *Vigila.* Nam complures viri etiam sanctissimi in impuritatis dedecus ceciderunt ob securitatem seu firmitatem suam mere existimatam. Ne igitur nos esse se-

curos unquam reputemus. Timeamus semper concupiscentiae radices in nobis latentes.

Ora, ne in pristina forsan flagitia labaris. Hoc enim praecipue donum est Dei, ut vitam angelicam in carne ducamus.

An urgente tentationis stimulo semper oramus ?

2. *Otia fuge*. « Multam enim malitiam docuit otiositas. » Eccli. 33, 29. Devita mollitiem omnem, sive sit sensualitas, sive luxus, sive pusillanimitas, sive irregularitas.

Fuge pariter mundana quaelibet quum desideria tum consuetudines moresque.

3. *Sensus caute custodi*, « quia ascendit mors per fenestras nostras. » Jer. 9, 21.

4. *Spiritum sui-abnegationis indesinenter prosequere*, secundum monitum apostoli : « Castigo corpus meum et in servitutem redigo. » 1. C. 9, 27.

5. *Quidquid impuri detestare*, ac speciem mali hujus omnem declina, omnemque vel remotam labendi occasionem.

6. Nemini unquam ansam praebeas suspicandi te parvipendere castitatem, vel te impudicitiam quamcumque non abhorrere.

7. Studiorum labori sedulo incumbe : « Ama scientiam scripturarum, et carnis vitia non amabis. » S. Hier. Ep.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

257. Puritas Virginis Matris.

i. « Nihil inquinatum in eam incurrit : candor est lucis aeternae. » Sap. 7, 25.
ii. Virginis praesidium supplex precabor : « Virgo purissima, ora pro nobis. »

Beatissima Virgo est puritatis nostrae exemplar et praesidium.

1. *Exemplar* :
   a. propter suam ab omni macula *immunitatem*. Voluit Deus ut omni modo illibata servetur illa, quam sibi ad maternum ministerium elegerat ; hinc immunis fuit Virgo Maria —
      i. a labe peccati originalis : « Nihil inquinatum in eam incurrit ; candor est lucis aeternae » (Ant. ad Magnificat.)
      ii. a quolibet inquinamento in munere materno ;
      iii. non solum a naevo peccati actualis, verum etiam ab ipsa concupiscentiae umbra ;
   b. propter intimam suam cum Deo *conjunctionem* ; quae conjunctio est physica in munere matris, et moralis in habitudine ancillae fidelissimae.

   Sacerdos autem vocatur ad unionem quamdam physicam cum eodem Christo in conficiendo Sacramentum altaris, et ad unionem moralem, quando verba miserationis vice Christi pronuntiat in Sacramento poenitentiae. Nonne haec in me consimilem puritatem expostulant ?

2. *Praesidium*.

Puritas in beata Virgine dos fuit praeclarissima. Ista vero in nobis periculis obnoxia est semper, quae ut

tuto devitemus, opus est auxilio supernaturali. Maria autem mater nostra est constituta, et singularis castitatis amatrix, adeoque ab ipsa tutelam certam petimus, et expectamus confidenter.

Quam Virginis potestatem frequenter canit Ecclesia: *Praeclara custos virginum. Mites fac et castos.*

258. Patrocinium Beatae Mariae Virginis.

i. Contemplare beatam Mariam virginem adstantem throno divini sui Filii in coelesti regno.

ii. Ipsam pie saluta verbis istis : « Salva sancta parens, enixa puerpera regem, qui coelum terramque regit in saecula saeculorum » (Introitus festi.)

iii. Mariae fiduciam magnam humilis ora.

I. *Munus Mariae* in opere Incarnationis :

1. dedit nobis Dominum Jesum redemptorem :
2. veritas de Maria, est veritas de Christo :
   quia Mater est, dedit nobis verum hominem ;
   quia Virgo est, dedit nobis Christum Deum ;
   Mater et Virgo dedit nobis Deum-hominem.
   « Benedicta et venerabilis es, Virgo Maria : quae sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris » (Graduale).

II. *Efficacissima* est ejus intercessio. Recordare quidem pios sensus orationis « Memorare. » Sicut enim Deus dedit nobis Filium ac redemptorem per Mariam, ita cetera salutis beneficia vult per ipsam dispensare. Hinc : —

1. Christum portavit ad sanctificandum praecursorem ;
2. Christum Patri in templo obtulit ;

3. a Christo impetravit primum ejus miraculum ;
4. a Patribus salutatur ut mediatrix apud Deum ;
5. a S. Bernardo vocatur « aquaeductus, — collum, — porta, — scala. »

Ora cum Ecclesia in Missa Beatae Mariae Virginis: « Tua, Domine, propitiatione, et beatae Mariae semper Virginis intercessione... »

III. Potens est super angelos et sanctos omnes, —
1. Propter relationem Matris ad Filium Dei ;
2. propter dignitatem Dominae ;
propter officium Matris erga omnes homines ;
propter altissimas suas gratias.

Faxit Deus, ut qui ei« placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii sui intercessione salvemur. »

« Da quaesumus (Domine), beatae Mariae semper virginis patrociniis nos ubique protegi » (Orat. ad Postcommunionem).

259. Patrocinium Beatae Mariae Virignis (2).

i. « Induta est Esther regalibus vestimentis, et stetit in atrio domus regiae, quod erat interius contra basilicam regis : at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus.

Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quae accedens osculata est summitatem virgae ejus.

Dixitque ad eam rex : Quid vis Esther regina ? quae est petitio tua ? etiam si dimidiam partem regni petieris dabitur tibi. » Esther. 5.

ii. Beatae Mariae praesidium enixe orabo.

I. Efficacia patrocinii Beatae Mariae Virginis pendet —

1. *Ex ejusdem apud Deum gratia.* Matre enim ac tanta Matre nemo gratior esse poterit.
2. *Ex prudentia ejus.* Nam ipsa in visione essentiae divinae omnia, quae ad salutem nostram pertinent in individuo novit, et pro summa sua sapientia intelligit quid et quomodo pro nobis a divino suo Filio sit postulandum.
3. *Ex voluntate nos adjuvandi.* Namque curae ejus in ultimo morientis Filii testamento nos sumus commissi, ita ut vere dicatur et sit mater nostra, eaque dilectissima et benignissima.

« Summi regis Mater est, et Filia (per gratiam), Sponsa (per assumptionem), munere tandem est Regina nostra. » S. Bernardus.

II. *Praestantia* vero patrocinii Beatae Virginis in eo cernitur quod ipsa sanctos omnes antecedit et altitudine *gratiae* (qua plena est), et propinquitate *conjunctionis* (vere enim Dei mater est), et munere *Reginae.* Ejus ergo intercessio aliorum omnium simul sumptorum intercessioni praestat. Quia : —

1. Ipsa potens esse agnoscitur in omni bonorum genere ; intercessio igitur ejus est ceterorum intercessione *universalior.*
2. Ipsa porro in omnibus intercedit tamquam Regina ; quapropter ejus intercessio est *ordinis altioris.*
3. In rebus salutis ab omnipotente Filio constituta est omnipotens in impetrando. Intercessio ergo illius est *majoris virtutis* quam omnium ceterorum sanctorum.

Hinc ab Ecclesia ceteris Dei amicis frequentius et excellentioribus titulis invocatur. Salutatur enim ut spes, vita, dulcedo, regina, auxilium, porta coeli.

260. In Festo Beatae Mariae de Mercede.

i. ' Beatissima Virgo Maria apparuit S. Petro Nolasco, S. Raymundo de Pennafort, et Jacobo Aragoniae regi, dicens, sibi Filioque suo acceptissimum fore, si suum in honorem institueretur ordo religiosorum, quibus cura incumberet captivos christianos e Turcarum manibus liberandi... Ab his igitur regularis ordo institutus fuit, in quo tribus consuetis votis additum est quartum, quo sodales sese obstrinxerunt, ipsos pro liberandis captivis, si opus fuerit, infidelibus in servitutem se dedituros. '

ii. A Jesu Virginis Filio dilecto efflagitabo (*a*) fiduciam erga Matrem Misericordiae, et (*b*) misericordiae affectum erga proximum.

I. Misericordia est intima alienae miseriae compassio, cum voto eidem subveniendi.

In se virtus est supereminens. Misericordiae est bona in indigentem effundere, et ejus sublevare inopiam, id quod praecipue ad superiores spectat.

Unde perfectio ista Deo propria est, et in ea maxime dicitur ejus omnipotentia manifestari. 2, 2, q. 30.

II. Summopere apparet Dei erga nos misericordia —

1. in naturae elevatione supra exigentiam conditionis suae propriae ;
2. in peccatorum clementi ac amabili condonatione ;
3. in missione Salvatoris ad hominum miseriam auferendam, et caliginem illuminandam ;
4. in crucis sacrificio, quo praeclare meruit Christus titulos qui de Deo in psalmo praedicantur : « Misericors et miserator Dominus. » Ps. 110, 4.

Unde a S. Paulo extollitur Deus tamquam « Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis. » 2 C. 1, 3.

III. Maria, Deo propinquissima, nominari solet « Mater misericordiae, » quia : —
1. Mater est Christi miseratoris nostri ;
2. matris affectum nutrit piissimum erga nos miseros ;
3. potens est ad nobis egenis subveniendum ; hinc frequenter precari solemus : « Succurre miseris. » « Sub tuum praesidium confugimus. »
4. particeps fuit in misericorde crucis opere ;
5. auctor fuit heroici ordinis de redemptione captivorum.

IV. Mariae affectum miserendi studiose imitemur.
Ad Mariam properemus in miseriis nostris.
Ad opus pastorale zelo apostolico aspiremus.

261. De Rosario.

Venite gentes carpite
Ex his rosas mysteriis,
Et pulchri amoris inclytae
Matri coronas nectite (Ex Officio Rosarii).

1. Rosarium formula *sublimis* est precandi.

Totius religionis conspectum admirabilem proponit a descensu Verbi divini in sinum matris, usque ad reditum Filii in coelum, et gloriosam matris coronationem in patria.

a. Infantia exhibetur Verbi incarnati ejusque vita abscondita : Filius formam servi induit, ad praecursoris matrem Elizabeth portatur, in summa egestate Rex apparet, Deo offertur, missionem docendi

exorditur, et exemplum praebet mirandum obedientiae et vitae absconditae.

b. Tristis redemptoris passio datur contemplanda.

Quis unquam satis meditatus fuerit tam acerbitatem quam dilectionem singulorum et omnium, quae inde a sudore sanguineo usque ad horam obitus in cruce piissimus Salvator pro nobis pertulit ?

c. Triumphus proponitur Christi, et gloria vitae aeternae. Et quis non quotidie indigeat spei stimulo, qui nobis exhibetur dum triumphum et mercedem Christi et Beatae Virginis meditamur ?

2. Formula est *singularis efficaciae* : —

a. ad fidem fovendam in Verbo incarnato ;

b. ad spem erigendam in mercedem futuram ;

c. ad caritatem accendendam erga Salvatorem ;

d. ad bona quaelibet sive publica sive privata impetranda.

3. Formula est insuper *sacratissima* ; constat enim

a. oratione quam ipse Filius Dei in usum nostrum composuit ;

b. verbis quibus angelus Gabriel, Elizabeth, et pii fideles Mariam Viginem devote salutavere salutantque ;

c. pia precum repetitione sicut mos est sacer. Angeli enim repetunt salutationem, « Sanctus, sanctus, sanctus. » Complura in psalmis repetuntur ; et Dominus noster praestantissimum nobis exemplum reliquit, quando ter in horto eumdem sermonem dixit.

262. De Rosario.

i. Siste te coram Beata Virgine, quae divinum infantem brachiis suis tenet.

ii. Ut tua erga Mariam devotio augeatur Christo ejus filio supplica.

I. In memoriam revocentur victoriae, quae precibus Rosarii merito adscriptae sunt, videlicet :

1. Labor et luctatio contra Albigensium turmas ineunte saeculo XIII sopita.
2. Turcarum copiae praelio navali victae prope Lepanto anno 1571 tempore S. Pii V. Festum Mariae Victricis a grato hoc Pontifice institutum, postea a Gregorio XIII titulo Rosarii decoratum est.
3. Aliae victoriae saeculo decimi octavi partae ad Temesvariam in Pannonia, et ad Corcyram insulam. Quae res praeclarae Clementem XI adduxerunt, ut decerneret solemnem Deiparae a Rosario honorem in tota Ecclesia quotannis habendum.

II. Consideretur etiam magnus ille redivivus fervor, qui recenter sese manifestavit in cœtu Christifidelium.

III. Gratias de victoriis age profundas. Gaude et gratias age, quod suavis illa precandi formula sit universalis Deum honorandi modus penes sanctos, ordines religiosos, sodalitates, populumque. « O Maria, move linguam meam, et labia mea ad laudes tibi alacriter decantandas. » S. Ephraem.

IV. Pietas in Jesum per Rosarium Mariale multum fovetur.

Ipse quidem Via, Veritas, et Vita. Jamvero in Rosario :

1. Vivida habetur recordatio eventuum vitae, passionis ac triumphi Jesu et Mariae.
2. Assensio magis explicita evocatur circa doctrinas principales fidei Christianae ; quemadmodum enim Mariae honor multipliciter ob oculos proponitur, ita proles Virginis Matris colitur ut Christus Dei Filius, frater noster, Salvator, et fidei consummator.
3. Affectus ardentes frequenter iterantur, ad exemplum Magistri qui « oravit tertio eumdem sermonem dicens. » M. 26, 44.
4. Reverentia exhibetur in oratione dominicali, gratulatio et petitio humilis in salutatione angelica, glorificationis cultus in doxologia. Incessanter et instanter oramus secundum dictum prophetae : « Clama, ne cesses. » Is. 58, 1.

V. Pietas ostenditur erga Matrem, — dulcissimam Dei Matrem, — coredemptricem nostram, — haeresum interemptricem.

« Corona texitur qua coronata procedit regina mundi. » B. Albertus magnus.

VI. Quoties salutatur Mater, toties etiam Filii salutiferum nomen pronuntiatur ac pie honoratur.

VII. Oratur oratione illa qua orat Ecclesia, et saepius manifestata est vis orationis illius quam communiter facit Ecclesia universa.

263. Methodus pie recitandi Rosarium.

'Menti mihi repraesentabo quoties millies rosarium a Christifidelibus per universam Ecclesiam hoc ipso die recitetur.

i. Devotae fidelium turbae affectu pio me jungam.

Alumno rosarium recitanti non parum juvabunt consilia quae sequuntur.

1. Adsit *mentis recollectio*. « Ante orationem praepara animam tuam et noli esse quasi homo qui tentat Deum. » Eccli. 18, 23.

   Ad quam recollectionem obtinendam juvabit considerare —

   a. magnitudinem mysteriorum, verborum, eventuum, quae inter singulas decades animo revolvere oportet ;

   b. pietatem salutationis, nimirum erga Deum Patrem, et erga Virginem Deiparam, et erga Trinitatem adorandam ;

   c. humilitatem hujus simplicissimae precandi formulae, quae vel parvulis in Christo accommodata est ;

   d. unionem precum, qua tot fidelium millia eandem nobiscum orationem singulis diebus devote recitant.

2. Sit *recitatio tranquilla*, tamquam suavis requies animi et corporis.

   Sit nobis delectabilis illa meditatio praecipuorum mysteriorum religionis Christi.

   Sit insuper oratio nostra repleta reverentia et amore erga personas et actiones, quae inibi commemorantur, dulcique proferatur affectu erga sanctissimam Trinitatem, et virginem Mariam, matrem et protectricem nostram.

3. *Praemittantur* —

   a. intentio explicita Deum honorandi ;

   b. intentio particularis, qua (i) nominatim gratia nobis vel aliis petatur ; et (ii) renovetur propositum omnes, quas possumus indulgentias lucrandi et applicandi aut nobis aut animabus in purgatorio detentis.

4. Post singulas decades aliquantisper *pausetur*, et denuo defigatur attentio.

5. Quinam *defectus mei* in hac parte ? An festinatio ? incuria ? mera dicendi consuetudo absque ulla mentis attentione ?

An forte neglectus vel defectus intentionis ? An forsan ignorantia mysteriorum ? an defectus pii sensus erga Matrem Dei ?

Practica statuatur resolutio.

264. De speciali invocatione Beatae Mariae Virginis.

i. Beata Maria Virgo, sancti et angeli vident universa in speculo infinito divinae essentiae, quam intuentur.

ii. Beata Virgo verum circa nos habet munus matris spiritualis.

iii. Pie obsecra praesidium ejus, ut bene nunc ores.

---

1. Virginem Deiparam titulis magnificis exalta. Eam voca Mariam sanctissimam, purissimam, immaculatam. Eam saluta tamquam reginam angelorum, imperatricem hominum, dominam creaturarum omnium. Ipsam reverearis ut matrem Dei veram ; ipsam invoca ut refugium peccatorum.

Constituas ut in posterum attentius ac ferventius recites gloriosam titulorum catenam, qua honoratur in litaniis Lauretanis.

2. Tuas illi miserias aperi, nempe, ignaviam in divino servitio, ingenii tarditatem, spiritum mundanum, corporis infirmitatem, cordis pusillanimitatem, peccatorum forsan vulnera et cicatrices.

3. De inclytae virginis donis gaudebis : quod videlicet in Dei matrem fuerit electa, ab omni peccato etiam originali preservata, tot virtutibus, gratiis, praerogativis

dotata, tot revelationibus et consolationibus confortata, tanta denique gloria in cœlestibus super omnes exaltata.

4. Pete magnum devotionis affectum erga Virginem Matrem, et teipsum ut servum ejus et filium veraciter agnosce.

Deinde petas ab ea tenerum amoris affectum erga Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum.

Enixe roga ipsam, ut impetret tibi proprias illas Christi virtutes, nimirum, humilitatem, patientiam, obedientiam, amorem crucis.

Postremo, per ejus intercessionem a Filio obsecra perseverentiae donum pretiosum.

Caput II. De Angelis et de Apostolis.

265. De Angelis Dei.

« Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. » Dan. 7, 10.

« In conspectu angelorum psallam tibi. » Ps. 137, 1.

I. Angeli sunt spiritus puri, Deique nobilissimae creaturae.

Vocantur *sancti*, *filii Dei*, *Elohim* ; nominibus nempe valde honorificis designantur.

Sunt quidem pars nobilior totius universi, quod creavit Deus.

Naturâ sua sunt toti spirituales, Deo inferiores, nobis vero longe superiores, ac numero certe praestantissimi.

II. Inter homines *apparuerunt* saepius tam in vetere quam in novo testamento.

1. *Tempore patriarchali* : —

Agar summo dolore confectae apparuit angelus, qui consolatus est eam. Gen. 21, 17-20.

Abraham apparuerunt tres angeli, quos ipse recepit hospitio. Filium stirpis Abrahae Sara promittunt, et futuram nuntiant benedictionem. Gen. 18, 2.

Duo angeli hospitio recepti sunt a Loth, quem e pessima Sodoma civitate salvum deducunt. Gen. 19, 1.

Jacob vidit « in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens coelum : angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam. » Gen. 28, 12.

Balaam ab angelo corripitur. Num. 22, 21-35.

2. *Tempore Moysis et deinceps.*

Deus Moysi promittit angelum custodem. Ex. 23, 20.

Angelus signa miranda ostendit Gedeoni. Jud. 6, 12-22.

Angelus, jubente Deo, pestem in Israël deducit. 2 Reg. 24, 16.

Angelus suscitat Eliam maestissimum. 3 Reg. 19, 5-9.

Angelus exhibetur percutiens exercitum Sennacherib. 4 Reg. 19, 35.

Angelus Raphaël comes et medicus describitur. Tob. 12, 15.

Tandem Daniel saepius angelorum auxilia recenset in fornace (3, 49), ad lacum leonum (6, 24), in visione hebdomadarum (9, 21), et in praenuntiato praelio contra exercitum Persarum (10).

3. *In novo autem testamento* quis non memoria revocat apparitiones factas Zachariae, beatae Mariae virgini, S. Joseph, pastoribus, Christo post jejunium et in agonia, piis mulieribus, Cornelio, Petro ?

III. *Sacra spirituum hierarchia* sic ex traditione et scripturis repraesentatur : —

Seraphim (qui ardore igneo succensi in Deum rapiuntur) ;

Cherubim (qui singulari scientiae splendore sunt ornati, et Dei majestati immediate inserviunt) ;

Throni (qui velut specula sunt splendoris divini) ;

Dominationes (quarum est dirigere choros omnes inferiores) ;

Principatus (qui spiritibus praesunt bonis) ;

Potestates (qui malis potissimum adversantur) ;

Virtutes (quarum ministerio fiunt prodigia miraculorum) ;

Archangeli (qui sublimiora hominibus annuntiant) ;

Angeli (quorum est minora annuntiare atque homines ut custodes comitari).

266. De Angelis Dei (2).[1]

« Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. » M. 18, 10.

Tria nunc de angelis proponuntur contemplanda : — 1. *Angelorum benignitas*.

Magna enim benignitas angelorum notatur in hoc quod dicuntur nostri ; ac bene quidem, quia ab initio vitae angelus nobis in custodem deputatur. « Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. » S. Hier. in h. l.

Quanta est animae humanae ingenita nobilitas, cui creaturae adeo nobiles a Deo mittuntur in tutelam et servitium.

Nobis autem multipliciter inserviunt ; — (secundum doctrinam Dionysii in coelesti Hierarchia, c. iii. versus finem :)

a. *purgando malum :* « Oportet.. eos qui purgantur, puros effici omnino, atque omni dissimilitudinis commixtione liberari. »

b. *intellectum illuminando* : « Oportet eos qui illuminantur, divino lumine repleri, ad contemplativum statum ac virtutem castissimis mentis oculis evehendos. »

c. *perficiendo voluntatem* per inflammationem divini amoris : « Oportet eos qui perficiuntur, ab imperfectione translatos, illorum, quae contuiti sunt, sacrorum scientiae participes existere. » Hujus enim scientiae est hominem vere perficere.

1. Ex Sermone S. Thomae in festo S. Michaëlis.

2. *Angelorum jucunditas*, quae ex eo oritur quod vident Dei vultum beatissimum, qui est —
   a. *admirabilis* propter majestatis infinitatem : « Tanta est jucunditas divini aspectus, ut nunquam videri possit sine amore. »
   b. *delectabilis* propter gratiarum multiplicitatem : « In quem desiderant angeli prospicere. » 1 P. 1, 12.
   c. *amabilis* propter ineffabilis pulchritudinis claritatem.
   d. *desiderabilis* propter gloriae aeternitatem.

3. *Angelorum aeternitas*.
   Quia angeli Deum semper et sine intermissione, sine defectu et sine fine intuentur, quando ad exteriora officia mittuntur ab intima Dei contemplatione nunquam recedunt.
   Cogitate igitur ista : —
   « Estis cives sanctorum. » Eph. 2, 19.
   « Accessistis ad civitatem Dei viventis, et multorum millium angelorum frequentiam. » Heb. 12, 22.

267. De Angelis Custodibus.

i. Dominus ad Moysen dixit : « Ecce mittam angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. » Ex. 23, 20.
ii. Recogita S. Franciscam Romanam, quae angeli sui familiari consuetudine diu fruebatur.
iii. Gratiam numquam obliviscendi angeli tui custodis suppliciter pete.

« In conspectu angelorum psallam tibi. » Ps. 137, 1.

1. Perpendatur angelorum *custodia generalis*.
   « Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. » Ps. 90, 11.

« Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis ? » Heb. 1, 14.

Audi etiam divum Bernardum in Psalmo *Qui habitat*. S. xii. II, 1891.

« Mira (Dei) dignatio, et vere magna dilectio caritatis. 4.. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam. 6.. In ipso itaque... affectuose diligamus angelos ejus, tamquam futuros aliquando cohaeredes nostros. » 7.

Admirare denique divinam providentiam ; tuam agnosce dignitatem, et destinationem.

2. Consideretur deinde *custodia sive missio specialis*.

Hujusmodi fuit praestita Loth, Jacob, Josue, matri Samsonis, Job, Isaiae, pueris in fornace. Recolatur porro visio Heliodori, et mulierum ad sepulchrum Domini.

Est praeterea communis Ecclesiae sensus quod singuli saltem fideles angelum custodem a nativitate usque ad mortem sibi habeant deputatum.

3. *Quid praestant angeli nostri ?*

a. arcent pericula corporis et animae ;
b. sanctis cogitationibus nos ad bonum incitant ;
c. preces hominum Deo offerunt ;
d. animas in purgatorio visitant, atque tandem in coelum deducunt.

4. *Quare demum nobis assignantur* ?

1. propter imbecillitatem nostram, et daemonum impugnationem ;
2. propter destinationem hominis ad constituendam civitatem coelestem una cum angelis.

5. An agnovisti, an amasti angelum tuum ? an gratias ei egisti ?

268. Munia et actiones Angelorum Custodum.

« Ecce ego mittam angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. » Ex. 23, 20.

« Quod autem unicuique fidelium adsit angelus velut paedagogus quidam et pastor vitam dirigens, nemo contradicet, qui meminerit verborum Domini, qui ait : Ne contemnatis unum ex his pusillis, eo quod angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in coelis est. » S. Basilius, Adv. Eunom. III. n. 1. (p. 272).

Angeli itaque secundum patrum et theologorum doctrinam —

1. *Arcent mala physica* et damna in bonis exterioribus, sive objecta nociva removendo, sive efficiendo ut occurrat cogitatio de iis avertendis. cf. Judith 13, 20.

2. *Arcent daemones*, minuendo frequentiam aut vim impugnationum diabolicarum, vel impediendo ne mala physica vel insidias parent.

3. *Bona* clientibus suis *adducunt* :
   a. orationes eorum Deo benigne offerendo : « Ego obtuli orationem tuam Domino. » Tob. 12, 12 ; « Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo. » Ap. 8, 4.
   b. pro iis orando : « Constat (ex Patribus) esse peculiare officium angeli custodis Deum pro suo alumno assidue deprecari. » Suaresius, De Angelis VI, c. xix, n. 4. (p. 761).

Eorum, nempe angelorum custodum, etiam est —

c. clientem illuminare, instruere, et ad opus bonum impellere, suggerendo pias cogitationes et pios affectus, procurando occasiones boni faciendi.

d. peccantem monere vel corripere poena aliqua medicinali.

e. morienti assistere, et ad luctam ultimam confortare.

f. animam post mortem in coelum ducere, vel in purgatorium comitari. Hinc canit Ecclesia : « In paradisum deducant te angeli. »

Et dicit Scriptura : « Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. » L. 16, 22.

Pro omnibus Patribus loquatur solus Origines : « Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, et miserationibus exposcendis, quotidie videat faciem Patris qui in coelis est: » In Hom. XX in Num. n. 3. p. 350.

269. De vocatione Apostolorum.

i. Tibi ob oculos pone Christum Dominum apostolos de regno Dei docentem.

ii. A Deo gratiam efflagita cooperandi illuminationibus et impulsibus Spiritus sancti.

I. *Vocatio praeambula*, qua Jesus discipulos vel binos vel singulos invitat, eosque tamquam tyrones conscribit.

1. Andreas et Joannes ad Christum adducti sunt, dicente Baptista, « Ecce Agnus Dei. »

Simon invitatus est a fratre suo Andrea dicente,

« Invenimus Messiam ; Philippus autem, vocante ipso Jesu : « Sequere me. » Nathanaël, asseverante Philippo : « Quem scripsit Moyses in lege, et prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth... Veni et vide. » J. 1, 35-50.

Jesus, videns duos fratres Simonem et Andream, mittentes rete in mare (Galilaeae), ait illis : « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. » M. 4, 18. 19.

Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedaei, et Joannem fratrem ejus reficientes retia sua : et vocavit eos. ib. 21.

Admirare suavem Dei providentiam, Jesu tranquillitatem, discipulorum zelum, eorumque omnium cooperationem ad gratiam vocationis.

2. Considera verba Christi: « Quid quaeritis ?... Venite et videte... Tu es Simon, — vocaberis Petrus. »

Sequere me : « Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est.. Cum esses sub ficu vidi te... majus his videbis. »

3. Perpendatur etiam confirmatio apostolorum in fide per miraculum Canae factum, et per mirabilem sanationem filii reguli, per suaves validosque motus gratiae interioris, et per cognitionem profundiorem ac intimiorem Jesu ipsius.

Quot pro te confirmationes in fide existunt ?

Quomodo gratiis vocationis tuae cooperatus es ?

II. *Solemnis vocatio* post orationem nocturnam, et ante magnam Christi concionem, quando « vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis (quos et apostolos nominavit) Simonem » etc. L. 6, 13 sqq.

An ita me nunc gero ut tandem probabile sit futurum Christum me esse solemniter vocaturum ex numero discipulorum in apostolatum ?

270. De vocatione Apostolorum (1).

i. Imaginatione tibi repraesenta vocationem Petri : « Ambulans Jesus juxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem.. et Andream.. mittentes rete in mare... et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum » M. 4. 18-22.

ii. Ut voluntatem Christi circa te intelligas, et ut imiteris alacrem apostolorum agendi rationem assidue precare.

---

1. *Verba ad invitatos* a Jesu directa : —
   Ad Petrum : « Noli timere : ex hoc jam homines eris capiens. » L. 5, 10.
   Ad Petrum et Andream : « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. » M. 4, 19.
   Ad Philippum et Matthaeum : « Sequere me. » L. 5, 27 ; J. 1, 43.
   De Nathanael dixit Christus : « Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. » J. 1, 47.
   De Jacobo et Joanne narrat evangelista : « et vocavit eos. » M. 4, 21.
2. *Responsio* non verbis, sed factis data est : — « surgens, relictis omnibus, retibus, navibus, patre, statim secuti sunt eum. »
3. Post solemnem vocationem personalem, ad opus evangelii deputati sunt, ut *legati a latere* Christi ipsius.
   « Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos : et elegit duodecim ex ipsis (quos et APOSTOLOS nominavit). » L. 6, 13.
   « Et dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem. » M. 10, 1.

Ante vocationem fuerunt mediocris vel inferioris conditionis ; operarii et indocti. Sed postquam vocati fuerint, facti sunt pauperes pro Christo, omnia in re et in spe relinquentes.

4. Bene notentur : —

a. omnium animus promptissimus ; neque mora ulla postulabatur, sicut in casu illius qui dixit: « Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum ; » vel alterius qui voluit « primum ire et renuntiare his quae domi sunt. » M. 8, 21 ; L. 9, 59-61 ;

b. sequela perfecta et absoluta : « Reliquimus omnia et secuti sumus te. » M. 19, 27 ;

c sequela constans : « Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. » L. 9. 62.

271. De vocatione Apostolorum (3).

i. « Jam non dicam vos servos : quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos : quia omnia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis. » J. 15, 15.

ii. Gratias vocationi meae congruas a Deo deprecabor.

I. *Quales fuerint apostoli* ?

a. Testes a Deo electi : « Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea... et usque ad ultimum terrae. » Act. 1, 8 ; cura sollicita a Christo edocti : « Vobis autem datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis. » L. 8, 10.

Vocanti Magistro ego jam respondi : « Dominus pars haereditatis meae. » Huc profecto adveni, ut a Christo illuminer et movear.

b. Missi sunt ad praedicandum : (Considerabo quid illud a me in praesenti exigat.) Ad miracula patranda : (Haec autem fiunt virtute non humana sed divina.) ad animos ad Christum praeparandos : (Hic certe finis operis mei, animas Christo lucrifacere.) ad praedicandum universae creaturae (Sedulo hoc notandum). « Nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. » Ps. 138, 17.

c. Nihilominus vel mediocris vel pauperioris fuerunt conditionis, nec eruditi, neque pollebant auctoritate sociali ; sed a Christo erant edocti, a Spiritu sancto illuminati ac roborati. « Quae stulta erant mundi elegit Deus... et infirma mundi.. et ignobilia, et contemptibilia.. et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret. » 1 C. 1, 27. 28.

Hospes quidem ille est in hominum societate, qui non intelligat haec penes nos hodie verificari.

II. *Quomodo constituti sunt apostoli ?*

a. Christi ipsius vocatione libera ;

b. devoti Christi sequela ;

c. Christi solemniori deputatione tamquam legati ;

d. denominatione a Christo accepta.

An forsan nimis confido viribus propriis, intelligentiae, robori animi, nec satis adjutorio divino ? An fortasse magis tribuendum duco ingenio, methodo et industriae, minus autem orationi et pietati ?

III. Considerabo tandem apostolorum defectus, tarditudinem et fragilitatem, et qua constantia usque ad mortem Christum sint secuti.

272. Apostolorum conditio.

i. Scenam tibi imaginatione compone ubi Christus Dei Filius, discipulis circumdatus, eos elementa praecelsae suae revelationis edocet.

ii Cum animo vere humili Deum exora gratiam apostolatus.

I. In Dei providentia speciali circa mundum, hoc tamquam agendi principium declaratum est, Deum eligere stulta, infirma, ignobilia, contemptibilia, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt confundat. cf. 1 C. 1. 27. 28.

Hinc ex sese apostoli fuerunt pauperes, ignoti, conditione humiles, indocti, moribus rustici, sermone inculti, ingenio minus illustres, virtute imperfecti vel etiam peccatores.

Tamen Deus mundum universum eorum ministerio statuit subjugare, « ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. » ib. 29.

Simile quidem prodigium operatus est Spiritus sanctus cum humili familia S. Francisci, et cum innumeris sacerdotibus obscuris e clero saeculari ; quin etiam animadvertendum quod Deus haud raro ad opera grandia vel ad plurimorum salutem comparandam sacerdotes assumat minus doctos peritosque, atque (ut nonnullis forsan videatur) minus aptos.

II. Apostoli fuerunt instrumenta et legati Dei, a Deo eruditi, a Spiritu sancto illuminati ac moti. Non enim agebatur de actionibus, quae cadunt inter naturae ambitum et virtutem, sed de ordinis supernaturalis et gratuiti operatione sublimiore.

Christus nobis legavit exemplum, doctrinam, redemptionem, sacramenta, Ecclesiam. Haec nobis se-

dulo perpendenda, haec intime cognoscenda, haec amanda, haec populo dilucide declaranda.

Misit insuper Spiritum veritatis, ut opus suum compleret, ornaret, firmaret, ut gratia demum et assistentia perenni eam sustentaret. « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. » M. 10, 20.

III. Magistri exemplo allecti ac roborati noverunt pro Deo animarumque salute et vitam impendere et morti libenter se tradere. Experientia porro propriae rusticitatis, imbecillitatis et fragilitatis aliorum infirmitatibus compati didicerunt

273. Apostolorum dignitas. [1]

i. Jesus Christus « praedestinatus est Filius Dei in virtute... per quem accepimus gratiam, et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus. » R. 1, 4. 5.

ii. Apostolatus est praecipuus inter gradus ecclesiasticos.

iii. Ora ardenter ut hujus ordinis sublimitatem rite perceptam habeas.

Per quem (Jesum Christum) *accepimus gratiam,* (Apostolatus siquidem nemini debetur, neque a quopiam meritis propriis exigi potest, sed donum est Dei vocantis : « Non sum dignus vocari apostolus.. Gratia autem Dei sum id quod sum. » 1 C. 15, 9. 10.)

et apostolatum (De sacro apostolatu haec attento animo revolve :

a. Apostolus est idem quod missus. Apostoli sunt a Christo missi, quasi ejus auctoritatem et vicem gerentes.

---

1. Secundum comm. S. Thomae in R. 1, 4. 5.

b. Christus ipse missus est a Patre, ut salvum faceret populum suum a peccatis eorum.

c. Ipsi Christo inditum est nomen apostoli : « Considerate apostolum et pontificem confessionis nostrae Jesum. » Heb. 3, 1.

d. Apostolos duodecim sua sponte Christus elegit, designavit, instituit, gratiis novis propriisque locupletavit.

e. « Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos. » 1 C. 12, 28.

f. Apostoli sunt « primitias Spiritus habentes. » R. 8. 23.

g. Officia apostolica paucis adumbravit Magister quando promisit eos fore futuros piscatores hominum.

Quae omnia applica ad statum pastoralem, et ad officia illius, qui ad munus adeo operosum et excelsum se nunc praeparat.)

ad obediendum fidei (Quibus intelligenda venit obedientia fidei debita. Nam homines apostolorum praedicatione et exemplo ad veram religionem adducendi sunt, cui libentes et sinceri obsequium praestent.

Haec obedientia fructus est praedicatoris. « Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis » J. 15, 16. « Praedica verbum, insta opportune, importune : argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. » 2 T. 4, 2.)

in omnibus gentibus (Qua locutione amplitudo operis apostolici significatur, secundum quod dictum est a propheta : « Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et faeces Israël convertendas : ego dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. » Is. 49. 6 ; a Christo itidem : « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. » Mc. 16, 15.)

pro nomine ejus (vel vice et auctoritate ipsius, secundum illud : « Si quid donavi, propter vos in persona Christi. » 2 C. 2, 10 ; vel ad cognitionem et gloriam ejus dilatandam, non vero ad finem quemlibet terrenum).

274. Apostolorum munera. [1]

i. « Vos autem sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis. » Is. 61, 5.
ii. Serio perpende quid valeant verba ista.

Ad munera apostolorum tria maxime pertinent —

1. *Dispensatio sacramentorum*, prout dictum est : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi (de qua re audiatur Christus : « Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. » J. 12, 26), et dispensatores mysteriorum Dei. » 1 C. 4, 1.

   Singula attente animo revolve.

   Christus institutor est sacramentorum, sed apostoli eorumque successores ea dispensant.

   Quanta igitur sanctitudo ministros decet sacramentorum, quae Christus potestate et amore instituit ? *Sancta sancte*. « Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. » Lev. 19, 2.

   « Panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. » ib. 21, 6.

2. *Gubernatio populi Dei* in iis, quae sunt ad Deum. Deus autem omnia gubernat per prudentiam. Unde quicunque aliquid gubernat minister Dei merito nuncupatur.

   Huc igitur spectant :

   a. peritia scientiae moralis ;

   b. scientia competens viarum, quibus animae imprimis electae sunt dirigendae ;

   c. sensus pietatis ut sapienter et sancte oves pastori concreditae moderentur. Memor sis semper judicii,

1. Secundum S. Thomam in Prol. ad Ep. 2 ad Cor.

quod iniquis rectoribus minitatur Spiritus sanctus : « Cum essetis ministeri... non recte judicasti. » Sap. 6, 5.

3. *Humanae salutis operatio* ; cujus quidem salutis Deus solus est auctor, quia ipse est qui venit salvum facere quod perierat ; apostoli vero ministri : *ministri Dei, ministri novi testamenti, ministri Christi, Jesu.* « Quid igitur est Apollo ? quid vero Paulus ? Ministri ejus cui credidistis. » 1 C. 3, 4. 5.

Apostolus proinde est homo divinitus nominatus ac missus cum potestate ad aeternam aliorum salutem. An illud sicut oportet percipis ? An gratiis praesentibus cooperari eniteris, ut tantum onus humeris tuis mox imponendum haud imprudenter suscipere audeas ?

275. De Apostolorum missione. [1]

« Factum est autem in illis diebus, exiit (Jesus) in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos : et elegit duodecim ex ipsis (quos et apostolos nominavit) : » quibus dedit monita et potestatem. L 6 12. 13.

In viam gentium ne abieritis..

Temporaneum fuit praeceptum hoc apostolis datum, quemadmodum et nobis dari poterit praeceptum evangelium praedicandi in loco determinato, seu in parvo oppidulo, vel monalium conventu ignoto.

a. An paratus sum quodlibet vel infimum munus ab Episcopo mihi commissum libenter accipere, et

1. M. 10. 5-8.

quidem eo tempore et sub ista conditione, quae forte minus mihi quam superiori meo convenerit ?

b. An hujus animi prompti et humilis indicium praebeo in officiis, quae nunc mihi adimplenda contingunt ?

sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israël :

Quot inter nos ubique oves perditae ? quanto zelo, quanto doctrinae spiritualis ardore anhelare debeo, ut instrumentum aptius efficiar ad animas illas in ovile Christi reducendas.

Et de ovibus perditis hoc praescire juvabit, eas esse haud raro ceteris rudiores ac minus gratas.

Quo pacto me scite nunc praeparare possum ad spiritum evangelii concipiendum et aliis explanandum? In dies progrediendo in cognitione Christi, pastorum principis ; magis magisque animarum pretium inaestimabile apprehendendo ; clarius altiusque percipiendo, quid sit teneri ad ministerii tanti rationem reddendam.

Euntes autem praedicate :

Praedicate, non tamquam oratores inflati, vel litterarum cultores, sed sicut ministri Verbi divini. Omnis tamen cura in praesenti impendenda est ut apte, modo grato, et valide munus hoc grande possim exercere.

dicentes : Quia appropinquavit regnum coelorum.

An spiritum et indolem incolae regni hujus supernaturalis jam induere studeo ?

Infirmos curate :

Nomine infirmorum, intellige infirmos *fide*, qui corroborandi sunt saepe doctrinae eruditione : infirmos *caritate*, quos exemplum et ardor apostolicus reficient. Quid huc spectat ? studium doctrinae sacrae indefessum et sagax ; studium insuper adhuc altius Christum moribus et vita induendi.

Mortuos suscitate : mortuos scilicet peccato, qui ad contritionem et sacramenta sunt deducendi.

Leprosos mundate : i. e. culpis levioribus inquinatos, qui excitandi sunt ad Christi amorem et imitationem. Attamen ante omnia : « Medice cura teipsum. »

276. In Festo S. Petri.

1. Respice Petrum Magistro ardenter respondentem : « Domine, ad quem ibimus ? verba vitae aeternae habes. » J. 6, 59.

   Veritatem agnosce quod apostoli fuerunt ministri electi Dei-hominis, nostrique praedecessores et exempla.

2. Quis fuit ? Filius Jonae ; frater Andreae natu minor, ex Bethsaida oriundus, ubi piscaturam egit ; ab Andrea ductus est ad Jesum.

   Intuitus autem eum Jesus dixit: « Tu es Simon filius Jonae : tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. » J. 1, 42.

3. Postmodum solemniori modo cum reliquis apostolis vocatus et nominatus est, inter quos omnium primum locum semper obtinuit. Unde in evangeliis ceteros (post Mariam et Joseph) notatur dignitate praecellere. A Christo mira familiaritate tractabatur.

   In istis omnibus admirare suavem Christi curam suorum; simplices eligit, pedetentim docet, cum patientia et benignitate admonet. Petrus indolis ardentis sed humilis ac docilis sinit se a dilecto Magistro duci ac formari.

4. Ecclesias Antiochiae unam, Romae alter am fundavit. Epistolas majestate plenas conscripsit. Pro Magistro suo mortem crucis subiit.

5. Vitae summa haec fuit : piscator, discipulus, apostolorum princeps, Ecclesiae Christi caput visibile ; vicarius

Jesu Christi ; Romae primus episcopus ; missionarius in Palaestina et Italia ; fidei confessor et martyr.

5. Quid Christus intuitu praesertim Petri dignatus est facere ?

a. socrum sanavit ;

b. duplicem piscatum miraculosum operatus est ;

c. miraculum fecit stateris ;

d. effecit ut Petrus ambularet super mare, et ipsum tandem dubitantem manu apprehendit ;

e. Petrum assumit ut testem ad resuscitationem filii Jairi, ad transfigurationem, et ad agoniam ;

f. oravit ut fides ejus non deficeret ;

g. Malchi sanavit auriculam ;

h. post resurrectionem Jesus ei videndum se praebuit ;

i. contulit ei primatum ; martyrium praenuntiavit.

Nonne et permulta analoga Christus mea causa exhibuit ?

Nonne pariter a me dilectionis affectum continuo postulavit ?

Nonne et mihi socordi et indigno partem gregis sui pascendam offert ?

277. De fide S. Petri.

Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. M. 16, 18.

. Fidem S. Petri et devotionem erga ipsum enixe precabor.

Fides, qua eminebat princeps apostolorum, multoties manifestata est :

1. In duplici piscatu miraculoso, cujus alter sub initiis praedicationis Christi occurrit.

« Dixit Christus ad Simonem : duc in altum et laxate retia vestra in capturam.

Et respondens Simon Petrus dixit illi : Praeceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus : in verbo autem tuo laxabo rete. » Patrato deinde miraculo, humilis ac mente confusus clamavit : « Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. » L. 5, 5-8.

Alterum vero piscatus prodigium post resurrectionem contigit. « Exierunt, et ascenderunt in navim : et illa nocte nihil prendiderunt...

Dicit eis (Jesus) : mittite in dexteram navigii rete ; et invenietis. Miserunt ergo : et jam non valebant illud trahere prae multitudine piscium... Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se.. et misit se in mare. » J. 21, 3-7.

2. Occasione vocationis definitivae, quando Magister eum cum fratre ad sui sequelam invitavit, dicens : « Venite post me : » ipse cum fratre, relictis omnibus, protinus secuti sunt eum.
3. Post Eucharistiae promissionem quando, rogante Jesu, « Numquid et vos vultis abire ? » respondit Simon Petrus : « Domine, ad quem ibimus ? verba vitae aeternae habes. Et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei. » J. 6, 68-70.
4. In solemni confessione divinitatis Christi.

« Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi. » M. 16, 16.

5. In ambulatione super aquas. « Domine, » dixit Petrus « si tu es, jube me venire ad te super aquas. » Sed.. timuit, et quum coeperit mergi, clamavit, « Domine, salvum me fac. » Et continuo Jesus extendens manum apprehendit eum.. et dixit.. « Modicae fidei, quare dubitasti. » M. 14, 29.

II. Quum fides Petri defecerit in domo Caiphae, oratione Christi confirmata est.

Primum miraculum suum fecit in nomine Jesu Christi. Act. 3. 6.

278. De ardore S. Petri.

i. Mente repraesenta tibi martyrium S. Petri.
ii. Ardorem ejus virilem cum fiducia roga.

I. Consideretur Petri ardor immoderatus, quem Magister correctione temperavit : —

1. Quando Christus passionem suam praedixit, Petrus « coepit increpare illum, dicens : Absit a te, Domine : non erit tibi hoc. Qui conversus, dixit Petro : Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quae Dei sunt, sed ea quae hominum. » M. 16, 22. 23.
2. Ad lotionem pedum : « Non lavabis mihi pedes in aeternum. » Deinde vero, « Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput. » J. 13, 8. 9.
3. Post coenam ultimam : « Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor... Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. » M. 26, 33. 35.
4. In horto Petrus defendit Jesum : « et habens gladium, eduxit eum : et percussit pontificis servum.. Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam. » J. 18, 10. 11.

   Admirare Petri indolem robustam, fervidam, devotam.

   Spiritum imitare, quo ipse Apostolorum princeps, quamquam clare et aperte coram aliis a Magistro reprehensus, correctiones sibi datas humiliter recepit.

II. Ardor recogitetur in quem non animadvertit Dominus : —

1. In monte transfigurationis : « Domine, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum. » M. 17, 4.
2. Post promissam Eucharistiam : « Domine, ad quem ibimus ? verba vitae aeternae habes. » J. 6, 69.
3. Ad mare Tiberiadis ubi « Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. » J. 21, 7.

III. Ardorem perpende quem commendavit vel remuneravit Christus :

1. « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » M. 19, 27 ; qua professione accepta, Magister gradum et sedem judicialem in die supremo apostolis pollicitus est.
2. Omnibus apostolis de Jesu natura ac munere interrogatis, respondit Petrus : « Tu es Christus, Filius Dei vivi. » M. 16, 16. Ob quam confessionem praeclaram, Christus Petrum Ecclesiae fundamentum indefectibile instituit.
3. Currit ad sepulchrum, et mox vidit Dominum.
4. Insignem fecit amoris professionem, et primatum in Ecclesia recepit.

279. De lapsu et poenitentia S. Petri.

In memoriam redigas trinae negationis adjuncta, — nocturnum Christi examen judiciarium, atrium, ignem, hominum circulum qui inter se confabulabantur, et tandem Petrum accusant : Petrus autem negat Magistrum ; ab iis deinde se subducit, sed denuo redit, ac iterum iterumque Christum negat vehementer.

1. *Et conversus Dominus respexit Petrum.* L. 22, 61.

Oculis forte corporeis electum discipulum intuitus est, quem et gratia illustravit. Petrus tunc a/.

confestim intellexit et ingratam suam offensam, et ingentem Magistri tristitiam de sua in hac hora infidelitate : b/. Domini sui amorem dulcissimum et indefectibilem mente revocavit ; et c/. spem concepit veniae clementis.

2. *Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Jesus : Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis.* Mc. 14, 72. Monitum Christi de sua infirmitate noluit accipere, sed ferventiore innixus affectu, Domino non semel contradixit. Ita enim locuti sunt Magister et discipulus : — (Mc. 14. 27-31)

Christus. Omnes scandalizabimini in me in nocte ista.

Petrus. Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.

Christus. Amen dico tibi, quia hodie in nocte hac, ter me es negaturus.

Petrus. Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Fervens fuit apostolus, at vero non constans.

3. Cujus tamen delicti statim ipsum poenituit :

a. et egressus foras : refertur « ad operis mali et pravae societatis derelictionem. »

b. flevit : refertur « ad commissi delicti verecundam recognitionem. »

c. amare: « amaritudo refertur ad cordis compunctionem. B. Alb. Magn. apud Knabenbauer in L. 22, 62.

4. Delictum reparavit, quantum potuit, fidelitate constante, humili amoris professione, praeclara Christi praedicatione coram omnibus, laboribus maximis, fletu perpetuo.

Ex Petro disce prompte, vehementer, jugiter de peccato dolere.

Ex Christi actione disce ipsum esse ante omnia Salvatorem.

280. Ex Epistola prima S. Petri. I, 3. 4.

Benedictus Deus (Infinita quidem laude dignus est Deus quum secundum se, tum propter redemptionem nostram et gloriosam nobis promissam haereditatem in cœlis. Deum benedicere munus est angelorum, beatorum et hominum justorum. Hinc apte dicit Cornelius a Lapide : « Corda et ora sanctorum sunt quasi altare, quod jugiter thymiama divinae laudis exhalat. »)

et Pater Domini nostri Jesu Christi, (Ab aeterno Pater est Filii unigeniti, in tempore Pater est quoad sacratissimam Christi humanitatem. Hac solemni salutatione apostoli celebratur beneficium incarnationis.)

qui secundum misericordiam suam magnam (Sermo est de clementia nobis in Christo exhibita, quae quidem verba et captum supert. Insignis profecto esse agnoscitur —

1. in radice ; in admirabili nempe Dei erga suos benignitate ;
2. in actu, quo Pater dedit nobis Filium dilectionis suae ;
3. in beneplacito isto, quo miseros homines ad solia divinitatis evexit ;
4. in immensa suae miserationis amplitudine, qua ad omnes protenditur homines :
5. spectato fine, quo nostri miseretur, nimirum ut ad supremam generis nostri beatitatem nos perducat.)

regeneravit nos (peccatum delendo, vitam cœlestem infundendo)

in spem vivam, (Ad vitam gratiae nos adduxit, ut per gratiam consequi speremus gloriae vitam pleniorem. O praeclara spes, quae vegetat et virescit in cordibus justorum ! O suavis spes vitae aeternae ubi anima mea

Deo vivet ! O firma spes, quae nec fallit nec deficit donec vera vita attingatur !)

per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis,(Ideo enim speramus quia Jesus dux et exemplar labores,tribulationem et mortem superavit,et viam ad cœlestia nobis aperuit.)

in haereditatem (ad quam per baptismum renati sumus, tamquam filii magni Regis)

incorruptibilem, (non temporalem, ut penes Judaeos, nec brevem, ut est sors haec terrena)

et incontaminatam, (in qua nihil erit inquinatum, sed casta omnia et angelica)

et immarcescibilem, (cujus splendor nunquam decidet, sed aeterna fulgebit novitate)

conservatam in cœlis in vobis (in textu gr. *in vos*).

281. In festo S. Joannis.

i. « Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem dilegabat Jesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus ejus : » J. 21, 20.

ii. Deum obsecra ut, intercedente S. Joanne, donum charitatis tibi largiatur.

---

1. *Quis fuit* S. Joannes ?

Joannes Bethsaidae natus, filius Zebedaei et Salome, frater Jacobi, piscator fuit. Auditor fuit Joannis Baptistae et socius Andreae. Inter apostolos ut virgo a Domino electus, virgo in aevum permansit.

Post ascensionem Christi Jerosolymis habitabat usque ad obitum Beatae Virginis Mariae. Asiam Minorem evangelizavit, sedem tandem Ephesi constituit. Romam deinde deductus, in ferventis olei dolium immersus, sed nil laesus, in insulam Patmos demum relegatus est.

Propter meritum castitatis singulariter a Christo

diligebatur. Supra pectus Domini in coena recubuit. Cruci solus ex discipulis adstitit. Christi matrem ex moriente Salvatore in suam recepit.

In scriptis suis —

a. tanquam theologorum vertex habetur : tradit enim Verbum esse cum Patre consubstantiale, ipsumque effecisse opus creationis, illuminare omnes homines, gratias conferre, nostram denique assumpsisse naturam ;

b. praeco insignis est divinitatis Jesu Christi ;

c. ceteris fusius nos docet de adorando Eucharistiae Sacramento ;

d. docet nos —

amorem Patris : « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. » J. 3, 16.

amorem Filii : « (Jesus) in finem dilexit eos. » J. 13, 1.

amorem Spiritus sancti : « Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. » J. 3, 34

debitum amoris : « Manete in dilectione mea. » J. 15, 9. « Qui non diligit, non novit Deum : quoniam Deus charitas est. » 1 J. 4, 8.

novum amoris praeceptum : « Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » J. 13, 34.

e. coelorum arcana prophetando nobis aperuit : « Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. » Ap. 21, 2.

2. *Qualis fuit* ?

Christo simillimus fuit indole, ardore, amore, castitate. Secreta divina prae ceteris apostolis addiscere meruit.

Intimiora vitae Christi terrestris nobis renuntiavit. Finem mundi et gloriam coelestem nobis mirifice pandit.

282. In Festo S. Joannis (2). [1]

« Cibabit illum pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potabit illum : » Eccli. 15, 3.

Quatuor bona, quae multum consueverunt ab hominibus appeti, parat Dominus his qui eum diligunt et timent : scilicet : —

I. *Deliciarum laetitiam*: —

1. in corporis dominici sumptione: « Cibavit illum pane vitae ; »
   «Ego sum panis vivus qui de coelo descendi. » J. 6, 51.
2. in lectione sacrarum scripturarum: « Cibavit illum pane. . intellectus. » 1. c. «Venite, comedite panem meum. » Prov. 9, 5.
3. in divinae bonitatis praegustatione: « Aqua sapientiae salutaris potabit illum. » Eccli. 15, 3.
   Si quis gustaverit Domini delicias mundi tamquam amarissimas despiciet.... Gustato spiritu, desipit omnis caro. » S. Gregorius.

II. *Beatorum gloriam*: —

1. in eloquentia : « In medio Ecclesiae aperiet os ejus.» Eccli. 15, 5.
2. in sapientia : « Et adimplebit illum Dominus spiritu sapientiae. » ib.
   « Ego enim dabo vobis os et sapientiam.» L. 21,15.
3. in vestium gloria : « Stola gloriae vestiet illum. » Eccli. 1. c.
   «Induit me vestimentis salutis. » Is. 61,10.

---

1. Ex Sermone S. Thomae in ejus festo.

III. *Divitiarum copiam:* —

1. in earum delectatione : « Jucunditatem et exultationem thesaurizabit super illum.» Eccli. 15,6.
2. in bonorum pretiositate : «thesaurizabit. » ib.
3. in gloria: « Beatus vir, qui timet Dominum:.. Gloria, et divitiae in domo ejus. » Ps. 111, 1-3.

IV. *Mercedis aeternitatem:* —

1. nominis : « Et nomine aeterno haereditabit illum. » Eccli. 15,6: « In memoria aeterna erit justus :» Ps. 111, 7.
2. haereditatis : « Benedictus Deus,.. qui regeneravit nos... in haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam. » 1 P. 1, 3-4.
3. vitae : « Ego vitam aeternam do eis. » J. 10, 28.

283. In Festo S. Andreae.

I. Andrea, Bethsaidae natus, frater fuit Petri, discipulus S. Joannis Baptistae et socius Joannis Evangelistae.

Baptista ambobus fratribus Christum monstravit dicens : « Ecce Agnus Dei. »

Christum igitur sequuntur ipsumque interrogant : « Rabbi, ubi habitas ? » Magistrum deinceps constanter adhaeserunt. Missionem cum ceteris a Christo accepit; ascensioni Domini adfuit, gratias porro recepit et charismata extraordinaria in descensu Spiritus sancti. Paullo post e Jerusalem discessit ad gentes evangelizandas.

Ex singulis quid tibi utile colligendum reperis ?

II. In Scythia, Epiro, Thracia et Achaia evangelium annuntiavit.

Ad Patras proconsulem propter impietatem increpavit ; et inter alia haec verba solemniora edixit : « Ego

Omnipotenti Deo, qui unus et verus est, immolo quotidie. » In carcerem detrusus, vehementer desiderabat martyrium. Iterum crucis mysterium proconsuli praedicavit. Morte tandem damnatus, dum crucem supplicii conspexit, exclamavit : « O bona crux, quae decorem ex membris Christi suscepisti, diu desiderata. » « Verba haec ignis vibrans sunt, non lingua loquens. » S. Bern. Sermo in Vig. S. Andreae, n. 3. II, 2249.

III. In iis quae hucusque proposita sunt animadvertantur : —

a. electio socii optimi, *b.* cooperatio cum gratia, *c.* perseverantia in Christi famulatu, *d.* labor praedicandi evangelium in regionibus barbaris, *e.* robur confessionis, *f* insignis amor crucis. « Merito proinde crucis amatorem venerantur quicunque sunt servi crucis : sed ab his ampliorem jure devotionem exigit, qui specialius proposuerunt tollere crucem suam. » S. Bern. 1. c. n. 4. II, 2250.

« Fortis quippe est ut mors, non patientia aut spes, sed dilectio :.. Charitas quae inflammatur a spiritu, neque, *Sic oportet*, dicit, neque, *Sic expedit ;* sed, *Sic volo*, inquit, *sic cupio*, sic *desidero vehementer*... Nec sane desperandum nobis, quandoquidem ejus, qui ad hunc pervenit gradum, ob hoc maxime memoria celebratur : ut ipsius et invocemus auxilium, et provocemur exemplo..

Nemo repente fit summus, ascendendo, non volando apprehenditur summitas scalae. Ascendamus igitur, velut duobus quibusdam pedibus, meditatione et oratione. Meditatio siquidem docet quid desit ; oratio ne desit obtinet. » S. Bernardus, Sermo I. in festo S. Andreae, n. 10. II, 2256.

284. In festo S. Andreae (2). [1]

« Altera die iterum stabat Joannes (Baptista), et ex discipulis ejus duo (quorum unus fuit Andreas)

Et respiciens Jesum ambulantem, dicit : Ecce Agnus Dei.

« Et audierunt eum (Joannem) duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum. » J. 1, 35-7.

« Ambulans autem Jesus juxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores), et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. » M. 4, 18-20.

Ex quibus sequentia singillatim perpendi utiliter possunt :

I. *Illi continuo :* hinc discamus Deo continuo obedire, quia —

a. continuo veniet inobedientibus ira illius : « Subito enim veniet ira illius. » Eccli. 5, 9.

b. continuo datur obedientibus praemium : « Ego Dominus in tempore ejus subito faciam istud (i. e. praemium) : » Is. 60, 22.

c. continuo irrationabilia obediunt illi : « Et arefacta est continuo ficulnea. » M. 21, 19.

II. *Relictis retibus* : retia autem haec sunt, quae caveri debent —

---

1. Secundum S. Thomam in sermone hujus diei.

a. divitiae saeculares : « Immisit enim in rete pedes suos. » Job 18, 8.

b. mala mulier : « Pretium enim scorti vix est unius panis : mulier autem viri pretiosam animam capit. » Prov. 6, 26.

c. adulator, amcus, proditor : « Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus. » Prov. 29, 5.

d. ultio divina : « Expandam super eos rete meum » Os. 7, 12.

III. *Secuti sunt eum.* Sequentibus se Dominus quatuor promisit : —

a. vitae claritatem (praemium partis rationalis) : « Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. » J. 8, 12.

b. judiciariam potestatem (praemium partis irascibilis) : « Vos, qui secuti estis me,.. sedebitis et vos... judicantes duodecim tribus Israel. » M. 19, 28.

c. thesaurum coelestem (praemium partis concupiscibilis) : « Et habebis thesaurum in coelo : et veni, sequere me. » M. 19, 21.

285. In festo S. Andreae (3).

i. In memoriam reducas sancti hujus fortitudinem, praedicationem crucis, supplicium dirum.

ii. Gratiam orandi et agendi secundum spiritum S. Andreae supplex efflagita.

Nobis nunc animo volvenda proponuntur verba, quibus robustus ille miles Christi crucem salutabat. *O bona crux,* (symbolum amoris supremi, et redemptionis

copiosae ; instrumentum quo dilectionem suam erga Christum erat probaturus ;)

quae decorem ex membris Domini suscepisti, (Dolor physicus et animi maeror hominibus quippe naturaliter horrendi, per Christum suaves sunt facti. Poena crucis servis olim et infimis malefactoribus reservata, per Christum gloriosa evasit.)

diu desiderata, (Si non statim et ex corde potes dolores et cruciatus appetere, admirari saltem poteris validum hunc Christi athletam, et procul sequi. Quilibet porro christianus paratus esse debet —

a. pati difficultates quotidianas, labores, hominum despectum, paupertatem, aerumnas ;

b. mori libenter, die et hora a Domino statuta, et mortis dolores non recusare ;

c. dissolvi (animâ nimirum a corpore sejunctâ), i. e. ad Christum ire per viam mortis quam sacravit Dominus : « Qui initiatur a timore, crucem Christi sustinet patienter : qui proficit in spe, portat libenter : qui vero consummatur in charitate, amplectitur jam ardenter. » S. Bern. Sermo I. in festo S. Andreae. n. 5. II, 2254.

sollicite amata, (dictum animi excelsi, quod applicare convenit crebris nostris incommodis vel doloribus, quae simpliciter refugere christiani non est, sed libenter et quidem animo laeto acceptare)

sine intermissione quaesita, (Sicut Magister noster crucem per totam vitam sustinuit, ita nos decet discipulos vivere cum perpetuo quodam crucis sensu. « Non decet cum capite spinis coronato, membra esse delicata.» S. Hier.)

cupienti animo praeparata : (« Certe et crux pretiosa est, et crux amari potest, et crux habet exultationem ? Ita est, fratres mei. Si fuerit qui colligat, semper lignum crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum laetitiae stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum. » S. Bern. 1. c. n. 2. II, 2251.

accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo (« Si sustinebimus, et conregnabimus. » 2 T. 2, 12.)

ut per te me recipiat, qui per te me redemit (« Noli per aliam viam ire velle, quam per illam, qua ipse Jesus ivit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via. » Alvarez de Paz).

« Unde in homine nova haec exultatio, et laetitia hactenus inaudita ? Unde in tanta fragilitate tanta constantia ?... Absit ut a se ipso tantam ei credamus inesse virtutem. Donum perfectum est, descendens a Patre luminum, ab eo utique qui facit mirabilia magna solus. » S. Bern. 1. c. Sermo II. n. 3. II, 2259.

286. In festo S. Andreae (4).

i. « Adductus Andreas ad locum martyrii, cum crucem vidisset, longe exclamare cœpit : O bona crux, quae decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quaesita, et aliquando cupienti animo praeparata. » *Ex lectione sexta hujus festi.*

ii. Verbum caro factum pro nobis crucifixum est.

iii. A Deo donum crucem amandi flagitemus.

---

1. Christus Dominus voluit nos esse *discipulos crucis* : —
   a. Abnegando mundana : « Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. » L. 14, 33.
   b. Relinquendo familiam : « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores,.. non potest meus esse discipulus. » L. 14, 26.
   c. Abnegando nosmetipsos : « abneget semetipsum. » M. 16, 24.

d. Hoc quotidie faciendo :... « tollat crucem suam quotidie. » L. 9, 23.

« Significat Christus fore ut sicut dies diem consequitur ita crux crucem excipiat, nullum denique adversitatum finem fore, donec ex mundo exierimus, ne quis existimet se defunctum cruce ferenda, si unam aequo animo tulerit ; pluribus enim toleratis ad novas ferendas parent se singuli oportet. » Lucas brugensis cit. Knabenbauer in h. 1.

e. ipsum imitando : « et sequetur me. » « Dum mentem subit haec consolatio nos in ferenda cruce esse Christi socios, fit ut facile mitescat omnis acerbitas ; modus autem ferendi crucem, ut salubriter feratur, est ut ad Christi exemplum feratur, nempe aequo, patienti libentique animo, ad haec justitiae causa, denique propter gloriam Dei ut finem. » Lucas brugensis ib. p. 309.

2. Christus ipse *libera plane electione* crucem accepit :... « proposito sibi gaudio sustinuit crucem. » Heb. 12, 2. « Animam meam pono pro ovibus meis... Nemo tollit eam a me : sed ego pono eam a meipso. » J. 10, 15. 18.

3. Christus *cruce nos redemit* :

a. Prophetae annuntiaverunt Christum tamquam ovem occidendam ; praedicaverunt mortis infamiam, inimicorum invidiam et contentionem, passionis acerbitatem, animi desolationem, redemptionem supplicio efficiendam.

b. Simeon salutavit eum ut... « signum cui contradicetur. » L. 2, 34.

c. « Sanguine Christi empti sumus. 1 C. 6, 20.

d. Idem celebrant beati dicentes : « Redemisti nos Deo in sanguine tuo. » Ap. 5. 9.

4. Cruce sua amorem ineffabilem erga nos patefecit : —

a. tamquam amoris fastigium : « Majorem hac dilectio-

nem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » J. 15, 13.

b. tamquam exemplum supremum : « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. » J. 10, 11.

c. tamquam dilectionis excessum : « In finem dilexit eos. » J. 13, 1.

287. In festo S. Philippi.

i. Imaginatione describas tibi regionem trans Jordanem ubi Joannes Baptista mox venturum Messiam praenuntiabat.

ii. In mentem revoca Christi baptismum, vocem de coelo. Conspice magnum praecursorem, qui discipulis suis Messiam ostendit dicens : « Ecce Agnus Dei. »

iii. Gratiam apostolatus crebro deposce.

---

1. Philippus, Bethsaidae natus, paterfamilias, vir affabilis et Scripturarum forsan peritior, postridie quam Petrus, et ipse vocatus est a Christo dicente : « Sequere me. » « Merito notant efficaciam vocis Jesu et potentiae ; simul enim cum voce in ejus animum virtutem infundit, qua incensus continuo fuerit ad sequendum statim majestate Jesu captus. » Knabenbauer in h. l.

Philippus deinde amicum suum Nathanaël statim certiorem facit de invento Messia : « Quem scripsit Moyses in lege, et prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth. »

Et dixit ei Nathanaël : « A Nazareth potest aliquid boni esse ? » Quin de re disputet, tantum dicit ei Philippus : « Veni, et vide. » J. 1, 45. 46.

En zelus dignus apostolo, quo thesauri inventi protinus alios consortes facere studet.

2. Graeci quidam a Philippo quaesierunt, ut ipsos ad Jesum introduceret, dicentes : « Domine, volumus Jesum videre. » J. 12, 21.

3. Alia occasione postquam Magister magnam hominum multitudinem allocutus erat, et consueta sua benignitate miraculum jam erat patraturus, fidem Philippi instruere volens, vel peritiam œconomicam appellans, dicit ei : « Unde ememus panes ut manducent hi ? »

Dominus instrumentis humanis uti dignatus est ; quod et nunc in Ecclesia facere pergit, cujus tandem tu, ut speras, deputandus es minister.

Ita etiam solet Dominus suorum fidem variis difficultatibus et probationibus experiri.

4. Fidem ejus iterum illuminavit (J. 14, 7. 9), quando Philippus rogaverat, « Domine, ostende nobis Patrem. »

Respondit Jesus : « Tanto tempore vobiscum sum ; et non cognovistis me ?

Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum. »

In quibus tria praesertim animadvertenda veniunt : — tarda simplicitas apostoli, — mansuetudo Magistri, — et praemium collatum roganti, « Ostende nobis Patrem. »

5. Evangelium praedicavit in Scythia et Phrygia, in regionibus nempe remotis et apud gentes barbaras, procul a cognatis et notis, ceterisque apostolis ; cujus etiam praedicationis memoriae in solo libro vitae sunt conscriptae.

6. Hierapoli in Phrygia cruci fuit affixus et lapidibus obrutus. In istis cerne tot ornamenta Christi discipulorum, qui non quae sua erant quaerebant, sed quae erant Jesu Christi.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

288. In festo S. Bartholomaei. [1]

Vocatio.

i. Mente iterum tibi repraesenta regionem trans Jordanem, ubi Joannes baptizabat.
ii. A Deo animum docilem humiliter ora, ut Spiritui te vocanti fideliter respondeas.

Singula quae in dialogo sequente proferuntur animo religioso perpende; convenientes affectus elicias et aptum statuas propositum.

Philippus invenit Nathanaël (Bartholomaeum) et dixit ei:

« Quem scripsit Moyses in lege (Prophetam de gente tua... suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies. Deut. 18, 15), et prophetae (Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet... ecce merces ejus cum eo.) » (Is. 40, 10), « invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth.»

Bartholomaeus :

« A Nazareth potest aliquid boni esse ? »

Philippus :

« Veni, et vide. » Jesus vidit eum (Bartholomaeum) venientem ad se, et dicit de eo. Ecce vere Israëlita (qui legem operibus manifestat), in quo dolus non est (sincerus, candidus, simplex).

Bartholomaeus :

« Unde me nosti ? »

Jesus :

« Priusquam te Philippus vocaret,cum esses sub ficu, vidi te. »

---

1. J. 1, 45-51.

Bartholomaeus :

« Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israël. »

Jesus :

« Quia dixi tibi ; Vidi te sub ficu, credis : majus his videbis. Amen, amen dico vobis, videbitis coelum apertum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis » (Recogita angelos, qui Jesum ministrabant post tentationem ; recordare angelos in horto, ad sepulchrum, post ascensionem ; verba tandem Christi revoca de angelis in die judicii supremi).

289. In festo S. Bartholomaei.

Vita.

i. « Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae. » Act. 1. 8.

ii. Christum qui vocavit te roga, ut det tibi spiritum apostolicum.

---

1. Bartholomaeus, i. e. Tholomaei filius, qui idem existimatur esse ac Nathanaël (Deusdedit), oriundus fuit ex Cana Galilaeae.

Discipulus fuit Joannis Baptistae, et amicus Philippi, quocum sociatur in recensione apostolorum, et a quo ad Jesum adductus est.

2. *Virtutes,* quae in ipso eminebant, istae fuerunt : —

a. modestia ; audito enim a Philippo Messiam ortum duxisse e Nazareth, id nec negavit nec derisit, sed dixit : « A Nazareth potest aliquid boni esse ? » J. 1, 46 ;

b. constantia : « vere Israëlita », ib. 47 ; — vir omnino fidelis principiis religionis suae ;

c. candor : « in quo dolus non est » ; qui sermone et opere rectus, simplex ac verax exstitit ; ib. 47.

d. fervor confessionis : « Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël. » ib. 49 ;

Cetera de ipso in Evangelio tacentur.

3. *Opera apostolica*.

Evangelium Christi praedicavit in India, Hierapoli, Lycaonia, Phrygia, Armenia majore, in Albania, ubi Albanopoli ad littus maris Caspii martyrio coronatus est. Excoriatus fuit, et die sequenti capite minutus.

« Da nobis, Domine, amare quod credidit, et praedicare quod docuit. »

290. In festo S. Matthaei.

« Magna est gloria ejus in salutari tuo : gloriam et magnum decorem impones super eum, Domine. » Ps. 20, 6. (Communio festi.)

Quis fuit Matthaeus ? Judaeus ex Galilaea, qui portitoris munus adeo invisum in oppido Capharnaum agebat.

Ad apostolatum invitatus fuit a Christo primo anno praedicationis suae. Christo semper fidelis adhaesit ; de ipso tamen paucae licet pretiosae supersunt notitiae.

Primam vitae Dominicae narrationem scripsit circum annum 42.

Postquam Palestinensibus evangelium praedicaverat, in Aethiopiam secessit. Aethiopiae igitur dictus est apostolus, virginitatis quoque victima, quia, cum filiae regis virginitatem consuluisset, ad altare jussus est occidi.

Conversionis ejus adjuncta quaenam ?

1. Ad telonium sedebat in via magna et publica, quando Christus cum discipulis et turba copiosa transibat. Dominus benigne aspexit Matthaeum, dixitque : « *Sequere me.* » Reverere benignitatem Salvatoris.
2. « *Et relictis omnibus, surgens secutus est eum.* » L.5, 28. Matthaei promptitudinem imitare in studiis, in oratione, et in omnibus officiis peragendis.
3. Fecit Domino et discipulis convivium magnum in domo sua. ib. 29. Admirare liberalitatem, et abs te quaere qualia feceris sacrificia pro Deo et Ecclesia.
4. De ista sua liberalitate silet Matthaeus. M. 9. 10. Bona opera tua abscondere studeas.
5. Solus ipse se recenset post Thomam, ubi etiam se vocat publicanum. M. 10, 3. Bis tantum se nominat, — sedentem ad telonium, et in enumeratione apostolorum (9, 9 ; 10, 3). Solus ipse notat eum, qui sedebat ad telonium, Matthaeum i.e. se ipsum fuisse. Ipse pariter non omittit dicere *publicanos et peccatores* interfuisse convivio suo. ib. 9, 10.

Ex verbis Christi hac occasione prolatis, solus ipse nobis conservavit ista : « *Euntes autem discite quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium* ». Deinde cum ceteris subjungit : « *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* » ib. 9, 13.

291. In festo S. Matthaei (2). [1]

i. « Vidit hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine. » M. 9, 9.

ii. Ex variis hujus loci documentis aliquid novi luminis supplex exora.

---

1. Ex Sermone S. Thomae in hoc festo.

Duo nunc nobis praesertim consideranda proponuntur :

1. *Magna Christi Jesu benignitas* —
   a. in Matthaei sanctificatione ; vidit enim eum Jesus, et gratiam infudit ut sequeretur ipsum, resipisceret de peccatis, et sanctificaretur ;
   b. in ejus vocatione ; iisdem enim verbis usus est Salvator ad eum ac ad apostolos Petrum, Jacobum, et Joannem : « Sequere me : » cui invitationi conveniunt verba prophetae : « Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo : meus es tu. » Is. 43, 1.
   c. in familiari Christi cum eo aliisque comestione : « Discumbebant cum Jesu et discipulis ejus : » M. 9, 10.
   d. in Pharisaeorum confutatione quando murmurabant de affabilitate Christi : « Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus :» ib. 12 ; « Non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam. » L. 5, 32 :
   e. in eo quod miserationem egregie commendaverit : « Misericordiam volo, et non sacrificium. » M. 9, 14.

2. *Matthaei sanctitas* —
   a. in eo quod omnia, Christo vocante, deseruit :.... « relictis omnibus, surgens secutus est eum. » L. 5, 28.
   b. in eo quod voci Magistri absque mora obedivit :... « surgens, secutus est eum. » M. 9, 9. « In auditu auris obedivit mihi. » Ps. 17, 45.
   c. in eo quod Christum postmodum fideliter imitatus est : « Hoc est totum bonum hominis, ut fugiat quod Christus contempsit, et eligat quae ipse elegit. » S. Augustinus.
   d. in hospitalitatis liberalitate : « Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua. » L. 5, 29.
   e. in omnium peccatorum suorum manfestatione : ipse

enim in evangelio suo nomen ponit, quo omnibus tunc notus erat, additque, « Ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu et discipulis ejus. » M. 9, 10.

292. In festo S. Thomae

i. Imaginatione tibi repraesenta apparitionem Domini apostolis omnibus die octava resurrectionis factam. J. 20, 26-9.

ii. Suppliciter Deum precare ut donet tibi fidem.

---

1. Christus apostolis jam apparuerat absente Thoma, qui, affirmantibus ceteris se Jesum vidisse, credere prorsus noluit, dicens : « Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meum in latus ejus, non credam. » J. 20, 25.

   Observa igitur :

   a. *pertinaciam* apostoli aliorum testimonium idoneum recipere recusantis ;

   b. *praesumptionem*, qua sacratissima vulnera Christi tangere et palpare postulavit ;

   c. *modicam fiduciam*, quam habuit de Magistro adeo excellente ;

   d. suavem demum *providentiam*, quae dubium permisit ut fides nostra roboraretur.

2. « Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus : et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : pax vobis. Deinde dicit Thomae : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : » J. 20, 26-7.

   In Christo admirare —

a. *clementiam*, qua peccatum Thomae dissimulavit ;
b *comitatem*, qua ipsum non increpavit ;
c. *benignitatem*, qua apostolum scepticum invitavit ad tangendum et palpandum corpus suum ;
d. suave monitum : « ... et noli esse incredulus, sed fidelis. » ib.

3. « Respondit Thomas, et dixit ei : DOMINUS MEUS, et DEUS MEUS. » ib. 28.
Nobilem illam fidei confessionem et nos ex corde repetamus ; et pro peccatis nostris parati simus reparationem exhibere.

4. « Dixit ei Jesus : Quia vidisti me Thoma, credisti : beati qui non viderunt, et crediderunt. » ib. 29.
Ex his igitur discimus —
a. melius esse ut, Christo non viso, adhaereamus illi ;
b. melius esse nulla signa supernaturalia recepisse, sed credidisse ex motivo communi ;
c. melius esse ob pauciora (quae tamen solida sunt) motiva firmiter credere, quam plura exigere.

293. In festo S. Jacobi (Alphaei seu Minoris).

1. Jacobus Christi consobrinus, filius Alphaei et Mariae, sororis beatae Mariae virginis, a Christo vocatus est una cum fratribus suis Simone et Juda. Inter dilectissimos Magistri discipulos numeratus est. Ab apostolis creatus est Hierosolymorum antistes. Nobis epistolam catholicam reliquit doctrinis pretiosis refertam.

2. Grandi confectus senectute, a Scribis et Pharisaeis propter nobilem divinitatis Christi confessionem e pinna templi in terram praecipitatus est, ubi confractis cruribus, semivivus erexit se, et flexis genibus sic precabatur : « Domine Pater, da illis veniam. »

Saxa in eum conjiciebant, et capite tandem fullonis vecte percusso, animam Deo reddidit.

3. Traditio refert Jacobum Christo simillimum fuisse *vultu, figura, moribus.*

Nazarenus fuit ; ab ineunte aetate vinum et siceram non bibit, carne abstinuit, nunquam tonsus est, nec unguento, balneorum luxu, vel vestibus laneis unquam est usus.

Insignior certe fuit in coetu apostolico : non tantum *frater Domini* vocabatur, verum et mater ejus et frater ex ipso cognominabantur (scilicet *mater Jacobi*, et (Juda) *frater Jacobi*) : Christus post resurrectionem ipsi apparuit ; ab apostolis institutus est pastor Ecclesiae insignis Hierosolymitanae ; concio quam habuit post Petrum circa legem a gentibus non observandam refertur a S. Luca (Act. 15, 13 sqq.) ; S. Petrus voluit ut ei deferretur nuntium se a carcere esse liberatum (Act. 12, 17) ; S. Paulus eum visitavit (Gal. 1, 19 ; Act. 21, 18), et nominat ipsum unam ex columnis ecclesiae (Gal. 2, 9).

Ob eximiam ejus sanctitatem titulo *Justi* decoratus est ab omnibus. « Huic uni licebat ingredi in Sancta Sanctorum ; » et ipse Josephus (*Antiquitatum Judaeorum* scriptor) eversionem urbis Hierosolymorum injustae neci viri hujus sanctissimi attribuere non dubitat.

4. Exemplum nobis reliquit imitandum : —

a. Puritatis ; virgo a Magistro electus, virgo permansit.

b. Sanctitatis eximiae, quod omnium constat traditione.

c. Orandi assiduitatis :... « cui etiam assiduitas orandi ita callum genibus obduxerat, ut duritie cameli pellem imitaretur. »

d. Mansuetudinis, qua pro inimicis orabat.

5. In epistola sua docet nos custodiam linguae, honorem pauperum, constantiam in adversis, valorem bonorum operum.

294. In festo SS. Simonis et Judae.

« Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eorum » (Introitus festi).

---

1. Simon Cananaeus (ex Cana forte in Galilaea nuncupatus), qui et Zelotes est appellatus (ob fervidam fortasse cordis indolem) in Aegypto evangelium nuntiavit.

   Simon a Christo ad apostolatum vocatus fuit, et in collegium apostolicum cum ceteris recensitus, postmodum vero nusquam in sacris scripturis memoratur.

   De laboribus suis traditio etiam ecclesiastica paene silet. Simili modo procul dubio res quoad opera nostra sese habebit. « Operamini igitur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam. » J. 6, 27.

2. Judas Galilaeus, qui nominatus est Thaddaeus (seu confessio), vel Lebbaeus (quo intelligitur fortitudo leonis), filius fuit Alphaei et sororis beatae Mariae virginis. Consobrinus itaque Christi fuit, frater S. Jacobi minoris, et S. Simeonis secundi episcopi Hierosolymitani.
   a. Dominum legitur interpellasse verbis istis : « Domine, quid factum est quia manifestaturus es nobis teipsum et non mundo ? » Cui respondit Magister : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » J. 14, 22. 23.
   b. Evangelium in Mesopotamia praedicavit.
   c. Spiritus sancti instinctu epistolam scripsit, quae inter canonicas numeratur.
   d. S. Judas in epistolio suo scribendo nobis est exem-

plo ; nam contra novatores temporis sui illud edidit, « deprecans supercertari semel traditae sanctis fidei.. Vos autem... superaedificantes vosmetipsos sanctissimae vestrae fidei, in Spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam aeternam.. vv. 3. 20. 21. Soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria et magnificentia... » 25.

3. « Ambo in Persidem convenientes, cum innumerabiles filios Jesu Christo peperissent, fidemque in vastissimis illis regionibus et efferatis gentibus disseminassent ; doctrina et miraculis, ac denique glorioso martyrio, simul sanctissimum Jesu Christi nomen illustrarunt » (Ex Brev. Rom.).

295. In festo SS. Simonis et Judae (2). [1]

i. *Thema.* « Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. » J. 15, 19.
ii. Disce mundana respicere tamquam Deo opposita.

In verbis thematis tria praecipue consideranda veniunt :

1. *Sanctorum dignitas*, quae profecto singularis est, quia non sunt cives mundi hujus, sed urbis cœlestis. De mundo non estis ; « sed estis cives sanctorum, et domestici Dei. » Eph. 2, 19.

Sancti enim —

a. mundum et omnia quae ejus sunt despiciunt :

---

1. Ex Sermone S. Thomae in eorum festo.

« Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » M. 19, 27.

« Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. » 1 J. 2, 15.

« Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. » Phil. 3, 8.

b. a mundo vexantur : « Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret : quia vero etc. » ut supra. J. 15, 19.

c. non vivunt secundum mores mundi. Mores enim mundi sunt voluptates ac delicias quaerere vehementer, iisque quantum possunt frui ; mores sanctorum sunt dura ferre et divina quaerere solatia et gaudium futurum :

« Mundus... gaudebit, vos autem contristabimini. » J. 16, 20.

« Nostra autem conversatio in cœlis est. » Phil. 3, 20.

2. *Christi benignitas* secundum verba: « Ego elegi vos de mundo. »

Christus vero eos ita elegit —

a. propter mundi malignitatem : « Mundus totus in maligno positus est. » 1 J. 5, 19.

b. propter pœnas, difficultates, sollicitudines, quae sunt in mundo : « Contemnendus est hic mundus, etiam si rebus prosperis animum demulcet ; nunc autem quia tot calamitatibus premit, quid aliud nisi ut contemnatur clamat ? » S. Gregorius.

c. quia mundus transit sicut fumus : « Et mundus transit, et concupiscentia ejus. » 1 J. 2, 17.

3. *Mundi malignitas* secundum verba : « propterea odit vos mundus. » Qua in re magna est iniquitas.

a. quia mundus a sanctis illuminatur :

« Vos estis lux mundi. » M. 5, 14.

« Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. » Phil. 2, 15.

b. per sanctos a periculis liberatur, secundum documentum historiae antiquae : « Si inventi fuerint ibi decem (justi) ;...

Non delebo propter decem. » Gen. 18, 32.

c. quia mundus per justos salvatur, unde de Joseph dictum est :

« Vertitque (Pharao) nomen ejus, et vocavit eum lingua aegyptiaca, Salvatorem mundi. » Gen. 41, 45; idem constat de praeclaris morum reformatoribus, atque de aliis sanctis, qui vel doctrina vel caritate, vel exemplo mundum feliciorem melioremque fecerunt.

296. In festo S. Matthiae [1].

i. Finge te ad praesentem tuam instructionem a S. Paulo admoneri circa ea, quae in bono pastore inveniri debent.

ii. Lumen desuper petas, ut sacram hanc monitionem rite percipias et opere fideliter exsequaris.

In omnibus (Vita enim spiritualis hominem replet totum ; ejus autem actiones spectant Deum colendum, seipsum rite perficiendum proximumque convenienter tractandum.)

teipsum praebe (Ministerium fructuosum in sanctitate personali fundatur.)

exemplum bonorum operum, (graece dicitur : typus, sive exemplar) (Verba siquidem haud sufficiunt, opera exiguntur. Qualis pastor, talis grex. « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. » 1 C. 11, 1)

---

1. Ex Epistola ad Titum, 2, 7. 8.

« Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. » J. 13, 15. Longum equidem est iter per praecepta, breve et efficax per exempla. « Publica institutio, exemplarque virtutis sit vitae tuae splendor, seu archetypus ad imitandum propositus. » Theophylactus.)

in doctrina, (Sana et solida sit quoad materiam, quoad modum autem captui atque necessitatibus auditorum accommodata. Utrumque enim hisce diebus est apprime necessaria, quia homines nunc sunt quadamtenus exculti, omne fere genus scriptorum percurrunt, et nugas, mundana, delectabilia quaerunt.)

in integritate, (videlicet doctrinae, quam nec minuere licet fas est nec mutilare, morum, ut sint citra omnem mali suspicionem, affectuum, qui bonum verum in omnibus sequantur ;)

in gravitate, (nempe doctrinae, ut cum debito honore ac dignitate proferatur, et morum, ut Dei ministro et duce populi digni habeantur ;)

verbum sanum, (Verbum veritatis, ne falsitate aliqua corrumpatur, neque rebus alienis commisceatur. « Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu. » 2 T. 1, 13.)

irreprehensibile : (ut vituperium nullum mereatur vel ratione pronuntiationis, vel ratione doctrinae orthodoxae, vel ratione scientiae accuratae ;)

ut is qui ex adverso est, (haereticus, aut « saecularista » uti dicitur)

vereatur, (erubescat, seu confundatur)

nihil habens malum dicere de nobis.

297. In festo Conversionis S. Pauli. [1]

Haec praesertim occurrunt singillatim pensanda :

1. *Persona S. Pauli.*

a. Pharisaeus fuit, juvenis fervidus, blasphemus, persecutor, contumeliosus (1 Tim. 1, 13), devastabat Ecclesiam, per domos intrans, et viros ac mulieres tradens in custodiam (Act. 8, 3).

b. Factus est amator Christi, omnibus affabilis, cupiens anathema esse pro fratribus, vas electionis, doctor gentium, maximus apostolorum, revelationis divinae scriptor admirabilis.

« Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci incredulitate. » 1 Tim. 1, 13.

c. De se humillime sentiebat : « Ego sum minimus apostolorum ;... sanctorum minimus ;.. nec dignus vocari apostolus ;.. peccatorum primus ego sum ;.. gloriabor in infirmitatibus ;.. quod odi malum, illud facio,... novissime omnium tamquam abortivo visus est et mihi Christus,.. castigat se, ne ipse reprobus efficiatur. »

2. *Verba* : —

a. Christi : « Saule, Saule, quid me persequeris ?... Ego sum Jesus, quem tu persequeris : durum est tibi contra stimulum calcitrare. » Act. 9, 4. 5.

Verba ista sunt amici diligentis :

i. docent enim eum, qui persequatur fratres, persequi Christum ;

ii. monent nos, ne gratias urgentes negligamus ;

b. Pauli : « Quis es, Domine ? (petit distinctiorem personae cognitionem) : quid me vis facere ? (ostendit animum paratum.)

---

1. Act. 9, 1-30.

3. *Facta* : lumen e coelo ; vox Salvatoris ; prosternitur Paulus hostis, erigitur poenitens et amicus (ecce fructus humilitatis et docilitatis). Coecus ducitur ad Ananiam. Visum recipit ; baptizatur ; praedicat Jesum Christum. « Et continuo in synagogis praedicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. » Act. 9, 20.

« Et erat cum illis (discipulis) intrans et exiens in Jerusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini.

Loquebatur quoque gentibus : et disputabat cum Graecis : illi autem (Judaei) quaerebant occidere eum. » ib. 28. 29.

298 De virtutibus S. Pauli.

i. Intuere Saulum qui a sociis ducitur Damascum. Contemplare ipsum nunc ad Christum conversum his verbis orantem : « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. »

ii. Ad concionandum se praeparat meditatione et oratione : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. » Gal. 4, 19.

Ex virtutibus inclyti hujus fidei praeconis sequentia meditanda proponi possunt :

1. *Conversio* ad Deum, humilis (Deo enim se totum subjecit), prompta (nihil prorsus haesitans), completa (divinis monitis docilem se praebuit) ; singularis suae vocationis gratiis fideliter cooperatus est, unde dici meruit et esse, « vas electionis, » et « doctor gentium. » De se autem aperte professus est : « Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit. » 1 C. 15, 10.

2. *Zelus ardens praedicandi* qui in eo mirifice fulgebat ; cujus indicia sunt : —

a. *itinera*, longa, laboriosa, periculosa et continua : « In itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere (i. e. Judaeorum), periculis ex gentibus (i. e. paganis). » 2 C. 11, 26.

b. *persecutiones* acerbae : « Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus.. tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. » 1 C. 4, 9. 13.

c. *flagellationes* plures : « In plagis supra modum.. A Judaeis quinquies quadragenas, una minus, accepi.

Ter virgis caesus sum. » 2 C. 11, 24. 25.

d. *mors* beata per gladium.

3. Triplex *amor* : —

a. *Dei* : « Quis ergo nos separabit a caritate Christi ?... Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro. » R. 8. 35, 39.

« Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus. » Gal 2, 20.

b. *fratrum* : « Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. » R. 9, 3.

c. *crucis* : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. » Gal. 6, 14.

4. « Istis tamquam consectarium subnecti potest : *contemptus mundi* : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem » Gal. 1, 10.

299. De humilitate S. Pauli.

i. S. Pauli verba memorabor : « Scio hominem in Christo... raptum hujusmodi usque ad tertium coelum. Et scio hujusmodi hominem... quoniam raptus est in paradisum : et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.

Pro hujusmodi gloriabor : pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. » 2 C. 12, 2-5.

ii. Cupiam habere, et a Deo petam humilitatem isti similem, qua insignitus est gentium apostolus.

1. S. Paulus a Deo vocatus, gratiis ornatus, supernis illustrationibus ditatus, apostolicis charismatibus praeditus, gentium apostolus a Christo nominatus, clare cognovit *se suaque peccata*. Quotidie persentiebat *infirmitates* et *concupiscentias*.

Bona vero in se cuncta misericordiae divinae attribuit.

An cupio meipsum veraciter cognoscere ?

An media ad illam cognitionem acquirendam sedulus adhibeo ?

An quae Dei sunt in me, Deo sincere attribuo ?

2. Defectus suos *humiliter profitetur* apostolus : —

« Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus. » 1 C. 15, 9.

« Novissime omnium, tamquam abortivo visus est et mihi Christus. » 1 C. 15, 8.

« Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum ego primus sum. » 1 Tim. 1, 15.

« Mihi omnium sanctorum minimo (in textu graeco : *minimiori*) data est mihi gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi. » Eph. 3, 8.

An defectus meos admitto ? an eos sollicite excuso ? an interdum eos sincere cordis agnitione profiteor ?

3. Delicta ipsa *aperte confitetur* : —

« Blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus. » 1 Tim. 1, 13.

« Persecutus sum Ecclesiam Dei. » 1 C. 15, 9.

Ego autem peccata mea a memetipso etiam occultare conor.

4. *Beneficia divina agnoscit* : —

« Misericordiam consecutus sum a Domino. » 1 C. 7, 25.

« Gratia Dei sum id quod sum. » 1 C. 15, 10.

Qualem et quantam ego misericordiam ab eodem Domino recepi ?

An corde illam agnovi ? an gratias Deo debitas egi ?

5. Humilitatem *erga proximum* suum exercet :

« Omnia omnibus factus sum. » 1 C. 9, 22.

Quoties contra ego sum intolerans aliorum, durus, asper, ingratus, arrogans, inurbanus ?

300. De vocatione S. Pauli [1].

Vas electionis (ex multis delectum, praeclarissimum, organum aptissimum)

est mihi iste, (Qui hactenus fuit peccator audacissimus, idem a Deo ad sua opera facienda assumptus est : « Non enim tantum sibi reconciliavit, sed ita sibi familiarem reddidit, sic eum ad amorem suum pellexit, ut ejus fidei Ecclesiae negotia cuncta commiserit. » S. Joannes Chrysos : In illud : *Saulus adhuc spirans*, III, 127.

1. Act. 9, 15-17.

ut portet (cum amore Dei et proximi ; cum zelo ac labore ; sicut praeco regis, propheta et legatus a Deo missus ;)

nomen meum (Paulus enim nescivit nisi Jesum et hunc crucifixum.)

coram (i. e. in ipsa praesentia absque timore)

gentibus (Erat enim futurus apostolus eorum quam maxime, qui nullam habebant fidem, inter quos computandi sunt etiam abavi nostri. Quapropter dictus est « Doctor gentium. » 1 T. 2, 7.)

et regibus, (Agrippae, Neroni, et magistratibus provinciarum)

et filiis Israël (a quibus tamen multa erat passurus).

Ego enim ostendam illi (admiremur Dei providentiam) *quanta oporteat*

eum pro nomine meo pati (Passurus siquidem erat « en qualité de mon disciple ; pour ma gloire, pour mon Eglise. Voilà le partage des plus chers disciples de Jésus Christ, et de ses meilleurs amis ; souffrir beaucoup pour son nom. Souffrir, n'est pas une marque de predestination ; mais souffrir pour le nom de Jésus Christ, souffrir pour la justice, et souffrir dans la paix, et dans la joie. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. »).

In illum locum (Vas electionis etc.) haec scripsit S. Joannes Chrysostomus, loquens in persona apostoli : « Non ob condignam vitae mutationem misericordiam consecutus sum : cave id existimes ; sed ut nemo eorum, qui in nequitia vixerunt, etiamsi Christo bellum fecerit, desperaret, dum extremum omnium, quo nullus unquam infestior Christo fuit, salutem consecutum videret. » In verba : *Utinam sustineretis*, III, 352. C.

301. Paulus ut « Vas electionis. » [1]

« *Vas electionis* (prae ceteris singulariter delectum) *est mihi iste.* »

1. Mittendus erat Paulus ad gentes, reges, et filios Israël, adeoque ad hoc munus praeclarum assumptus est ex hominibus, immo praeelectus ex ceteris apostolis.

2. Apostolatum specialissimo modo coelitus a Christo accepit.

3 Jamjam providentia speciali praedestinatus est : « Me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam. » Gal. 1, 15.

4. Ad apostolatum adeo insignem, et ad opera maxime ardua sustinenda aptus erat, quum propter indolem acrem et ardentem, tum propter zelum legis divinae. Adde et haec ex commentario Calmeti in h. l.

« Dieu avait mis dans S. Paul une grande âme, un vaste génie, une fermeté raisonnable, un zèle brulant, une grande capacité. Ce furent des talents dont il se servit d'abord contre son Auteur, et contre son Dieu. » Postmodum conversus donis suis ad gloriam Dei conditoris sui praeclare usus est.

5. Quia virginitatem, virgineumque animum jugiter in corpore illibato, quasi in vase sancto conservavit.

6. Quia strenue et ardenter vocationi divinae cooperatus est, juxta illud : « Abundantius illis omnibus laboravi ; non ego autem, sed gratia Dei mecum. » 1 C. 15, 10.

---

1. Secundum Cornelium a Lapide in Act. 9, 15.

Labor et amor sunt gemelli ; quem quis amat, pro eo laborat, uti Paulus pro Christo quem summe amabat, nullum recusavit laborem.

7. Sicut Simon pontifex dictus est « quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso » (Eccli. 50, 10), ita S. Paulus, vas auri, ob sapientiam, solidum, ob caritatem, ornatum ob ceterarum virtutum decorem merito appellatur.

302. In festo S. Lucae.

1. Sanctus Lucas Syrus fuit ex Antiochia. Ortu ethnicus fuit, et professione medicus. Deinceps factus est sectator apostoli Pauli, cui se familiariter, adjunxit Troade, in secundo S. Pauli itinere. Commoratus aliquamdiu Philippis, deinde septem annos evangelium in Macedonia praedicavit.

In tertio itinere S. Paulus eum sibi socium et adjutorem adscivit, eumque secum retinuit usque ad mortem.

Evangelium suum scripsit S. Lucas circa annum sexagesimum tertium, ac postea Actus Apostolorum. Uxorem nunquam duxit, et annos octoginta quatuor vixit.

2. Dominum in carne non vidit ; attamen ejus spiritum diligentissime didicit a S. Paulo et discipulis.

Utinam et nos eundum spiritum ex evangeliis et epistolis assidue et incessanter acquirere studeremus.

3. A S. Paulo magistro suo denominatur « medicus carissimus ; » Col. 4, 14, et « adjutor ; » Philem. 24

Ex quibus discamus, quo modo nobis agendum sit cum superioribus ut similes laudes mereamur.

4. Fidelis erat usque ad mortem ; « Lucas est mecum solus. » 2 Tim. 4, 11.

Rara quidem haec constantiae virtus. Lucas pariter novit non tantum operibus activis cooperari, verum etiam venerando magistro in duro carcere latenti ministrare.

5. Ingenii sui dotes naturales adhibuit in claro scribendi genere, in dicendi puritate ac elegantia, ac insuper in minutiori narratione istorum, quae ad artem suam quadamtenus spectabant.

6. Ecclesia eum nobis ostendit ut virum, qui mortificationem crucis semper in suo corpore portabat.

303. In festo S. Lucae (2). [1]

« Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. » L. 10, 3.

Jamvero verbis istis Salvatoris nostri —

I. Datur sanctis *confidentia* :

a. Ego mitto, qui sum bonus ad defendendum : « Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. » J. 10, 11.

b. Ego sapiens ut sciam protegere : « Cum essem cum eis, servabam eos. » J. 17, 12.

c. Ego omnipotens, ut possim eripere : « In brachio suo congregabit agnos. » Is. 40, 11.

II. Notantur deinde sanctorum *virtutes* : « (sicut agnos) » —

a. Innocentia : sic enim sancti sunt innocentes non faciendo malum :

1. Ex Sermone S Thomae in ejus festo

« Nemini dantes ullam offensionem. » 2 C. 6, 3.

« Satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace. » 2 P. 3, 14.

b. Simplicitas ; nam bona intentione operantur.

c. Mansuetudo ; etenim mala sustinent sine amaritudine : « Estote simplices sicut columbae. » M. 10, 16.

« Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. » Jer. 11, 19.

III. Notantur denique iniquorum *vitia* : (« inter lupos ») —

a. Nequitia. Moribus enim saepe sunt pessimi, et semper doctrinis Christianis repugnant.

b. Invidia ; quia semper inhiant bonis quae habet Ecclesia, sive opes sint, sive jura.

c. Saevitia, quia in viros ecclesiasticos interdum crudeliter irruunt.

Beatus ille sanctus sicut agnus innocens ; similiter, mansuetus in medio iniquorum Dei protectione, sapientia et bonitate custoditus, reductus est quasi ad ovile vitae aeternae ; ad quam nos perducat, qui est Benedictus in sæcula.

304. In festo S. Barnabae. [1]

Thema. Barnabas « erat vir bonus, et plenus Spiritu sancto, et fide. » Act. 11, 24.

Duo quidem homini sapienti sunt apprime necessaria, interna scilicet perfectio, et recta conversatio exterior.

---

1 Ex Sermone S. Thomae in hoc festo.

1. Consideretur *interna hominis perfectio* quae imprimis et propter se ab omnibus debet appeti. Duplici autem sub forma se pandit :

   a. In cognitione veritatis, quae attingitur per intellectus illuminationem. Haec illuminatio praesertim per fidem praestatur : hinc dicitur Barnabas, « plenus fide, » quae est lumen intellectus.

   « Fides est illuminatio veritatis, quia quis illuminatur a prima luce ad videndum spiritualia. » S. Augustinus.

   b. In dilectione bonitatis, quae gignitur per affectus inflammationem. Unde additur : « plenus Spiritu sancto, » quia Spiritus sanctus est amor, et donum in quo omnia dona nobis donantur.

2. Consideretur deinde viri sapientis *exterior conversatio* maxime circa proximum suum ; qua de re duo iterum veniunt fructuose perpendenda : —

   a *Actuum utilitas*, propter quam Barnabas dicitur « vir bonus : » Bonum autem est diffusivum sui, quod quidem spectari potest

   α. In justa actione. Opus enim est ut omnis actio bona sit secundum propriam suam rationem recta, et convenienter fiat : ut videre est in actibus caritatis, justitiae, mansuetudinis erga proximum, veracitatis, et obedientiae.

   β. Secundum debitum agendi finem. (Qualis est communiter finis, quem actionibus praemitto ?)

   γ. Secundum convenientiam modi et temporis. Juvenes e. g. saepe delectabilibus fruuntur usque ad excessum, in arduis vero non raro deficiunt. In omnibus modus servandus ; ac meminisse oportet dictum : « Omnia tempus habent. »

   b. *Morum gravitas :* dicitur enim Barnabas esse « vir, » cujus est esse sapiens et gravis, et non levis ut puer.

   « Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei

cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt.

Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur ; in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Con. Trid. s. xxii. De Ref. c. 1. init.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Caput III. De Martyribus deque ceteris Sanctis.

305. In festo S. Ambrosii. [1]

i. « Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus. »
ii. Deum deprecare spiritum vere sacerdotalem

Audite me stirps levitica, (electa a Deo, separata a mundo)
germen sacerdotale, (quod jure divino in ordine sacro et supernaturali constitutum est)
propago sanctificata, (per sacramentalem consecrationem)
duces et rectores gregis Christi (Quod licet verius de episcopo dicatur, de officio pastorali generatim merito praedicatur. Quanta igitur sanctitas, quanta scientia, peritia ac prudentia in homine postulatur, ut in negotiis sacris et aeternis alios queat secure dirigere !)...
Dignum est.. ut dignitas sacerdotalis prius noscatur a nobis, et sic deinde servetur a nobis ; ut psalmographi sententia queat repelli a nobis : Homo cum in honore esset, non intellexit. Ps. 48, 13...
Nihil in hoc saeculo excellentius sacerdotibus...
ut digne noscamus quid simus, et quod simus professione, actione potius quam nomine demonstremus ; ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini ;

---

1. Ex libro De Dignitate Sacerdotali inter Opera S. Ambrosii IV, 438.

ne sit nomen inane, et crimen immane :
ne sit honor sublimis, et vita deformis :
ne sit deifica professio, et illicita actio :
ne sit religiosus amictus, et irreligiosus provectus :...
ne locutionem simulemus columbinam, et mentem habeamus caninam :
ne professionem monstremus ovinam, et ferocitatem habeamus lupinam...
Magna sublimitas magnam debet habere cautelam :
honor grandis grandiori debet sollicitudine circumvallari...
Deificus est ordo (p. 444) (A Deo ipso sacerdos in ministerium deputatur, ut sit lux mundi, i. e. doctorum et indoctorum, fidelium et infidelium per praedicationis suae eloquium, et sal terrae per actionis suae exemplum, et per virtutem ministerii sacramentalis.)...
Quod dictum est *sufficiat.. ne fidentes in sublimitate honorum, minime requirerent perfectionem morum, et in solo se crederent sacerdotis nomine plus quam opere gloriari.*

306. In festo S. Antonini. [1]

Instructio de Dono Pietatis.

Dona Spiritus sancti sunt quaedam dispositiones animae, quibus ab eo anima prompte movetur.

Donum autem pietatis est illud, quo Spiritus sanctus movet ad hoc, quod affectum quemdam filialem habeamus ad Deum ut patrem, secundum illud Apostoli : « Accepistis

1 Op. Vol. IV, tit. XV.

spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). » Rom. 8, 15.

Pietas ergo donum est Dei, quatenus cultum, id est reverentiam, exhibet Deo per instinctum Spiritus sancti.

Consideranda nunc veniunt :

1. *Eminentia dignitatis* qua donum hoc notatur : —
   a. quatenus praebet regulam, seu normam et motivum agendi erga Deum ; quia, illo motus instinctu, homo operatur in quantum cum Deo affectu et spiritu unitur; adeoque Deo tamquam patri adhaeret, et proximum fovet ut filium ejusdem patris, et ab eodem patre coelesti dilectum et ornatum.
   b. Hinc a virtute pietatis, cujus motivum est quid humanum (ut propinquitas sanguinis, vel familiaritas, vel saltem naturae similitudo) differt in eo quod pietas, ut donum Spiritus sancti, movetur ad proximum diligendum ex aliquo divino, scilicet in quantum proximus est filius Dei, et divina similitudini insignitus.
   c. Si spectetur reverentia, quae Deo exhibenda est, eminet pietas supra ipsam religionis virtutem, quia pietas cultum Deo exhibet ut patri, quod excellentius est quam exhibere cultum Deo ut creatori et Domino, quod facit religio.
   d. Pietas igitur —
      α. Deo reverentiam exhibet non solum propter debitum, sed propter condignum, quod Deus honore et reverentia est dignus interiori affectu et exteriori actu, ut fit in prostrationibus, genuflexionibus, inclinationibus et sacrificiis.
      β. Propter Dei reverentiam pietas etiam sanctos honorat, quia sunt templa Dei et organa Spiritus sancti.
      γ. Tertius actus pietatis est verba sacrae scripturae revereri.

δ. Pietas pariter constitutis in miseria subvenit.
ε. Denique sine offensione in medio nationis pravae et perversae conversatur, et inter eos convivit.

2. Perennitas ejus, quia pietas *in patria permanet* secundum suam regulam, quae est ipsi Deo adhaerere.
3. Efficacia ejus, in quantum, pietas, docente apostolo, *ad omnia valet*, promissionem habens vitae, quae nunc est et futurae.

307. In festo S. Bedae.

i. « Anglia te celebrat, te totus personat orbis » Epitaph. Cantab. Op. S. Bedae, I, p. lxxxvii.
ii. Agnosce S. Bedam tibi positum esse in exemplum vitae sacerdotalis.

---

1. Totam vitam a pueritia usque ad senectutem Deo consecravit. Anno septimo monasterium ingressus est, anno decimo nono ad sacrum ordinem diaconatus promotus est ob singularem pietatem ; sed propter magnam suam humilitatem sacerdotium non recepit nisi post undecim annos ulterioris praeparationis. « Cunctum tempus vitae in monasterii habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operam dedit, atque inter observantiae disciplinae regularis quotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habuit. » Vita, ib. cliii.

2. Singularis fuit in eo ardor discendi quaecunque ad munus suum spectarent, — scientias nimirum naturales, litteras latinas, graecas, hebraicas, — cantum sacrum, — et ea quae attinent ad theologiam et sacras scripturas exponendas.

Spiritus quo studia prosequebatur his verbis ostenditur : « Te deprecor, bone Jesu, ut cui propitius donasti verba tuae scientiae dulciter haurire, dones etiam benignus aliquando ad te fontem omnis scientiae pervenire, et parere semper ante faciem tuam. » Op. cit. cliv.

3. Dum adhuc vivebat per totam Angliam praeco erat veritatis. Hic agnosce magnum esse praedicatoris munus, quo ut rite aliquando fungi valeas, nulla nunc diligentia praetermittenda.

4. Morienti haec verba illi praesto erant : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis. » Heb. 10, 31.

« Flagellat omnem filium quem recipit. » ib. 12, 6.

« Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vixisse, sed nec mori timeo. » Brevis quidem laus, sed viro perfectae conversationis sufficiens. ib. Vita, clvi.

308. In festo S. Caeciliae.

i. Hujus inclytae virginis recogitabo pietatem, castitatem et constantiam.

ii. Gratiam petam rite et devote peragendi cultum Dei solemniorem.

In Deo colendo haec sunt notanda et assidue perpendenda :

I. Cultus divini *praestantia*.

« Deum glorificare sacrificio eucharistico perpetuo, est primaria functio sacerdotis Christi in terris. » Huc accedunt cultus Deo perenniter exhibitus Officio divino, et speciale illud latriae tributum, quod praestatur in benedictione Sacratissimi Sacramenti.

a. Cultu igitur Dei formali nihil praestantius ; est enim aeterna beatorum occupatio.

b. Actu constat multiplici, — adoratione nempe, benedictione, laude, gratiarum actione, supplicatione, contritione.

c. Opus profecto est ut a nobis levitis perficiatur omni diligentia, cura de minutioribus, dignitate, majestate, splendore.

« Filioli mei », dixit rex Ezechias in templo aperiendo, « nolite negligere : vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis ei, colatisque eum, et cremetis ei incensum. » 2 Par. 29, 11.

II. Cultus Dei est opus *graviter* et *morate perficiendum*. In laudibus enim Dei solemniter celebrandis usuvenit semper ut, facta quadam mora in verbis pronunciandis, mens magis reverenter ac delectabiliter immergatur in divinis eloquiis. Hujusmodi cantu verificatur quod habet S. Augustinus : « Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Intus enim est hoc gaudium, ubi vox laudis canitur et auditur ; qua voce laudatur qui gratis amandus est toto corde, tota anima, tota mente, amatoremque suum accendit in se gratia Spiritus sui sancti ; quid enim aliud est canticum novum, quam laus Dei. » Ep. 140, c. 17. M. 2, 557.

III. Est opus tandem cum *exultatione* peragendum. Etenim cantus vocibus tribuit majestatem, affectuum manifestat et fovet vehementiam, et Deo cui canitur insignem ac publicum praebet honorem.

« Jubilate Deo omnis terra : cantate, et exultate, et psallite. » Ps. 97, 4.

« Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. » Eph. 5, 19.

309. In festo S. Caeciliae (2).

i. Imaginatione tibi repraesenta chorum beatorum, qui laudes gloriose celebrant in coelis.

ii. Pete animum assidue sollicitum circa omnia, quae cultum Dei respiciunt, et nominatim circa cantum sacrum discendum et proferendum.

Dum canimus divinas laudes : —

1. Angelicis choris nos adjungimus : « In conspectu angelorum psallam tibi. » Ps. 137, 1.

2. Suaviter Deo benedicimus : « In te cantatio mea semper. » Ps. 70, 6.

« Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. » Eph. 5, 19. Hominem quidem naturae instinctu delectat Deum altissimum laudare. Sapit nostrae dignitati naturae celebrare Dei magnalia ; Deus enim est bonum proprium et naturale nostrum. Menti ac indoli humanae consentaneum est, ut divinas laudes perficiamus moratim, solemniter, una cum fratribus, adhibita pulchra et fervida cantus modulatione.

3. Dei praeconia dulciter enarramus : « Cantabiles mihi erunt justificationes tuae in loco peregrinationis meae. » Ps. 118, 54.

« Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. » Ps. 36, 11.

4. Teneriore affectu in carminis modulatione luctum et amorem passionis dominicae commemoramus.

5. Laetamur in Domino : « Memor fui Dei, et delectatus sum. » Ps. 76, 4.

« Jubilate Deo omnis terra, cantate et jubilate et psallite. » Ps. 97, 4.

6. Utimur cantibus sacris tamquam mediis —
   a. mentem ad Deum erigendi ;
   b. attentionis defigendae ;
   c. exultationis laetitiaeque spiritualis et concipiendae et manifestandae ;
   d. delectionis tenerioris exprimendae ;
   e. salutationis sacrae offerendae, religione, majestate, honorificentia plenae.
   f. cordis tumultus sedandi.

310. In festo S. Caeciliae (3).

« CANTANTIBUS ORGANIS, CAECILIA DOMINO DECANTABAT. »

1. Qualia sunt objecta et actus laudis divinae ?

« Psallam nomini tuo, Altissime. » Ps. 9, 3.
« In medio ecclesiae laudabo te. » Ps. 21, 23.
« In conspectu angelorum psallam tibi. » Ps. 137, 1.
« Dedit mihi... linguam... in ipsa laudabo eum. » Eccli. 51, 30.
« Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum. » Ps. 15, 7.
« Confitebor tibi Domine in toto corde meo. » Ps. 18, 2.
« Confitebor Domino nimis in ore meo. » Ps. 108, 30.
« Cantabo Domino meo... quamdiu sum. » Ps. 103, 33.
« Ego vero delectabor in Domino. » 103, 34.
« Servite Domino in laetitia. » Ps. 99, 1.

« Jubilate Deo in voce exultationis. » Ps. 46, 2.
« Ego autem in Domino gaudebo ; et exultabo in Deo Jesu meo. » Hab. 3, 18.
« Benedicite omnia opera Domini Domino : laudate et superexaltate eum in saecula. » Dan. 3, 57.

2. *Quomodo laudandus est Deus ?*

« Psallite sapienter. » Ps. 46, 6.
« Psallam spiritu, psallam et mente. » 1 C. 14, 15.
« Psallite *Deo* nostro : psallite. »
« Psallite *Regi* nostro : psallite. »
« Quoniam *Rex omnis terrae DEUS* :
« Psallite sapienter. » Ps. 46, 6. 7.

« Nec solum psallite frequenter, sed etiam sapienter, i. e. attente et considerate, ut nulla in re fiat error : oportet enim officium quod summo regi praestatur cum omni diligentia praestari. » Bellarm. in h. l.

Audiatur et magnus Augustinus :

1. « Scienter autem cantare, naturae hominis divina voluntate concessum est. » In Ps. 18, En. ii. s. 1. M. 3, 157.
2. « Ut bene ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus (in psalmis), et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo quemadmodum laudet eum. » In Ps. 144. s. 1. M. 4, 1869.
3. « Si voce carnis (clamamus ad Deum), corde clamandum est. Est autem clamor cordis magna cogitationis intentio ; quae cum est in oratione magnum exprimit desiderantis et petentis affectum. » In Ps. 118. M. 3, 1583.

311. In festo S. Caeciliae (4).[1]

Deum in spatio tibi circumjacente et intus in corde praesentem agnosce, et reverere.

Oratio hominem Deo conjungit, — opus humanum praegrande !

Audit nos Deus, ac positis debitis conditionibus exaudit.

---

1. Solemnitas haec omnibus Deum rite ac devote colentibus grata est valde.

Nec tantum colitur inclyta virgo ac martyr, sed etiam ejus pia sollicitatur intercessio, et exemplum fortitudinis christianae nobis imitandum exhibetur.

2. « Mulier diligens, corona est viro suo. » Prov. 12, 4.

a. Mulier : —

α. *speciosa* i. propter decorem virginitatis, quam Deo religiose vovit et invicte servavit ;
ii. propter martyrii crudelis ac diuturni ruborem ;
iii. propter corporis decorem ; orta enim erat ex nobili stirpe Romana ;

β. *gratiosa* i. Deo per humilitatem ;
ii. angelis per puritatem ;
iii. hominibus per benignitatem ;

γ. *gloriosa* i. in parte rationabili per aureolam praedicationis ;
ii. in parte irascibili per aureolam martyris ;
iii. in parte concupiscibili, per aureolam virginis.

---

1. Ex Sermone S. Thomae.

b. diligens : —

α. in carnis maceratione : « Cilicio Caecilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat. »

β. in Dei dilectione : « Cantantibus organis Caecilia virgo in corde suo soli Domino decantabat. »

γ. in devota oratione : « Virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore, et non diebus neque noctibus vacabat a colloquiis divinis et oratione. »

δ. in eleemosynarum largitione : omnia enim sua pauperibus distribuit ;

ε. in aliorum conversione : mariti nempe ejusque fratris.

Femina, juvenis, debilis et delicate nutrita, quot mihi imitanda reliquit !

Deo referendae sunt gratiae de glorioso virginis triumpho, et de pulchro fidei, castitatis ac fortitudinis exemplo.

312. In festo S. Caroli. [1]

i. « Audite, fratres, quid apostolis, quibus Spiritum sanctum mox erat missurus, Salvator noster Christus Jesus dixerit : Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. » L. 24, 49.

ii. Vocationis tuae gratiam obnixe precare.

Quid est indui virtute ex alto ?

1. *Est proximum aedificare.*

Est extrinsecus christianis (fide nempe, spe, caritate) *ac sacerdotalibus* (quae sunt praecipue castitas, re-

1. Ex homilia ad ordinandos, anno 1583.

cessus a mundo, oratio, doctrina, zelus animarum, mansuetudo, modestia et simplicitas quaedam, sui-abnegatio, paupertas) *fulgere* (i. e. non tantum videri et a ceteris distingui, sed sicut pharus omnibus lucere) *virtutibus* ;

ceteris exemplo esse ; (Qui enim aliud verbis, aliud moribus praedicat, is profecto speciem hypocritae prae se fert, et moralitatem evangelicam contemptibilem efficit.

An ego nunc vivo infra agendi normam, quam tamquam rectam tenendam esse agnosco, aliis commendo et in iis promovere studeo ?)

2. *Est propriam prosequi perfectionem.*

Ecclesiasticam, quod est in terris angelicam, vitam ducere ; (Quod fit —

a. per fidem : « Nostra autem conversatio in cœlis est. » Phil. 3, 20.

b. per orationem : « Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. » Ps. 18, 15.

c. per animarum ministerium ; etenim ut Dei ministri, gratiarum dispensatores, evangelii praecones ad homines accessuri sumus. Quid ista a me nunc exigere videntur ?)

ita demum actiones omnes vestras componere, ut videant ceteri opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (M. 5. 16).

3. *Est scandalum aliorum evitare.*

Ne vituperetur in vobis ministerium Christi, sed morum vestrorum gravitas ad ecclesiastici status reverentiam saeculares omnes alliciant.

Etenim vae vobis, si per vos scandalum venerit, et propter vos Dei nomen in gentibus blasphematum fuerit, ac sacrosanctae Matris Ecclesiae contempta majestas.

313. In festo S. Caroli (2). [1]

i. « Fili mi, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam. » Prov. 4, 20.
ii. Docilem petas animum.

---

1. « Primum cogitate, qui et quales sitis, quantumque oneris sustineatis.
   a. Angeli enim estis ; nam ut in coelis angeli sunt ordine et potestate differentes, qui decenti quadam observantia, injuncta sibi munera obeunt ; sic Ecclesia, quae domus Dei est, ministros sibi habet peculiares, et a reliquis christianis sejunctos, et optimo quodam ordine distinctos, quales vos estis.
   b. Dei interpretes et internuntii estis (quorum officiis fungimini sacrificio Missae et psalterii recitatione). Sacerdos, « angelus Domini exercituum est. » Mal. 2, 7.
   Videte igitur, quam coelestem vitam et angelorum similem in terris vos imitari oporteat.
   Videte quam divinae quaedam virtutes in vobis inesse debeant, quae ita excellentes sint, ut a vobis, tamquam a coelestibus illis mentibus in populum emanent.
2. Quapropter : — Clerici sejuncti sunt a reliquis christianis, et ab iis vitae ratio praestantior postulatur.
3. Quae leviora sunt in laico, in clerico gravia esse possunt. « Inter saeculares nugae, nugae ; in ore sacerdotis, blasphemiae. » S. Bern. de Consideratione, Lib. II, c. 13. I, 1037.

---

1. Instructio ex Oratione synodali II, anno 1568.

4. Viri ecclesiastici, nisi perfectam quamdam et absolutam virtutis speciem habeant, vel parum a vitio abesse, vel certe haud magna in laude ponendi videantur.

5. Illud etiam accedit, ut simul videatis, quae vestra functio sit, qua certe nulla major excogitari potest; quare merito non solum angeli, sed dii etiam appellati estis, propterea quod Dei ipsius personam in terris geritis. »

314. In festo S. Catharinae M.

i. Mente mihi repraesentabo Catharinam puellam in aula Alexandrina ethnicos philosophos de veritate religionis christianae convincentem.

ii. Precabor ut in me sit animus, qui in Catharina eminebat.

I. Catharina fuit pia inter impios, doctrinae coelestis avida.

In multis erudita « a prima aetate studia liberalium artium cum fidei ardore conjugens, brevi ad eam sanctitatis et doctrinae perfectionem pervenit, ut decem et octo annos nata, eruditissimum quemque superaret. »

In scientia fortis « non dubitanter ipsum adiit Maximinum, eique nefariam immanitatem objiciens, sapientibus rationibus Christi fidem ad salutem necessariam esse affirmavit. »

In castitate et mundi contemptu immobilis stetit. « Maximinus (enim) blanditiis et promissis Catharinam de sententia deducere aggreditur, verum id frustra fieri » intellexit.

In fide ad mortem usque constans, « post verbera, carcerem, cibi ac potus privationem, rota expeditur,

tandem « fortiter dato capite » ad praemium evolavit.

Quoad ista aliquid fortasse in me reperio quod a virginis hujus tenellae dotibus discrepet. Ejus igitur intercessionem enixe rogabo, ut a divina largitate obtineam fidei robur, fortitudinis donum, litterarum amorem, discendi ac studendi ardorem.

II. Catharina ad scientiae fontes amore veritatis divinae adducta fuit. Ego autem ad scientiam excolendam officio status et vocationis adstringor.

An tempus interdum inutiliter consumo ?

An media adhibeo ad debitum profectum rite adaptata ?

An magni facio studia mea ? An illa forsan fastidio ?

An post levia curro ? post mundana, et frivola, aliis quidem non vero clericis convenientia ?

III. De Catharina narratur quod praesentia Spiritus sancti saepe fuerit illustrata.

An ego ante studia mea Spiritum sanctum devote invoco ?

An spiritu precabundo studia ecclesiastica persolvo, idque cum desiderio Deum penitus cognoscendi ?

An zelo animarum incensus, et sensu dignitatis status mei, nihil studiorum leve esse arbitror ?

315. In festo S. Catharinae M. (2).

Revoca in memoriam beatae Catharinae vitam piam, doctrinae zelum, mortem heroicam.

1. Ob oculos ponatur ejus *amor scientiae* salutaris, quo adhuc puella eminebat. Alexandrinae civitatis principia mundana et ethnica eam a proposito incumbendi studio revelationis divinae divertere nequibant.

Beata illa virgo sit nobis stimulus ad inertiam vincendam, atque ad scientiam ecclesiasticam temporibus nostris accommodatam sedulo conquirendam.

An affectu ardenti studia scholae tuae prosequeris ? an indolem institutionis tibi traditae rite accipis et assimilas, ut studia tua necessitatibus temporis, quo vivis, aptentur.

2. Animo spectentur in beata virgine *zelus docendi* alios felix nuntium religionis christianae, et *fortitudo virilis*, qua more apostolico fidem contra philosophos claros et doctos palam vindicabat.

An nutris in te zelum apostolicum diffundendi, quantum fieri possit, saluberrimas Christi doctrinas ? an foves animi robur, quo data opportunitate possis fidem tibi concreditam valide defendere ?

3. Effulsit insuper in inclyta puella *sanctitatis perfectio* et splendor. Satis quidem ipsi non erat Deo servire secundum normam, quae strictae necessitatis esse dicitur, neque virtutis gradum mediocrem sed eminentem colebat.

An tu forsitan mera virtutum mediocritate contentus es ?

4. Inter sanctitatis ejus dotes praeclara exstitit virginitas. Qua in re hoc quidem animadvertendum, quod Catharinam illam elegerit atque servaverit inter illecebras aetatis illius pessimae.

5. Suam erga Christum devotionem sanguinis sigillo firmavit. An tu quoque paratus es dura et ardua pro Christo ferre ? An potius excutere soles quidquid tibi grave vel onerosum esse videatur ?

316. In festo S. Catharinae M. (3).

De studiis sacris.

i. Repraesenta tibi vitam devotam et laboriosam, disputationem audacem, et mortem heroicam beatae Catharinae.
ii. Per ejus intercessionem scientiae donum exposce.

Circa studia sacra quatuor utiliter meditanda sese offerunt : —

I. *Eorum fons.*

« Deus scientiarum, Dominus est, et ipsi praeparantur cogitationes. » 1 Reg. 2, 3. Deus prophetas illuminavit, apostolos ornavit gratiis et donis specialissimis ; nobis autem paravit instituta et documenta scientiarum ecclesiasticarum.

II. *Copia scientiae acquirendae.*

Nobis apprime necessaria est copia scientiae exactae et profundae. Nobis fortiori jure denuntiatur illud prophetae : « Quia tu scientiam repulisti, ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. » Os. 4, 6.

Sane quis non intelligit quantum ab iis exigatur, qui « animabus futuri sunt duces et magistri, » quando mundus libris omnigenis, lectoribus pene innumeris, et erroribus fundamentalibus repletur ?

III. *Modus.*

Necesse est praeterea ut in viro ecclesiastico amor scientiae informetur ac fecundetur spiritu rectae intentionis omnia ordinandi ad gloriam Dei et salutem animarum.

Quapropter : —

a. studium quodcunque sanctificari debet —
  α. *intentione religiosa*,
  β. *oratione fervente* tum ante tum post illud,
b. omnis inquisitio scientiae digna esse debet fine ad quem ordinatur ; debet nimirum esse *strenua*, accurata, laboriosa, indefessa, docilis.

IV. *Finis*.

Consideret alumnus se nunc praeparari ut piscator hominum fieri possit, ut sagenam evangelicam impleat, animas nempe pereuntium (infidelium, agnosticorum, haereticorum, mundanorum quorumlibet) Christo lucrifaciat.

317. In festo S. Catharinae M. (4). [1]

i. Spiritus Dei et Dominus Jesus in capella me expectant.
ii. Cum profundo venerationis affectu ad sancta sanctorum accedam.
iii. Laetus tamen et cum fiducia orationem meam exordiar.

« Sapiens mulier aedificat domum suam. » Prov. 14, 1.

1. *Sapiens mulier* : —

a. Sicut Abigail, quae singulari prudentia consilium David (occidendi maritum suum stultum) in benedictionem mutavit. 1 Reg. 25 ; ita Catharina philosophos liberavit ab errore mentis et periculo damnationis aeternae : « Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi ? » 1 C. 1, 20.

b. Sicut mulier Thecuita, quae, sagaci sua parabola David induxit, ut Absalom filium suum in gratiam reciperet. 2. Reg. 1, 4 ;

1. Ex Sermone S. Thomae in ejus festo.

ita Catharina explicatione sua lucida fideles in fide confirmavit.

c. Sicut Debbora, cujus impulsu exercitus Sisarae fugatus est ; Jud. cc. 4. 5 ;

ita Catharina tandem Ecclesiam liberavit a confusione et victoria hostili.

Nos prorsus non pigeat mulierum fortium doceri exemplo.

2. *aedificavit domum suam :* —

a. lapides in aedificium construendo, scilicet philosophos, quatenus ipsorum est fundamenta cogitationis, morum et religionis considerare ;

b. ea quae constructa sunt confirmando, scilicet fideles coordinando, docendo, hortando ut domus una compacta constituatur ;

3. Alia etiam sapientiae indicia monstravit, quae ita proponi possunt : —

a. « Ecce timor Dei, ipsa est sapientia. » Job 28, 28.

b. « et recedere a malo... intelligentia. » ib.

c. « bona agere (sapientia scripturarum est profecto bona), mala pati, et in his perseverare. » Hoc, secundum S. Augustinum, sapientia dicendum est.

Quae omnia mihi applicabo

318. In festo S. Francisci Assisii.

De sancta paupertate.

i. « Et accedens unus scriba, ait illi : Magister, sequar te, quocunque ieris. Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. » M. 8, 19. 20.

i. Spiritum Christi efflagita.

1. « *Dominus* pars haereditatis meae et calicis mei : tu es qui restitues haereditatem meam mihi. » Ps. 15, 5.

« Dixitque Dominus ad Aaron : In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos : ego pars et haereditas tua in medio filiorum Israël. » Num. 18, 20.

2. « Quid enim mihi est in coelo ? et a *te* quid volui super terram ? » Ps. 72, 25.

3. « *Deus cordis mei*, et pars mea Deus in aeternum. » Ps. 72, 26.

4. « Omnes quae sua sunt quaerunt, non *quae Jesu Christi*. » Phil. 2, 21.

5. « Est autem quaestus magnus, pietas *cum sufficientia*. Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. » 1 T. 6, 6-8.

6. « Propter quem (Christum) omnia *detrimentum* feci et arbitror ut *stercora*, ut Christum lucrifaciam. » Phil. 3. 8.

7. Exemplum Magistri : « Ego autem mendicus sum, et pauper : Dominus sollicitus est mei. » Ps. 39, 18.

8. Exemplum *apostolorum* : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » M. 19, 27.

9. *Benedictio* Domini : « Beati pauperes spiritu. » M. 5, 3.

10. *Promissio* Christi : « Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus : et haec omnia adjicientur vobis. » M. 6, 33.

Da mihi animas, cetera tolle.

319. In festo S. Francisci Assisii (2).

De sancta paupertate.

« A primo igitur in Seminarium ingressu clericus paupertatem tamquam consilium evangelicum diligere ac revereri discat ; et, quamquam ad paupertatem ex voto exercendam non sit vocatus, sibi tamen persuasum habeat pauperes spiritu omnes fieri debere, et in eo cum Christo sanctisque similitudinem constare. » Syn. West. IV. Decr. ix. n. 11.

« Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro : quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa quae habet, et emit agrum illum. » M. 13, 44.

Perpendantur sequentia : —

1. *Levitici sacerdotii institutio divina* : « Dixitque Dominus ad Aaron : In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos : ego pars et haereditas tua in medio filiorum Israël. » Num. 18, 20.

   « Quam ob rem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis : quia ipse Dominus possessio ejus est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus. » Deut. 10, 9.

2. *Christi cohortatio communis* : « Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus : et haec omnia adjicientur vobis. » M. 6, 33.

3. *Clerici professio generosa* : « Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei : tu es, qui restitues haereditatem meam mihi. » Ps. 15, 5.

4. *Mens S. Pauli* : « Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei : propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. » Phil. 3, 8.

5. *Ministrorum accusatio* : « Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae Jesu Christi. » Phil. 2, 21.

6. *Instructio Syn. West. IV.* Decr. xii. n. 7 : inter alia perfectionis sacerdotalis auxilia haec notat : (missionarii) « pastores sunt praesertim pauperum, Jesu amicorum, qui non habent retribuere nobis ; ipsique etiam pauperes, et pauperum eleemosynis nutriti et contenti. »

7. *Ardentis animi suspirium* : « Quid enim mihi est in cœlo ? et a te quid volui super terram ?
Defecit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. » Ps. 72, 25. 26.

320. In festo S. Francisci Xaverii.

i. Indiarum apostolum in insula Sanciano contemplabor animam Deo efflantem cum verbis illis fiducia plenis : « In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. »
ii. Spiritum obsecrabo apostolicum, ut omnia paratus sim relinquere propter Christum et animas a Christo redemptas.

---

1. Franciscus familia clarus, incessu nobilis, scientia peritus, discendi cupidus, aetate jam matura 37 annorum, audita Dei vocatione ex ore pii sed indocti laici, Ignatii de Loyola, mundo valedicit ut solum Christum sequeretur.

2. Cibi abstinentia et saeva corporis flagellatione meruit donum praeclarum divinae contemplationis

Paupertatis fuit amator ardens : hinc solo munitus breviario S. Ignatio se obtulit ad proficiscendum in Orientem expeditum.

Quae et cujus generis fuerit ejus ad opus ministerii praeparatio ex eo satis patet, quod de ipso scriptum est in lectione v festi ejus : « Vitae austeritate ac sanctitate apostolico muneri jam maturus. »

3. Zelus quo aestuabat in animarum salutem insatiabilis fuit. Febri quadam gravi oppressus, dum nec stare potuit, continue concionabatur, usque ad virium extinctionem. Jussus postmodum a S. Ignatio ad Indias ire, prae gaudio flevit. « Provincias innumeras pedibus semper, et saepe nudis, peragravit. Fidem Japoniae, et sex aliis regionibus invexit. Multa centena hominum millia ad Christum in Indiis convertit » (Breviarium).

4. A Deo recepit donum linguarum ; aquam marinam in dulcem convertit ; mortuos plures ad vitam restituit ; prophetiae charismate frequenter afflatus est.

5. Fide roboratus insigni, voluit, omni spreto periculo, aggredi opus illis temporibus formidolosum intrandi imperium Sinense, ut in eo evangelium annuntiaret.

321. In festo S. Francisci Xaverii (2).

i. Paucis in memoriam revocabo S. Francisci conversionem a mundana ambitione, zelum perfectionis adipiscendae, desiderium animas Christo lucrifaciendi, labores exantlatos in Italia et in Oriente, mortem denique solitariam.

ii. Per ejus intercessionem gratiam spiritus apostolici supplex orabo.

Ex vita ejus quatuor perpendenda nunc proponuntur : —

I. Animi sui erga superiores *reverentia*, qua solebat ad S. Ignatium genuflexus scribere.

« En, haec nos Synodus Westmonasteriensis IV docet: « Quam maxima reverentia exhibenda est erga officium et personam uniuscujusque qui auctoritatem gerit,... erga Episcopum,... superiores Seminarii,... sacerdotes seniores : » additque « discant Seminaristae mature venerationis et dependentiae sensa, quae superioribus omnibus debentur : » et concludit hisce monitis : « evitetur (a) spiritus secreto censurandi, necnon (b) offensi animi susurrus, utpote paci et sanctitati summe contrarii. » Decr. ix. n. 12.

Quod animi demissi jugum ardor juvenilis aegre fert, eique mundi jactantia multum repugnat.

II. *Paupertas spiritus* Auferatur igitur e cordibus omnis mundanorum cupiditas ; despiciatur nugarum nimia frequentia, devitetur nimium commodorum studium, caveatur a rerum dissipatione prodiga.

III. *Zelus*. Ingenium etenim cum ardore conjunxit S. Franciscus, sive in studiis litterariis, sive in perfectione sub directione S. Ignatii prosequenda, sive in operibus apostolicis. Ac revera post susceptum sacerdotium totus fuit in opere lucrandi animas, tum praedicando, tum visitando nosocomia, tum conversando affabiliter cum mercatoribus, militibus et aliis mundanis.

Exinde profecto nobis discendum strenue laborare in iis omnibus, quae nobis auctoritate superiorum imponuntur.

Discendum pariter assidue et constanter perseverare in iis exercendis virtutibus, quae statui nostro sunt propriae.

Discendum demum universa opera nostra informare una mentis intentione eaque vivida, quae est animas Christo lucrifacere.

Mundo dicamus : « Non vestra, sed vos quaerimus. »

IV. *Ardor sui abnegationis.* « Nam (Sanctus noster) interdicto sibi,non carnis solum et vini, sed panis quoque triticei usu, vilibus cibis vesci solitus, per biduum subinde triduumque omni prorsus alimento abstinuit. »

322. In festo S. Gregorii Nazianzeni. [1]

1. *Esto pastor ab omni vitio alienus.*

Hoc est in quo improbitas probitatem maxime superat, quod res sit ad imitandum prona et expedita, nec quicquam tam facile sit, quam malum fieri, etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium praebeat, rara tamen et ardua virtutis adeptio, quamlibet etiam multa sint, quae nos ad eam trahant et invitent. 1. c. xi.

Unde quam necessarium mihi, ut mature discam ab omni specie mali abhorrere.

2. *In alto virtutis gradu constituantur* (sacerdotes).

Sed non solum requiritur ad munus pastorale, ut quis malus non sit, verum etiam ut virtute praestet ; nec modum sibi ullum honeste vivendi, atque altius ascendendi constituat.

Sic se comparet, ut, quod ex virtute gerit, ad legis divinae normam, non autem ad alios (sive mali illi sint, sive nonnihil in virtute processerint) expendat ; nec virtutem, quae Deo optimo maximo, a quo omnia, debetur, exigua lance ponderet. ib. xiv.

1. Ex Oratione ejus secunda.

3. *Norma scientiae et virtutis.*

Sit sane aliquis, non modo a vitiorum contagione purus, verum ad summum etiam virtutis fastigium evectus ; haud equidem video quanam scientia instructus, aut quibus viribus fretus, hujusmodi praefecturam intrepide suscipere queat. Nam profecto ars quaedam artium, et scientia scientiarum, mihi esse videtur, hominum regere... Hujus studium atque opera in anima ponitur, quae ex Deo est, atque divinae, supernaeque nobilitatis particeps, ad eamque properans ; tametsi viliori interim ac deteriori astricta sit ib. xvi. xvii.

4. *De sacra scientia, et ministerio praedicationis.*

Quod vero spectat... ipsam verbi distributionem... divini, inquam, verbi et excelsi distributionem... mihi quidem res minime vulgaris, parvique spiritus esse videtur, verbi, perinde ac tritici, mensuram tempestive cuique dare, et dogmatum nostrorum veritatem, cum judicio dispensare. ib. xxxv.

An forsan res eruditas, vel profanas, vel mere litterarias magis aestimo quam sacras ? An serio incumbo studio eorum, quae spectant ad munus illud rite perficiendum, scilicet, doctrinae, scriptionis, lectionis, elocutionis ?

323. In festo S. Joseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis.

i. Perpendantur verba virginis matris : « Ecce pater tuus et ego. » L. 2, 48.

ii. Reverentiam precabor erga S. Joseph et fiduciam ejus

I. *Quisnam fuit ?*

1. Vir justus, e familia David, cognatus beatae Mariae

virginis, eique in sponsum electus, et pater nutritius Verbi incarnati. Admirabor in singulis insignem honoris eminentiam : « Nimis honorificati sunt amici tui Deus. » Ps. 138, 7.

2. Vir pauper : artem fabrilem exercebat ; vitam pauperem cum sancta familia agebat, et paupertatis angustias crebro expertus est.
3. Vir humilis fuit ; cujus officia per se simplicia fuerunt, familiam nempe sanctam moderari eamque labore suo sustentare.

II. *Qualia* fuerunt ejus *munera* ? Ex praecelsa sua paterna dignitate —

1. custos et protector fuit sanctae familiae ;
2. sudore suo necessitatibus ejus providit ; Verbum incarnatum ejusque matrem, dum viveret, sustentabat ;
3. ipsius erat familiam dirigere ; eique Maria et divinus infans plenam obedientiam praestiterunt.

Jesus humiles eligit ; silentium amat ; auctoritatem reveretur.

III. Quot et quantae *gratiae* ejus ?

Munus adeo praecelsum dona summa postulabat, quae praestantia sua solis Mariae matris ornamentis cesserunt. Pater ille fuit, quem venerabatur Filius incarnatus. Sponsus qui integerrima virgine indignus non reputabatur.

IV. *Honor perennis*. Munus illud singulare relationem ad Jesum fundavit, quae in cœlis non aboletur sed honoratur.

V. Discendum ex his : —

1. Divinae ordinationi in omnibus me subjicere ;
2. munere quotidiano fungi fidelissime ;
3. humilia praeoptare ;
4. Joseph, tamquam Christo carissimum, in mente habere, revereri, et ad ipsum confugere.

324. De ortu S. Joseph.

i. Beatum Joseph contemplare impigre laborantem pro familia sancta convenienter sustentanda.
ii. Ut dignitatem ejus intelligas virtutesque imiteris exora.

I. *Praedestinatio S. Joseph.*

In aeternis Dei decretis eminebat et nitebat Verbi divini incarnatio. Amore sempiterno statutum erat Christum ex virgine fore nasciturum, cujus sponsus, protector et prolis suae pater nutritius praedestinatione plane singulari fuit honoratus.

Dei providentiam admirare, quae ab aeterno in aeternum protendit, et vitae humanae negotia minutiora benigne disponit.

In libro praedestinationis divinae primus est Christus Jesus hominum Salvator, illi proxima mater ejus Maria Virgo, tertius beatus Joseph.

Gratias enixe referas, quod et tu speciali Dei electione intra praedestinatorum ambitum sis comprehensus. Ora atque efflagita ut tandem in libro vitae nomen tuum scriptum inveniatur.

II. *Prosapia.*

Ex stirpe virtutibus ac nobilitate praeclara ortus est beatus Joseph, — ex patriarchis, regibus, prophetis. « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham... Jacob autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. » M. 1, 1. 16.

Summus profecto originis honor Salvatori Christo debebatur. Hic autem natalium honos in Christum redundavit per inclytam ejus matrem et S. Joseph, patrem ejus nutritium.

Iterum contuere et admirare providentiam divinam. Perpende quae sit in Christo stirpis humanae regius decor, et quanto major honor venerabilis, qui beato Joseph contigit custodiendi et dirigendi coelestem prorsus Christi dignitatem.

Demum cogita nostram in Christo et per Christum naturam mirabiliter evectam.

III. *Sanctificatio.*

In utero probabiliter sanctificatus fuit ; etenim propinquior fuit Christo quam propheta Jeremias, vel ipse praecursor Joannes.

Beatae patriarchae sanctitatem saluta. Gaude quod et tu, si non in utero, saltem cito post nativitatem in vivifico Christi baptismate fuisti sanctificatus.

IV. *Immunitas.*

A concupiscentiae stimulis immunis denique erat, propter consuetudinem illam intimam atque perpetuam, qua cum Christo et Beata Maria Virgine gaudebat.

325. De gaudiis et doloribus S. Joseph.

1. Doluit de Maria sponsa sua inventa gravida, et voluit ideo occulte dimittere eam. Sed gavisus est, audito suavi nuntio ab angelo de superno beneficio incarnationis. « Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium : et vocabis nomen ejus JESUM : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » M. 1, 20. 21.

2. Tristitia gravissima affectus erat quando « locus non erat eis in diversorio : » statim vero laetatus est de ortu parvuli, de adoratione pastorum et magorum.

3. Vulnus circumcisionis vulnus pariter fuit cordi beati Joseph ; gaudium tamen ex imposito nomine JESU salvifico, dolorem lenivit.

4. Cum sponsa sua maestam audivit prophetiam Simeonis ; sed canticum *Nunc dimittis* fiduciam dedit et gaudium.

5. Longa fuit tristitia exilii Aegyptiaci ; suavis tamen et constans fuit societas cum divino infante, et beatissima ejus matre.

6. Ex Aegypto tandem regressus magnopere timuit crudelitatem Archelai in Judaea regnantis ; sed recepta angelica nuntiatione et consolatione secessit Nazareth.

7. Quis mente capiet quantus fuerit angor beati Joseph propter amissum puerum in Jerusalem ; quanta vero laetitia ejus, puero tandem invento in templo ?

8. Inter summa gaudia beati Joseph illud recensendum, quod Salvator ipse in carne visibilis ei adstiterit moribundo.

9. Admirabor denique Dei in suos benignissimam providentiam, qua fletibus exilii nostri dulciter gaudia misceantur.

326. De obedientia S. Joseph. [1]

1. « Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. » M. 1, 18.

Miro modo commotus fuit beatus Joseph, quando sponsam suam sanctam conspexit esse in utero habentem, attamen, verbis angeli auditis, nec quaesivit rei intelligentiam, neque signum petiit castimoniae Vir-

1. M. 2, 13-25.

ginis Matris, sed praecepto nuntii divini statim obedivit : « Fecit sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam. » ib . 24.

II. «Ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Aegyptum. » M. 2, 13.

In somno admonitus ut in Aegyptum confestim pergeret cum sancta familia, neque quaestionem movit de praevia promissione angelica (« Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.» M. 1, 21) ; neque conquestus est de itinere adeo difficili, vel de commoratione in regione ethnica Aegyptiorum, vel de periculis viae, vel de sponsae suae valetudine, neque vel minime cunctatus est, sed ea ipsa nocte discessit. Nihil interrogavit de exilii sui conditionibus vel diuturnitate, sed verbum angeli simpliciter accepit : « Et esto ibi usque dum dicam tibi. » M. 2, 13. Proinde « consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Aegyptum. » ib. 14.

III. « Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Aegypto, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israël. » M. 2, 19. 20. Praeceptum bene attende : Surge accipe, vade. Bene pariter nota actiones beati Joseph : « Qui consurgens, accepit puerum, et matrem ejus, et venit in terram Israël. » ib. 21.

IV. Dum praeceptum mihi imponitur —

1. An rationes ejus quaero ? an motiva investigo, an carpo superioris prudentiam ?
2. An difficultates obediendi computo ? an fingo praeceptum casum meum non complecti ? an proclamo necessitatem libertatis generosae, vel regulae inopportunitatem ?
3. An superiorum ordinationibus me submitto quoad officia mea, qualiacumque sint ?

4. An munera volo honorabilia ? an ad alia transferri cupio ?
5. An contentus sum ? an gaudens agnosco me nunc et in hoc opere Dei voluntatem facere, et ex virtute obedientiae agere ?

327. De aliis virtutibus S. Joseph.

i. Sanctum Domini nutritium contemplare in officina sua ad latus domus Nazarethanae, ubi puer Jesus ipsum laborando adjuvat.
ii. Pete ut melius intelligas quod vita Deo simpliciter placens consistit in Dei voluntate facienda etiam in rebus per se humilibus et obscuris.

Quae sequuntur nunc assidue meditare.

1. Consideretur in primis *humilitas* S. Joseph. Dominus domus Dei cum fuerit, et princeps omnis possessionis ejus, atque donis divinis insigniter locupletatus, S. Joseph locum semper tenuit ministri.

   Neque ullum verbum ab eo prolatum in sacris litteris commemoratur, neque actio ulla, quae coram mundo illustris diceretur.

2. Quibus adjunge considerandam admirabilem ejus *benignitatem*, qua, cum gravida esset Maria, nec eam a se retineri posse putaret, studuit tamen occulte dimittere eam, ut simul legem et vitam Mariae servaret.

3. Pependatur et simplex *fides* angelo praestita inclytum munus Jesu praenuntianti.

   Fides etiam notetur, quam exercuit erga Jesu divi-

nitatem, quae forte nonnisi raro signo aliquo fulgente manifestata est. Simili fide audiit hymnum gaudii et luctuosam Simeonis prophetiam.

Et tu pari modo fidem simplicem praebe divinis eloquiis, Jesu Salvatori nostro, et Ecclesiae, quae est arca salutis nostrae.

4. Recogitetur *castitas*, qua sponsam suam immaculatam non tetigit. Quemadmodum sanctitas egregia postulabatur ad munus regendae sanctae familiae, ita castissimus debuit eligi sponsus, qui cum Virginum Regina quotidie conversaretur, et cui incumberet officium sublime tractandi et dirigendi Filium Dei incarnatum.

5. Meditare tandem ejus *amorem* paternum erga Jesum cujus naturam, dignitatem et affectum novit, ac deinde dilectionem ejus conjugalem erga Mariam sibi divinitus datam.

Exemplo S. Joseph disce familiam totam in qua degis revereri et diligere, inferiores scilicet, socios, superiores ; illudque memorare semper quod amor non solum observantiam quamdam gignat, sed et affectum cordis et operis effectum.

328. In feste Patrocinii S. Joseph.

« Qui custos est Domini sui glorificabitur. » Prov. 27, 11.

« Est igitur consentaneum, et beato Josepho apprime dignum, ut sicut ille olim Nazarethanam familiam, quibuscunque rebus usuvenit, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio coelesti Ecclesiam Christi tegat ac defendat. » Leon XIII Ep. Encyc. die 15 Aug. 1889.

1. *Dignitas* S. Joseph animo volvatur.

Verisimile esse pie opinantur quidam, S. Josephum reliquos sanctos omnes gratia sua et beatitudine excellere.

Nam sicut munus ejus est quodammodo altioris ordinis munere apostolico, ita dici potest perfectius apostolorum ministerio.

a. Ratio est quia munus S. Joseph spectabat ad ordinem unionis hypostaticae : unde omnes fere labores et actiones suas proxime circa Christi personam exercebat.

b. Talem porro habuit uxorem, beatam nempe virginem Mariam, ut sola ejus societas et jugis familiaritas satis esset ad virtutem omnem, et praesertim religionem et pietatem erga Deum addiscendam.

c. Cui tandem adjungatur diuturna Christi conversatio, crebra et intima, et quasi continua occasio audiendi divina mysteria ex ore ejus et orandi illum et cum illo. Suarez. De Mysteriis vitae Christi. Q. xxix. D. 8. nn. 6. 10.

2. *Honor* beati patriarchae consideretur.

Qui primi tribuerunt cultum honoris S. Joseph fuerunt Maria, sponsa ejus immaculata, et Jesus, Filius Dei et Virginis Matris, qui tamen dignatus est haberi tamquam filius Joseph putativus.

Maria ipsum vere dilexit ut maritum suum justum et castum, ut solatium, protectorem, tutorem et caput.

Christus autem eum respexit tamquam carnis suae nutritium, tutorem humanum, patrem in terris, defensorem.

3. Quibus meditandum accedit quod S. Joseph, custos sanctae familiae est etiam ecclesiae Dei patronus cœlestis. « Pius Papa IX, satisfacere volens postulationibus omnium ferme Sacrorum Antistitum in Oecumenica etiam Vaticana Synodo manifestatas, sanctum Patriarcham Josephum Deiparae Virginis Sponsum

declaravit Ecclesiae Catholicae Patronum, ut ipsa, in miserrima hac temporum angustia plurimis exagitata calamitatibus, illius patrocinio, destructis tandem adversitatibus ac erroribus universis, secura Deo serviat libertate. » Ep. S. G. R. die 8 Dec. 1870.

4. *Potestas* S. Joseph ob oculos ponatur.

In ejus ore secundum mentem Ecclesiae verba ista ponere convenit : « Fecit me quasi patrem regis, et dominum universae domus ejus : exaltavit me ut salvos faceret multos populos. »

S. Teresia testatur egregia esse beneficia, quae receperat per intercessionem beati patriarchae, quam plane stupendam vocat et in omnibus negotiis efficacem. Vita, c. vi. paulo post med. (p 32).

329. In festo S. Luciae. [1]

« Qui autem gloriatur. in Domino glorietur. » 2 C. 10, 17.

Homines equidem nati sunt ad gloriam in civitate coelesti, ad felicitatem perennem, et ad honorem filiis Dei praedestinatum.

Ergo diligenter secernenda est vera a falsa gloria.

I. *Falsa autem est gloria* —

1. *Divitiarum*, quae manifeste praepostera esse facile liquet : « In multitudine divitiarum suarum gloriantur (mali). » Ps. 48, 7.

Eas autem sequitur inopia : « Dives cum dormierit, nihil secum auferet. » Job 27, 19.

---

1. Ex Sermone S. Thomae in hoc festo

2. *Honorum*, quae vana est : « Gloriantur in simulacris suis, » Ps. 96, 7.

Gloria insuper saepe in ignominiam commutatur : « Gloriam eorum in ignominiam commutabo. » Os. 4, 7.

3. *Voluptatum*, quae stulta est : « Quae in deliciis est (mulier), vivens mortua est. » 1 T. 5, 6.

Haec vero transit in angustiam luctus : « Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum : quia in corde suo dicit : Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo. » Ap. 18, 7.

4. *Iniquitatis*, quae mala est : « Quid gloriaris in malitia ? » Ps. 51, 3.

Et in tormenta aeterna deputatur : « Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. » Ps. 10, 7. Et alibi : « Vermis eorum non morietur. » Is. 66, 24.

II. *Vera autem gloria quaerenda est* —

1. *In cognitione Dei :* « Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam in terra. » Jer. 9, 24.
2. *In consideratione mirabilium Dei* : « Posuit (homines) gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus. » Eccli. 17, 8.
3. *In dilectione Dei* : « Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum. » Ps. 5, 12.
4. *In Dei laudatione* : « Ut confiteamur nomini sancto tuo : et gloriemur in laude tua. » Ps. 105, 47.
5. *In Dei perfruitione* : Satiabor cum apparuerit gloria tua. » Ps. 16, 15.

330. In feste SS. Martyrum Anglorum.

i. « Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. » L. 12, 8.

ii. Martyrum petam robur. « Omnes sancti Martyres, orate pro nobis. »

---

1. *Quinam* et quales fuerint ?

Viri ex gente et lingua nostra, plerumque juvenes, qui iisdem ac nos disciplinis instituti fuerunt ; quorum consuetudines hucusque permanserunt, qui iisdem ac nos difficultatibus et tentationibus premebantur ; ferventes tamen fuerunt ac fortes, fide pleni, pati dira ac fortia facere parati.

Ad avitam fidem patriam reducere anhelabant ; dura quaecunque ac mortem ipsam ignominiosam pro Christo ferre gaudebant.

Dominum laudabo de eorum praeclara confessione. Ipsis etiam sanctis Martyribus gratulabor.

2. *Qualibus* conspicui fuerunt *dotibus ?*

Zelo Dei et sacrae doctrinae, mundi contemptu, amore animarum ; et in munere apostolico toti fuerunt.

Quot et quanti dolores itineris subeundi ? quot adversariorum doli fugiendi ? quot incommoda toleranda ? Presbyterorum domus nulla, ecclesiae omnes ab haereticis occupatae, otium studendi modicum, librorum summa penuria ; attamen in causa salutis patriae desperanda non desperabant.

An istiusmodi qualitatum semina saltem in meipso reperio ? Nonne potius frequens socordia bono pluri-

mum obest ? Nonne saepius commoda mea potius quam ' ea quae Christi sunt ' sequi videor ? Ubi in me mundi contemptus ? ubi studium indefessum doctrinae sacrae ? ubi amor crucis ?

3. Christus sic *nos* cum apostolis *alloquitur :* « An potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ? »

Qualis autem calix iste ? Pro Christo fuit crux acerbissima ; pro nobis poterit esse labor, paupertas, humiliatio, contumeliae, infirmitates, vel etiam mors immatura.

331. In festo SS. Patronorum.

Docet Synodus Tridentina : «... sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre ; bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare ; et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. » Sess. xxv sub init.

Considerare juvabit fervorem nostrae devotionis quoad singulos patronos, inter quos habentur —

---

1. *Patrona principalis* : —

Beata Virgo Dei Genitrix Maria, — universorum hominum advocata potentissima in omnibus causis, iis praesertim quae spectant ad hoc regnum, quod in dotem accepit, — sacerdotum mater, regina et comes, — et totius loci hujus custos ac domina.

2. *Patroni secundarii* : —

S. Joseph, beatae Mariae virginis Sponsus, quem

gratia divina evexit ad munus altissimum patris in Sancta Familia ; « Constituit eum dominum domus suae. » Colitur insuper ut patronus Ecclesiae Dei, et omnium advocatus praepotens

S. Petrus, apostolorum princeps, qui omnia pro Christo reliquit, — infirmus sed ardens, — gratia tandem confirmatus, — quem Magister nominavit ad sedem primam, erga quam proavi nostri obedientiam adeo constantem exhibuerunt.

S. Bernardus, abbas, vir religiosus simul et apostolicus atque Ecclesiae Doctor, quo nemo suavius expressit Christi Salvatoris praeconia.

B. Joannes Fisher, Episcopus, laude vitae sanctae conspicuus, pro fidelitate erga sanctam Petri sedem martyrum antesignanus.

B. Thomas Morus, regni cancellarius, vir humanissimus et piissimus, qui superbo et audaci tyranno restitit usque ad sanguinis profusionem.

Socii eorum martyres, qui fideles inventi sunt omnes inter barbara illius aevi tormenta perpetienda.

3. *Patroni communes*.

S. Georgius, Angliae protector, de quo praecipue perpendendum est illud, quod de ipso canitur : — « Sancti per fidem vicerunt regna ; operati sunt justitiam ; adepti sunt repromissiones. »

S. Gregorius magnus, Angliae apostolus, cui debemus gentis nostrae conversionem ad fidem Christi. In eo contemplemur affectum humanitatis in servos Anglos, — zelum gentem nostram convertendi, — intentionis immobilitatem, — et doctrinam admirabilem.

S. Augustinus, Angliae pariter apostolus, et aptus Gregorii minister, qui fideliter, sancte et perseveranter opus a summo pontifice sibi commissum, tandem adimplevit.

4. *Patroni singulis proprii* : —

Sancti scilicet quorum nomina in baptismo et confirmatione recepimus, vel quos instinctu devotionis propriae elegimus.

332. In festo S. Thomae Aquinatis.

i. Menti proponantur principia evangelica: « Vos estis lux mundi :... Vos estis sal terrae :... Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et veni, sequere me. » M. 19, 21.

ii. Precabor cum Ecclesia : « Da nobis, et quae docuit, intellectu conspicere, et quae egit, imitatione complere. »

I. Sanctus Thomas, adhuc juvenis, divitias, honores famamque sponte dimisit, ut se totum Deo consecraret.

Quid *re*, quid *spe*, quid potissimum *affectu* dereliqui ego ?

Et sane sacer clericatus ordo non est munus professionale (ut aiunt), neque est commoda de futuro provisio, sed est coelestis vocatio ad divina.

An habeo ego, — an habere cupio spiritum paupertatis, humilitatis, vitae absconditae ?

II. Suasionibus, minis, violentiis, quibus sibi carissimi conati sunt ipsum divertere a Deo sequendo, fortiter et constanter restitit.

An ego pariter illis resisto (cognatis forte, amicis, sociis, hominibus mundanis) qui mihi quomodocunque impedimento sunt in propria vocationis meae perfectione acquirenda ?

III. Dum iniquissima et vehementissima illa parabatur tentatio ad ejus labefactandam castitatem, ipse instanter, viriliter, toto animo, arrepta titione, tentatricem fugavit.

An ego semper pari promptitudine et vigore suggestiones impudicas repello ?

IV. Studia ejus comitabantur ; —

a. *humilitas* : qua alumnus sivit se instrui ab imperito socio ; qua scriptor ne minimum quidem indicium unquam depromit vel nimiae sui aestimationis vel ostentationis ;

b. *simplicitas* : quaesivit semper quid sit Deus ? quid divina ? qualis in omnibus Dei operatio, rerumque ad Deum relatio ?

c. *oratio* : « Numquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem. In difficultatibus locorum sacrae Scripturae, ad orationem jejunium adhibebat. » Ex Brev.

d. *amor scientiae rerum divinarum* : « Inter omnia vero studia hominum, sapientiae studium est perfectius, sublimius, utilius et jucundius. » Contra Gentiles. l. c. 2. Professus est se nescire qua ratione vir religiosus posset alia quam Deum cogitare.

333. In festo S. Thomae Aquinatis (2).

De praenobili gratiae beneficio.

1. *Causa efficiens* gratiae est caritas Dei, quam S. Paulus nominat « nimiam caritatem qua dilexit nos. » Eph. 2, 4. Quae autem Dei caritas multipliciter nobis ostenditur :

a. in rerum productione naturali : « Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti. » Sap. 11, 25.

b. in paterno illo affectu, quo ad imaginem suam nos fecit, et capaces beatitudinis suae constituit : « Dile-

xit populos, omnes sancti in manu ejus sunt. » Deut. 33, 3.

c. in suavi clementia, qua hominem per peccatum corruptum reparavit :

« In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans. » Jer. 31, 3.

d. in divino amoris apice, quo pro salute nostra Filium dedit :

« Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. » J. 3, 16.

« O inaestimabilis dilectio caritatis, ut servum redimeres, Filium tradidisti ! » (Ex Praef. Paschali).

2. Gratiae *causa formalis* est amor misericors, quia causat bonitatem in dilecto : « Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super multitudinem bonorum.., quae largitus est nobis (secundum indulgentiam suam. » Is. 63, 7.

Divina autem misericordia infinita est ; quia temporalis non est sed aeterna, et potest omnem culpam et poenam remittere.

3. Gratiae tandem *causa finalis* est :

a. *justificatio* : « Convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati). » Eph. 2, 5.

b. *resurrectio* : « Et conresuscitavit nos... in Christo. » ib. 6.

c. *nostra in coelos assumptio* : « Et consedere (nos) fecit in coelestibus in Christo Jesu. » ib.

Ut ostenderet (« Videte qualem caritatem dedit nobis Pater » ut filii Dei nominemur et simus. » 1 J. 3, 1.)... *abundantes divitias gratiae suae* (« Nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus. » 1 J. 3, 2.) *in bonitate super nos in Christo Jesu*. ib. 7. (« Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.» Ps. 72, 1. « Bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum. » Thren. 3, 35).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

334. In festo S. Thomae Episcopi et Martyris. [1]

« Qui mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. » J. 12, 26.

I. *De dotibus ministerii sacri :*

Minister regis magni debet esse —

1. *formosus in specie :*
   a. per cordis puritatem : « Perambulabam in innocentia cordis mei. » Ps. 100, 2.
   b. per morum honestatem : « Conversationem vestram.. habentes bonam.. ut ex bonis operibus vos considerantes,glorificent Deum in die visitationis.» 1 P. 2, 12.
   c. per vestium varietatem : i. e. per virtutum varietatem et speciositatem : « Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. » Ap. 3, 4.
2. *intelligens in discretione :*
   a. ut intelligat Domini voluntatem : « Ministri ejus qui facitis voluntates ejus. » Ps. 102, 21.
   b. ut servet congruitatem : « Quis, putas, est fidelis servus, et prudens ? » M. 24, 45.
   c. ut exhibeat servitii libertatem : « Rationabile obsequium vestrum. » R. 12, 1.
3. *fidelis*, ne bona Domini auferat ; v. g. si de servitio Dei, gloriam sibi quaerat. « Gloriam meam alteri non dabo. » Is. 42, 8.

II. *Praemium ministerii* consideretur de quo dicitur, « Ubi sum ego, illic et minister meus erit. » Sed ubi est Christus ?

---

1. Ex Sermone S. Thomae in hoc festo.

a. cum Patre : « Ego in Patre, et Pater in me est. » J. 14, 10.
« Sedet ad dexteram majestatis in excelsis. » Heb. 1, 3.

b. in luce inaccessibili : « lucem inhabitat inaccessibilem. » 1 T. 6, 16.

c. in coelo, et in throno : « Sedenti super thronum, viventi in saecula saeculorum. » Ap. 4, 9.

Esse cum Patre notat gloriam ; in luce, — claritatem ; a dextris Dei, — jucunditatem ; in coelo, — loci amoenitatem ; in throno, — dignitatem.

335. In festo S. Timothei.

I. *Quis fuit* ? Timotheus, natus ex patre gentili et matre judaea, (quae ad fidem postmodum conversa est), ab infantia sub piis mulieribus sacris litteris edoctus, Lystris morabatur, quum S. Paulo sese adjunxit. Apostolus eum episcopum consecravit. Timotheus deinde Pauli comes fuit in itineribus suis. Ephesinae Ecclesiae postea praeficitur ac tandem martyrio coronatus est.

Pietatem, cooperationem cum gratia vocationis, fidelitatem erga S. Paulum, praeceptorem suum, et fortitudinem admirabor.

II. *Qualis fuit* ? Carissimus Pauli filius fuit in Christo, cujus sine intermissione apostolus memoriam habuit in orationibus. Vir fidei sincerae et indolis multum amabilis.

III. *Quaenam sunt monita* quae S. Paulus dulcissimo amico suo tradidit ?

1. « O Timothee, depositum custodi. » 1 T. 6, 20. Ar-

dorem conspice pastoris. Facile porro erit docilitatem et fidelitatem discipuli conjicere.

2. « Milites bonam militiam. » ib. 1, 18. Ad metam quippe contendendum est per ardua ac difficilia, contra hostes plures vigiles, peritos atque acres.
3. « Exerce teipsum ad pietatem. » ib.4, 7. Namque boni non nascimur, sed fimus per constans virtutum certamen, per frequentem bonorum actuum exercitationem, quae identidem nonnisi cum strenuo conatu peragitur.
4. « Exemplo esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. » ib. 12. Nostrum siquidem est Christum mundo praedicare et ostendere non verbis tantum, sed exemplo praesertim externo, moribus nimirum, indole, incessu, vultu. « Flamma namque pastoris, lux gregis. »
5. « Haec meditare, in his esto. » ib. 15; ne fortasse quorumlibet operum externorum zelo fucato a summis abripiaris.
6. « Attende tibi. » ib. 16. « A te consideratio inchoet, ne frustra extendaris ad alia, te neglecto. Quid tibi prodest, si mundum universum lucreris, te unum perdens. » S. Bernardus.

« Attende tibi et doctrinae. Insta in illis. (Quid sit instare in sacris officiis ?) Hoc enim faciens, teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. » ib. 16.

336. In festo S. Timothei (2). [1]

i. Sanctum Paulum mente contemplare Spiritus afflatu verba scribentem quae sequuntur.
ii. Petas ut tandem laudem merearis, quam S. Paulus Timotheo tribuit.

Neminem enim habeo tam unanimem, (Apostolus insinuare videtur sub suo moderamine sacerdotes haberi difficiles, indociles, murmuratores, non spirituales, et gustu evangelico haud repletos.

An studes sentire cum Ecclesia, et cum Episcopo proprio, non condemnare quod non intelligis, et disciplinae domus in omnibus te conformare ?)

qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit (i. e. cordis affectu, professionis veritate, operis effectu ; qui quidem veri nominis servitio gregi Christi se dedicavit).

Omnes enim quae sua sunt quaerunt, (Si S. Paulus de suis cooperatoribus istud affirmare potuit, quanto magis hisce mollioribus temporibus idem vitium pertimescendum videtur. Quaerebant scilicet plures commoda, libertatem, quietem, mundum, cibos exquisitiores, lucrum, promotionem, eminentiam.)

non quae sunt Jesu Christi (cujusmodi sunt, — animae, opera patientiae et humilitatis, paupertas, labor, dilatatio regni Christi, gloria Dei).

Experimentum autem ejus cognoscite, (Experimentum intimatur non incerti quidem sed certi exitus. S. Paulus cum fiducia discipulum suum mittit, quippe quem noverat esse instrumentum aptum ad omne opus ministerii sacri.)

1. Phil. 2, 20-22

quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio, (Reverenter, cum obedientia et affectu pio, sub magistri sui directione operatus est tamquam subditus atque discipulus et ad finem unum eumdemque. An tu reverentiam filialem concepisti erga superiores ? an monita eorum gratus suscipis ? an consilia adoptas ? an correctionem modeste et humiliter recipere soles ? an defectuum emendationem exhibes ?

337. In festo S. Titi. [1]

INSTRUCTIO EX EPISTOLA AD TITUM 2, 11-13.

Apparuit enim gratia (Ante Christum enim omnes quantumcumque essent justi, sub damnatione fuerunt, sed Christo Dei Filio carnem assumente, gratia apparuit. Olim erant tenebrae, nunc magnum pietatis sacramentum apparuit, quod manifestatum est in carne. At vero semper apud Deum misericordia, et fons gratiarum, sed latebat, quod ex psalmo colligere licet, ubi dicitur : « Domine, in coelo misericordia tua.» Ps. 35, 6 ; et rursum : « Qui sedes super cherubim, manifestare. » Ps. 79, 2.)

Dei (Et quo major Dei potentia, eo magis gratia ejus desideranda foret.)

Salvatoris nostri (Haec enim gratia Dei fuit maxime ad salvandum : « Salus autem mea in sempiternum erit. » Is. 51, 6.)

omnibus hominibus, (Restaurationis namque beneficia praecelsa haud uni hominum coetui, sed familiae universae sunt oblata. « Et revelabitur gloria Domini, et

1. Ex Comm. S. Thomae in h l

videbit omnis caro pariter quod os Domini, locutum est. » Is. 40, 5 ; et subjungitur : « Et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri, » ib. 52, 10.

Quae quidem gratia in Christi nativitate dupliciter apparuit : —

1. In quantum per maximam Dei gratiam datus est nobis Filius Dei Salvator. Unde ejus conceptio, cum sit opus totius Trinitatis, attribuitur tamen Spiritui sancto, qui est principium gratiarum. Et haec gratia apparuit omnibus hominibus, et specialiter homini Christo, qui erat plenus gratiae et veritatis.
2. In quantum etiam consecuta est humani generis instructio ; idcirco protinus subditur : —)

erudiens nos, (sicut homo filium suum erudit ; et quidem triplici modo : —)

a. *ut abnegantes impietatem*, (sensum scilicet irreligiosum, quo quis neque revelationem christianam recipit, neque Deum verum colit)

et saecularia desideria, (concupiscentias videlicet mundanas ac multiplices)

b. *sobrie*, (quoad nosmetipsos) *et juste*, (quoad proximum) *et pie* (quoad Deum) *vivamus in hoc saeculo*, (officia nostra universa praestando corde et oculis ad vitam futuram conversis)

c. *expectantes beatam spem*. (« Beati omnes qui expectant eum » Is. 30, 18.) *et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi*.

(Verba haec singula devote et cum magna reverentia et desiderio mente volvamus).

PARS QUINTA

DE SINGULIS ORDINIBUS

338. De prima tonsura.

i. « Faciem tuam illumina super servum tuum. » Ps. 118, 135.

ii. Deum precare cor vere paratum quo ductum supernum sequaris.

Initiatio ad statum ecclesiasticum quatuor complectitur, quae vitae clericalis sunt ratio praecipua et germen perfectionis sacerdotalis. Haec autem sunt : —

I. *Abrenuntiatio mundi* :

1. cujus symbolum apertum et externum videre est in comarum depositione ;
2. cujus declaratio expressa continetur in oratione, qua episcopus Spiritum sanctum precatur ut initiatos defendat —
   a. a mundi impedimento, scilicet a distractione negotiorum, a curis familiae, a mentis dissipatione ;
   b. a desiderio saeculari, a desiderio nimirum auri, voluptatis et otii ;
   c. ab omni caecitate spirituali, verbi gratia —
      a/ quod vocationis suae sanctae spiritum non comprehendant ;
      b/ quod mentem Christi, vel rationem veram religionis ejus non intelligant ;
      c/ quod a fide vel pietate deficiant.

II. *Electio Domini in sortem.*

Haec electio a singulis fit solemniter, quando tamquam discipuli fideles Christo vocanti respondent :

Dominus pars haereditatis meae et calicis mei : tu es qui restitues haereditatem meam mihi. Quae verba sacra hic tecum repetas cum animo iterum atque iterum firmius firmiusque te cultui divino devovendi.

Huic consecrationi juremerito adjungitur : —

1. actus fiduciae : *Conserva me Domine, quoniam speravi in te.*
2. actus gaudii : *Domini est terra, et plenitudo ejus. Quis ascendit in montem Domini ? Haec est generatio quaerentium Dominum.*

III. *Impositio habitus clericalis.*

Qua de re attente notentur et bene retineantur verba pontificis :

(Spiritus sanctus) *habitum religionis in eis in perpetuum conservet* : et, *quibus in tuo sancto nomine habitum sacrae religionis imponimus.*

Cujus habitus significationem apte manifestant locutiones quae illico subduntur : *Induat te Dominus novum hominem* (deposito scilicet vetere), *qui secundum Deum creatus est* (secundum voluntatem Dei, i. e. secundum ejus mandata et consilia), *in justitia* (in omni agendi rectitudine erga Deum et homines) *et sanctitate veritatis* (in unione cum Deo secundum ipsam rerum veritatem objectivam).

IV. *Institutio sacra.*

Ritus quidem solemnis est ab Ecclesia institutus cui gratia tamquam Sacramentali est adnexa. In eo nominatim pro novis clericis petitur a Deo perseverantiae donum, ut opus nunc feliciter incoeptum, constanter perficiant. Demum Ecclesia juvenibus levitis jura eorum confert et privilegia.

De omnibus gratias age ; attende tibi ; et quid sis constitutus intellige.

339. Officia clerici.

« Aperite mihi portas justitiae: ingressus in eas confitebor Domino. » Ps. 117, 19.

I. Praecipuum quoddam clerici officium est mundo valedicere, seu mundo societatem abrenuntiare. Qua in abrenuntiatione plura includuntur :

1. Abrenuntiationis signum, seu vestes clericales. An illas ut oportet revereor ? An inter ferias vestes gero, quae juvenem ecclesiasticum decent atque manifestant ?
2. Associatio cum levitis, quorum saltem longe major pars sunt hujus regionis futuri apostoli.
3. Destinatio ad ministerium sacerdotale, cujus est populum dirigere eique in rebus praestantissimis servire.
4. Studia proprie ecclesiastica et disciplina sacra.
5. Hujus porro renuntiationis motivum est amor Dei : « ... pro ejus amore. » An forsan ego sum ex iis, qui statum ecclesiasticum ambiunt propter lucrum, vel sustentationem, vel dignitatem, vel honores vel otium ? Quae omnia non tantum insufficientia essent, sed et prava et periculis plena. « Quicunque ergo voluerit amicus esse saeculi hujus, inimicus Dei constituitur. » Jac. 4, 4.

II. Clerici igitur est : —

1. omni desposita ambitione sordida, *humilitatem* amare atque amplecti ;
2. relictis atque spretis divitiis, *paupertatem* colere ;
3. amicitia renuntiata vitae mundanae, honestae quidem sed deliciis affluenti, *apostolos sequi*, quos

Dominus noluit possidere neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis ;

4. rejecta quoque vita otiosa et magis sibi quam aliis dedita, ad perpetuum *aliorum ministerium* deputari.

III. Ex Ecclesiae solemni institutione didicimus insuper clerici esse mores mundanos abjicere : cujusmodi essent —

1. rerum quaerere superfluitatem, quae sita esset in luxu, vel inconvenientia vestium, librorum, picturarum, supellectilis ;
2. gustibus mundanis indulgere : i. e. dare se amori immodico rerum politicarum, litterariarum, vel earum quae ad ludos pertinent.

Postremo ad tantum ac tam difficile opus pontifex subsidium divinum deposcit, dicens : « Quod ipse vobis concedat per Spiritum sanctum suum. »

340. Admonitio pontificis clericis facta.

Filii carissimi, (nunc primum, absoluta initiatione, Ecclesia hoc amabili titulo juvenes levitas designat)
animadvertere debetis, (Oportet vos expendere, cogitare, rite judicare quid sit vobis concreditum. Non enim est initiatio haec ritus mere caeremonialis, sed functio sacra et Ecclesiae sacramentale.)
quod hodie de foro Ecclesiae facti estis, (e turba laicorum segregati estis, et adscripti tamquam levitae in sortem Domini)
et privilegia clericalia sortiti estis (Dominus nunc apertum dedit indicium electionis suae. Quid vero singulis agendum, Ecclesia ipsa nos docebit).
Cavete igitur, (Adest proculdubio periculum aliquod. Plurimi enim, manibus suis ad aratrum missis, retro

respexerunt, et abierunt. Confidendum tamen auxilio coelesti, quia norma est divinae providentiae ut una cum gradu et officio gratiae dentur opportunae. At vero levitarum est gratiis cooperari.)

ne propter culpas vestras (per inconsiderationem, levitatem, segnitiem, teporem vel vitia)

illas perdatis ; (Quis non novit illos de quibus dicere forte licet, eos gratiam vocationis sacerdotalis propria culpa amisisse ?)

et habitu honesto, (nitido, sobrio, gravi, statui conveniente, et secundum morem Ecclesiae)

bonisque moribus (Sanctitas enim dos est levitarum, quam externis etiam actibus praelucere oportet.)

atque operibus (Nam quod digni sint clerici ut in sacra hierarchia deinceps promoveantur, veris atque realibus indiciis virtutis ecclesiasticae ostendere debent.)

Deo placere (Dedecet profecto juvenem, qui se Deum tamquam portionem suam accepisse profitetur, agere quasi servum ad oculos.)

studeatis (opus sane virile et arduum est cultura bonae vitae ; ergo magis magisque enitendum cum cura, amore et perseverantia ad finem praestitutum).

341. De officio Ostiariorum.

i. Monitum reverenter ausculta : *Videte quae in domo Dei agere debeatis.*

ii. A Christo summo pontifice fidelitatem in hoc munere deprecare.

---

1. In sacra hierarchia septem ad sancta sanctorum gradus instituti sunt. Longa est praeparatio ministrorum, mul-

tiplex eorum instructio atque benedictio, ut muneris altitudini apte respondeat gradus sanctitatis.

2. Ostiarii officia sunt : —
   a. *percutere cymbalum et campanam* (ut fideles vocentur ad officia divina) ;
   b. *aperire Ecclesiam et sacrarium* (sacristiam) ;
   c. *librum aperire ei qui praedicat*.
   Ubi et quando haec tibi facere contingit ? Quo animo ea omnia peragere soles ?

3. Animadvertendum igitur haec officia ab Ecclesia esse sacrata.
   Et circa ea Ecclesia ministros suos admonitos esse vult : —
   a. de fidelitate : *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus quae his clavibus recluduntur*.
   b. de negligentia : *Providete igitur, ne per negligentiam vestram, illarum rerum, quae intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat*.
   c. de certa et accurata ratione peragendi cuncta quae ad officium pertinent suum : *ut sit eis fidelissima cura in domo Dei*.

4. Ut mos est Ecclesiae, officia materialia sensu spirituali seu mystico ornanda sunt et vivificanda. Officia enim illa (docente ritu pontificali) in signum sunt exempli et conversationis ministrorum. *Sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo, et aperiatis Deo.*

5. Pontifex Deum suppliciter exorat, ut ostiariis muneris sui gratiam concedere dignetur, et in oratione sua mercedem vitae aeternae iis praemonstrat : *Et inter electos tuos partem tuae mereantur habere mercedis.*

342. De munere Lectoratus.

i. Te cum sociis alloquitur pontifex : *Officium vestrum agnoscite, et implete.*

ii. Animum pete in bonis assiduum, dicto fidens pontificis : *Potens est enim Deus, ut augeat in vobis gratiam perfectionis aeternae.*

---

1. Quaenam sunt hujus ordinis officia ?
   a. legere scripturas tum in officio divino tum in instructione elementari ;
   b. lectiones cantare in solemnioribus functionibus cultus divini ;
   c. benedicere panem et omnes fructus novos.

2. Quid docemur circa modum haec officia implendi ?
   Studete (quo verbo innuuntur attentio, industria, gravitas, sollertia)
   verba Dei, videlicet lectiones sacras
   distincte (ut patescat sonus litterarum et syllabarum, et pulchritudo et magnificentia dictorum)
   et aperte proferre (Sint nimirum verba clara et sonora, ita ut ab omnibus faciliter et cum delectatione capi possint.)
   ad intelligentiam (Hinc bene notandum quod minister Ecclesiae debeat in primo loco intellectum auditoris sui illuminare.)
   et aedificationem fidelium (Haec motiva sunt lectionis et instructionis publicae : mature igitur addiscatis quomodo id sit rite faciendum).
   In alto loco stetis (sine ignobili rubore et verecundia, sed cum humilitate) *ut ab omnibus audiamini.*

3. Quid ex his discere opus est ?
Quod ore legitis, ---
a| corde credatis : (An lectiones quae mihi legendae contingunt cum spiritu fidei recitare soleo ?)
b| atque opere compleatis. (An cogito quod ea, quae lego vel canto mihi etiam in opere sunt perficienda ? An inter varias actiones meas interdum ea revocare soleo, quae ex sacris paginis legebam ceteris ?)

Praeterea : *vos in alto virtutum gradu* (debetis) *conversari* (si non inter perfectos, saltem inter proficientes) ; *quatenus cunctis, a quibus audimini et videmini, coelestis vitae formam praebeatis.* Vita autem coelestis est illa profecto, quae ducitur secundum praecepta et exempla divini Filii, quem Pater de coelis misit in mundum.

343. De munere Lectoratus (2).

i. « Ego tuli Levitas a filiis Israël. » Num. 3, 12.
ii. Agnosce te in ministerium Ecclesiae novi testamenti esse dedicatum.

---

1. *Electio.*

Electi, filii carissimi, ut sitis lectores in domo Dei nostri :... quos in ordinem lectorum dignatus est Deus assumere.

Quorum verborum sensum sedulo perpende. Deus te vocavit ; ad altiora te invitat. An paratus es vocem Magistri fideliter sequi ?

2. *Nominatio.*

Coetui lectorum adscriptus es auctoritate S. Matris Ecclesiae. Ejus autem deputatio his verbis continetur, quae diligenter sunt pensanda :

Accipite, (Quid ? Nunc primum ordinando traditur res non tam materialis quam spiritualis, scilicet, liber, immo liber librorum, et liber super reliquos omnes vere ecclesiasticus, nimirum codex sacrarum scripturarum. Hujus igitur studio vacare quotidie novo titulo necesse est.)

et estote verbi Dei relatores, (non tantum ut legatis, sed etiam ut verbum Dei aliquatenus exponatis).

3. *Promissio.*

habituri, si fideliter (secundum operis dignitatem et superiorum praecepta) *et utiliter* (cum fructu proprio et aliorum) *impleveritis officium vestrum, partem cum iis,* (cum prophetis, et sanctis levitis et sacerdotibus veteris testamenti, cum apostolis, patribus et missionariis) *qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio.*

4. *Benedictio.*

Super noviter ordinatos benedictio omnipotentis invocatur eo fine : —

1. *ut distincte legant, quae in Ecclesia legenda sunt ;*
2. *ut assiduitate lectionum instructi sint atque ordinati,* (Quibus commendatur frequens lectio sacrae scripturae, et studium indefessum eorum, quae in decursu praeparationis ecclesiasticae in seminario docentur.)
3. *et agenda dicant,* (cum intelligentia et zelo) *et dicta opere impleant* (Valido enim robore caret hortamentum, quod non firmatur loquentis exemplo).

344. De Exorcistatu.

i. Aures reverenter patefacias monito pontificis dicentis : *Debetis noscere quid suscipitis.*

ii. Verba Evangelii ad mentem revoca : « Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi daemonia. » Mc. 3, 15 ; item : « In nomine meo daemonia ejicient. » Mc. 16, 17.

iii. Ora ut quidquid Ecclesia a te in hoc munere expectet, scire et adimplere possis.

De Exorcistatus gradu haec pensentur :

1. *Munera.*

Exorcistae namque est ---

a. Abjicere daemones. Christi discipuli profiteri potuerunt : « Domine, etiam daemonia subjiciuntur nobis. » L. 10, 17. Nunc vero Ecclesia munus instituit religiosum. *Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos, et per impositionem manuum vestrarum, gratia Spiritus sancti, et verbis exorcismi, pelluntur spiritus immundi a corporibus obsessis.* Constituuntur nempe exorcistae ut sint *spirituales imperatores* et ut *probabiles sint medici Ecclesiae Dei.*

2. *Instructio moralis.*

Pontifex excorcistas multis exhortatur.

a. Studete.. ut a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam ejiciatis.

b. Discite per officium vestrum vitiis imperare ; ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare (praesertim invidiae, inobedientiae, superbiae, mendacii).

Et si minutiora quaeras, haec accipe : Cave a tentatione diabolica ; resiste diabolo, fortis in fide. Utere aqua lustrali cum fide et reverentia. Crebro tandem usurpa dictum dominicum : « Libera nos a malo ; » et illud Ecclesiae : « Ab insidiis diaboli, libera nos, Domine. »

345. De Acolythatu.

i. Animum attende ad verba pontificis graviter te monentis : *Pensate quod suscipitis.... Studete.. susceptum officium digne implere.*

ii. Ora ferventer ut intelligere valeas muneris hujus altitudinem ejusque officia tam materialia quam spiritualia.

Hujus ordinis notae praecipuae studiose considerentur, nimirum :

I. *Munera.*

Acolytho namque incumbit —

1. *Ceroferarium ferre* inter Missarum solemnia. Huc etiam revocari forsan poterit munus deferendi intorticia ad sanctiorem Missae actionem, ad Benedictionem pariter et processionem SS. Sacramenti. Huc etiam refertur Missae privatae inserviendi munus licet inferius, honore tamen conspicuum.
2. *Luminaria ecclesiae accendere.*
3. *Vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare.* Hinc directe occupantur Acolythi in ministerio eucharistico ; sequuntur ministros sacros, assistunt lectioni Verbi Dei scripti, et cooperantur, vinum et aquam deferendo, in solemni actu, quo corpus reale et sanguis vivificus Christi Dei conficitur.

II. *Officia.*

Acolythorum quippe est —

1. supradicta omnia explere gravitate convenienti et modo accurato ;
2. congruam muneri vitam ducere.

Quamnam exhibes sollicitudinem ad addiscendum ea, quae ad munus tuum spectant ?

III. *Instructio pontificis.*

1. *Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus praeferentes, operibus tenebrarum inserviatis.*
2. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Hinc non debet latere virtus clerici, sed patescere. Ac etsi ei in animo esse non debet exemplum praebere ex intentione directa et continua ; nihilominus ejus exemplum debet ex vi sua omnibus clarescere.

346. Vita Acolythorum. [1]

1. *In medio nationis pravae et perversae,* (Hic nota applicationem utriusque epitheti ad mundum, et oppositionem inter Ecclesiam ejusque ministros et spiritum mundanum.)

lucete sicut luminaria in mundo, (Quae verba repugnantiam contra mundum, et virtutum eminentiam acolythis insinuant suadentque)

verbum vitae continentes (i. e. non mundana sed divina et evangelica, Christique praecepta et consilia prae se ferentes).

---

1. Secundum pontificale.

2. *Sint ergo lumbi vestri praecincti*, (sitis sicut viri parati, expediti, et disciplinati)
et lucernae ardentes in manibus vestris (Mittit nos cum auctoritate ; zelo igitur et pietatis et doctrinae ardeamus).

3. *Abjiciatis opera tenebrarum, et induamini arma lucis* (Conamen indicatur : adhibenda resistentia cum oratione, cura cum desiderio boni).

4. *Ut filii lucis sitis* (exculti in schola ejus, qui dixit se esse lumen verum, et lumen mundo datum).
Ut filii lucis ambulate.
(Qualis vero est haec lux ?)
Fructus enim lucis est in omni bonitate, (in actibus cujuslibet virtutis) *et justitia*, (sive intelligatur rectitudo et sanctitas, sive justitia strictioris nominis) *et veritate* (cum candore et absque dolo).

5. *Estote ergo solliciti in omni justitia, bonitate, et veritate ; ut et vos, et alios, et Dei Ecclesiam illuminetis.*
Tunc etenim in Dei sacrificio digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium, per castam vitam, et bona opera oblati fueritis.

347. Gratia Acolythatus.

i. Salvator, exemplar nostrum, de se hoc vitae documentum reliquit : « Lux sum mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. » J. 8, 12.

ii. Spiritum sanctum deprecare, ut quae in hoc munere materialia sunt, spiritualiter intelligas.

I. Ex praevia meditatione recolligatur quod Acolythatus sit sacra deputatio ad sacrificium Eucharistiae.

II. In memoriam revocetur quadruplex hujus ordinationis benedictio : —

1. ut Acolythi sint *lumen spirituale* : « Quatenus lumen visibile manibus praeferentes, lumen quoque spirituale moribus praebeant. »
2. ut sint ministri in munero suo *fideles* : « Ut.. sanctis altaribus tuis fideliter subministrent. »
3. ut rite constituantur in *hierarchia* Ecclesiae : « Benedicere dignare hos famulos tuos, ut sint Acolythi in Ecclesia Dei. »
4. ut ad finem usque *perseverent* : « Ut ita acceptum ministerium, te auxiliante, peragant, qualiter ad aeternam remunerationem pervenire mereantur. »

III. Consideretur nunc triplex gratia, quae poscitur a Deo : —

1. *Auxilium Christi :* « Adjuvante Domino nostro Jesu Christo. » Cogita quomodo ministerium tuum informandum sit adjutorio divino.
2. *Fiducia*: « Accende, Domine, mentes eorum et corda ad amorem gratiae tuae, ut illuminati vultu splendoris tui fideliter tibi in sancta Ecclesia deserviant. »
3. *Scientia et pietas* : « Ut eorum mentes, et lumine scientiae illustres, et pietatis tuae rore irriges. »

IV. Perpendatur demum : —

1. Similitudo quae proponitur inter Acolythatum et *ministerium a Deo institutum* in antiquo foedere : « Qui ad Moysen et Aaron locutus es ut accenderentur lucernae in tabernaculo testimonii: (« ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii. » Ex. 27, 20. 21).
2. Relatio quae ostenditur ad *lumen a Christo inductum* in mundum : «... de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum. » 1 P. 2, 9.
3. Relatio ad *sanguinem et aquam* ex latere Christi pro salute generis humani effluentem.

348. De Subdiaconatu.

i. Repraesenta tibi Christum apostolos ad sui sequelam invitantem. Respice deinde ipsum eos publice et solemniter in apostolatum nominantem. Ipsum ausculta eos de zelo, simplicitate, paupertate et humilitate alloquentem.

ii. Deum fidenter precare ut ordinis hujus obligationes rite valeas cognoscere, et ut ad illum digne suscipiendum assidue te praepares.

I. « Iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. »

Quoad onus istud notanda sunt atque perpendenda : —

1. *Status ecclesiastici permanentia* : « Si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari. »

An serio nunc totam vitam Christo vis consecrare et dedicare ?

An vita tua praesens hanc dedicationem adumbrare videtur ?

2. *Servitium Ecclesiae* : quod complectitur —

a. curam pastoralem, quae ob animarum zelum suscipitur, labore peragitur quotidiano, et apostolica fulget paupertate ;

b. laudes numinis supremi in divino officio singulis diebus usque ad mortem pie ac fideliter recitandas;

c. mores colendos ecclesiasticos non mundanos, habitumque clericalem semper retinendum.

3. *Castitas*, sacerdotum gloria simul et miraculum :. « et castitatem, Deo adjuvante, servare oportebit. »

II. An sincere desideras, constanter, dum laborare poteris, in ministerio animarum permanere, ut Deo servias, animas Christo lucrifacias, et sic propriam tuam animam salvare possis ?

An ita diligis orationem, ut libens ac gaudens tandem suscipias onus haud leve et perpetuum breviarii pie recitandi ?

An habitus ecclesiastici simplicitatem ac decorem revereris ?

An placent tibi ea, quae mundana sapiunt, an ea quae sapiunt spiritum religionis ?

An castitatis cultor es assiduus ?

349. Subdiaconatus onera.

i. Christus, prout merito confidis, te ad apostolatum vocavit.

ii. Christus, uti cum fiducia sperare poteris, te tandem constituet in coetu ministrorum suorum.

iii. De tam alta vocatione gratias age; fiduciam pete, et robur et fidelitatem.

---

1. Hujus sacri muneris onera privilegia sunt et honores, nempe : — status perpetuitas ; servitium Ecclesiae, cura nempe pastoralis, breviarii recitatio devota, cultus divinus, atque castitas perfecta.

2. De singulis officiis iterum abs te quaeras utrum ista, Deo quidem te adjuvante, praestare possis ac velis.

3. Ac nominatim haec tibi examinanda submittas :

Quo sensu dici possit quod sis homo orationi deditus ?

An poteris portare onus Officii quotidiani ?

Quomodo preces tuas nunc ordinarie recitare soles ?

Quali amore ac pietate nunc officium recitas quando in choro cantari contingit ?

An interdum breviarium recitas vel solus, vel cum socio, ut regula domus tibi suggerit ?

4. De castitatis amore et custodia quid dicendum ?

An carnem adhuc superasti ? An quoad hanc materiam debilior esse videris ? An occasiones quaeris? An, sicut oportet, malum fugis ?

5. Quid praesertim appetendum vides in statu ecclesiastico ? An forte statum socialem, quo tibi ad gentes cultiores patebit ingressus ?

An munus ambis hominum aestimationi honorificum?

An plausum appetis hominum ? an otium ?

6. An statum cleri saecularis ingrederis propter legendi vel studendi opportunitatem ?

An sincere quaeris animas Christo lucrifacere ?

An Deum super omnia intueris, cui servire cupis, cujus regnum augere tandem poteris ?

An hunc statum ingredi desideras ut salutem propriam securius consequi valeas ?

7. Quid judicas de sanctitate requisita in ordine ecclesiastico, ac nominatim de sanctitate officii pastoralis ?

350. Officia Subdiaconi.

i. Verba audias pontificis, qui ordinandos graviter praemonet : Videte cujus ministerium vobis traditur.

ii. Gratiam hujus status efflagita.

Subdiaconorum officia in duas maxime classes dispertiuntur :

I. Officia **materialia** seu visibilia circa corpus Christi reale : —

1. calicem et patenam cum hostia in usum sacrificii diacono porrigere ;
2. aquam in calicem infundere, quo actu intime sacrificium participat ;
3. diacono ministrare, ut supra, et dum sustentat librum sacrorum evangeliorum ;
4. pallas altaris et corporalia debita cura et reverentia abluere ;
5. calicem, completo sacrificio, abstergere.

Officia singula observa, eorumque ad Eucharistiam relationem animadverte. Quoad omnia praesertim nota quid ad actionem piam spectare possit. Officiis enim recensitis, Ecclesia sic hortatur candidatos: *Studete.. ut ista visibilia ministeria.. nitide* (cum munditie et accurata ratione) *complentes, invisibilia horum exemplo perficiatis* (non enim materialia propter se ipsa tandum, sed propter altiora, scilicet spiritualia, fieri debent).

II. Officia **spiritualia**, et quae sunt circa corpus Christi mysticum quod est Ecclesia.

1. Sane *Altare quidem sanctae Ecclesiae ipse est Christus, teste Joanne, qui in Apocalypsi sua altare aureum se vidisse perhibet, stans ante thronum, in quo et per quem oblationes fidelium Deo Patri consecrantur* (Ap. 8, 3).
2. *Cujus altaris pallae et corporalia membra sunt Christi, scilicet fideles Dei, quibus Dominus, quasi vestimentis pretiosis circumdatur, ut ait Psalmista : Dominus regnavit, decorem indutus est.*
3. *Beatus quoque Joannes in Apocalypsi vidit Filium hominis praecinctum zona aurea, id est Sanctorum caterva* (Ap. 1, 13).
4. *Adeoque, si forte maculentur fideles, praebenda est*

(colloquio, vel instructione, vel exemplo, vel sanctam crucem deferendo, vel Epistolam legendo) *aqua cœlestis doctrinae, qua ablui possint, ei restitui ad ornamentum altaris, quod est Christus.*

5. Episcopus demum ordinandos sic alloquitur : — *Estote digni ut servire valeatis* (a) *corpori Christi sacrificio divino* : (b) *corpori Christi mystico in fide et assiduitate* : *Estote tandem vigiles, sobrii, casti.*

III. Privilegia : —

1. choro ecclesiastico perpetuo adscribi ;
2. castitatis gloria perpetuo insigniri ;
3. sacras vestes induere ;
4. Epistolam cantare ;
5. votum pronuntiare famulatus stabilis in opere pastorali.

351. Gratia Subdiaconatus.

i. Repraesenta tibi Episcopum subdiaconos humi prostratos ante altare solemniter benedicentem.

ii. Auxilium subdiaconis desuper paratum agnosce, et Deum pie flagita ut sacro illo statu tandem dignus inveniaris.

---

1. Pro mox ordinandis pontifex Deum suppliciter orat :
   a/ ut a Deo benedicantur (benedictione fecunda) ; ut a Deo sanctificentur (gratia superna informati) ; ut a Deo consecrentur (divino servitio perpetuo dedicati) ;
   b/ ut Deus ministris suis gratiam concedat bene praestandi hujus ordinis officia : « quod ipse vobis praestare dignetur. »

2. Subjungit pontifex : « Infundat Dominus benedictionem suam et gratiam
   a/ ut in conspectu ejus (ad oculos Domini non hominum) fideliter servientes, (secundum canones ecclesiasticos, et secundum vota Ecclesiae, quae per hortamenta et consilia episcoporum nobis saepius manifestantur)
   b/ praedestinata sanctis praemia consequantur : (Ordo sacer itaque non est finis, sed medium ad finem supremum.)...
   c/ ut eos in sacrario tuo sancto strenuos (promptos nimirum validosque) sollicitosque (scilicet neque negligentes, neque negotiis deditos alienis) coelestis militiae instituas excubitores (acutos nempe ac vigiles: ex qua metaphora disce muneris gravitatem:)
   d/ et requiescat super eos Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis ; et repleas eos Spiritu timoris tui ; (Haec de Christo olim dicta, nunc ministris suis applicantur.)
   e/ et eos in ministerio divino confirmes, ut obedientes facto,ac dicto parentes, tuam gratiam consequantur. »

3. Rationem ac spiritum muneris collati Episcopus exprimit dicens :
   a. amictu designatur castigatio vocis (ab immunditiis, a laesione proximi, a frivolis) ;
   b. manipulo designantur fructus bonorum operum ;
   c. tunica designantur jucunditas et laetitia in Domino.

352. De officio divino.

i. In memoriam revoca visionem S. Joannis : « Et vidi. et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni,.. et erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna : Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. » Ap. 5, 11. 12.

ii. Deum obnixe roga donum bene orandi.

---

1. Officium divinum est imitatio continuae laudis angelicae : « Et quantuor animalia... requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. » Ap. 4, 8.

2. Aspiratio ad Deum ab ipsius amicissimis per totum terrae orbem facta desinit nunquam.

3. Huic admirabili choro et coelesti et terestri tua vox indigna, Dei beneplacito, associatur, tibique incumbit officium gravissimum decantandi laudes Dei (*a*) nomine Ecclesiae; (*b*) pro aliis, qui vel ab oratione impediuntur, vel qui multum indigent auxilio orationis; (*c*) pro teipso.

4. Non igitur est opus leviter vel perfunctorie agendum ; sed quia post sacramentorum administrationem omnium ministeriorum sacerdotalium ratione dignitatis locum altissimum obtinet, assidua cura est persolvendum —
   a. omni sollicitudine externa ad tempus neglecta et spreta ;
   b. rite selecto loco tranquillo et situ reverenti ;
   c. non festinanter sed satis lente.

5. Utile forsan erit perpendisse difficultates, quae nonnullis occurrere possunt : —

a. Onus est : et vere quidem, quia officium divinum non amas, aut quia non intelligis hoc vel istud, quod in officio legitur.

b. Obscurum est : et certe, quia sublime quum sit, numquam forte dedisti satis studii ut psalmos, historiam sacram, prophetas vel hymnos intelligas.

c. Opus est devotione carens : O si scires donum Dei ! Considera quid sit sacrum illud officium. Attende lectioni et doctrinae.

d. Obligatio semper est aggravans animam, et arcte ligans voluntatem : Breviarium itaque recita mature et non tarde, et evadet donum liberum et oblatio gratissima. Denique, non tam quid requiratur quaeras ut licite recites breviarium, sed quid exigatur ut illud recites devote.

353. De ordine Diaconatus.

i. Singulos ordinandos de muneris quod optant gravitate non cessat pontifex admonere : *Cogitate magnopere ad quantum gradum ascenditis.*

ii. A sacerdote summo Christo Jesu debitae praeparationis sensa ac studium deprecare.

Circa diaconii munus quatuor maxime meditanda occurrunt :

I. *Ordo ipse*, qui proprie leviticus nuncupatur, seu electus. Sicut enim in veteri testamento tribus Levi sola electa fuit a Deo in servitium templi et sacrificiorum (ex qua dignitate tribus Domini vocari meruit), ita diaconi nunc eliguntur in ministerium tabernaculi excellentioris, nimirum Ecclesiae Dei, cujus est conflictu perenni luctari contra mundum et potestates tenebrarum.

II. *Officia* : —

1. ministrare ipsi sacerdoti in sacrificio eucharistico ;
2. solemniter baptizare ;
3. praedicare verbum Dei ;
4. Evangelium solemniter cantare :
5. sacramentum Eucharistiae tenere et deferre ;
6. Eucharistiam ministrare.

III. *Sanctitatis conditio :* de qua triplex depromitur suffragium :

1. Archidiaconi, qui ait : *Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii.*
2. Populi, qui sic ab Episcopo interpellatur : *Si quis habet aliquia contra illos, pro Deo, et propter Deum, cum fiducia exeat et dicat.*
3. Episcopi, qui animam suam ita de ordinandis aperit : *Licet divini sensus et summae rationis ignari, horum vitam, quantum possumus, aestimamus.. Deum* (tamen) *nobis occulta non fallunt.*

   Solus Deus vitam ordinandi judicio infallibili scrutari potest ; ipse potest eam purgare, et quae sunt agenda concedere. Providendum igitur ut non solum superioribus, sed Deo praesertim te virtutibus commendes.

IV. Haec ordinis sacri institutio fit, —

1 oratione plurima : *quod vobis concedat per gratiam suam* ;
2. benedictione multiplici : *benedictione sanctificet et confirmet. Spiritum tuae benedictionis emitte.*
3 communicatione Spiritus sancti : —
   a. singulis : *Accipe Spiritum sanctum, ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus.*
   b. universis : *Emitte in eos Spiritum sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septiformis gratiae tuae munere roborentur.*

354. De moribus diaconorum.

i. « Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. » 2 Tim. 1, 6.
ii. Ora ut habeas virtutes beati Stephani.

I. Levitae dicuntur sorte vocati, seu divino ministerio addicti, adeoque (*a*) assumpti sunt a carnalibus desideriis, et a terrenis concupiscentiis, quae militant adversus spiritum ;

(*b*) assumpti sunt in ministerium tabernaculi testimonii, i.e. Ecclesiae Dei. *Quam Ecclesiam Dei, velut tabernaculum, portare et munire debetis ornatu sancto, praedicatu divino, exemplo perfecto.*

Haec assumptio declaratur esse res dignissima, gravis, perpetua et difficilis.

(*c*) Quia ministri sunt Christi, haereditas et tribus Domino amabilis, ideo monentur ut sint *nitidi* (verbo et sermone), *mundi* (ab inquinatione corporea), *puri* (corde a sordibus averso), *casti* (affectu adhaesionis ad Deum).

Immo, quia comministri futuri sunt corporis et sanguinis Domini, ita eos hortatur pontifex : *Estote ab omni illecebra carnis* (ab omni occasione mala) alieni. « *Mundamini qui fertis vasa Domini.* » Is. 52, 11.

II. Diaconorum mores, docente Ecclesia, insigni splendore debent enitere. Eos enim praemonstrare oportet lucidum vitae exemplum. *In moribus eorum praecepta tua fulgeant,.. ut suae castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat.*

III. Rursum sic eos hortatur pontifex : *Habete pedes vestros calceatos sanctorum exemplis, in praeparatione Evangeli pacis* (Eph. 6, 15).

Postremo ut virtutis fastigium ob oculos incessanter habeatur, pontifex ita Deum precatur : *Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, spiritualis observantia disciplinae... In Christo firmi et stabiles perseverent.*

355. Exemplum S. Stephani, diaconi.

i. Auctoritate sanctae Matris Ecclesiae nobis exemplum beati protomartyris imitandum proponitur : *Cogitate beatum Stephanum.*

ii. In hujus considerationis punctis singulis recogita quantum et quoties a superioribus vel ab Ecclesia illa vel consimilia monitus fueris.

iii. Auxilium Dei ad exemplar diaconorum aliquatenus in te exprimendum fidenter petas.

In beato Stephano haec nitent meditanda :

1. *Vocatio.* « Elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto. » Act. 6, 5. Ritus ordinationis et aliud notat, nempe, Stephanum merito praecipuae castitatis ab apostolis ad officium istud fuisse electum.

2. *Dotes* : fides, gratia Spiritus sancti, robur : « .. plenus gratia et fortitudine. » id. 8.

3. *Opera pastoralia.* « Et verbum Domini (Stephano ceterisque diaconis praedicantibus) crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum. » ib. 7.

4. *Robur.* Judaei adversarii cum Stephano disputabant,

« et non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur (in ipso) ». ib. 10.

5. *Apprehensio.*

a/ « Adduxerunt eum in concilium. » ib. 12. « Omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem angeli. » ib. 15.

b/ Cum sapientia insigni, intellectu fidei et robore mentis loquens, ita audacter exorsus est: « Viri fratres et patres, audite. » Et postquam historiam populi Dei summatim narrasset, adversarios increpavit dicens : « Vos semper Spiritui sancto resistitis, sic ut patres vestri ita et vos. Qui accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis. » Act. 7, 51-53.

c/ « Audientes autem, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. » ib. 54.

6. *Visio coelestis.* « Cum autem plenus esset Spiritu sancto, intendens in coelum vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait : Ecce video coelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. » ib. 55.

7. *Martyrium.* « Et lapidabant Stephanum invocantem, et dicentem : Domine Jesu, suscipe spiritum meum. » ib. 58.

« Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens : Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. » ib. 59.

356. De sanctitate praerequista ad sacerdotium.

i. Siquidem juventus tota non sufficit ut aliquis ad sacerdotium pro merito praeparetur, Ecclesia omnes qui aspirant ad munus adeo sublime hisce verbis vult esse admonitos : *Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est.*

ii. Christus Dominus non solum per tres annos discipulos suos instituit, verum etiam post resurrectionem « per dies quadraginta apparuit eis, et locutus est de regno Dei. » Act. 1, 3.

iii. Vocationis tuae aestimationem justam a sacerdote summo Christo precare.

I. Ad sacerdotii munus inclytum plurima ab Ecclesia praeexiguntur :

1. *Coelestis sapientia,* non terrena tantum prudentia vel sagacitas.
2. *Probi mores* : quod ita exponitur : *Servate in moribus vestris castae et sanctae vitae integritatem.* Et quidem si « Vita seminaristarum vere sancta esse debet, » quanto magis sanctitatis gradus adhuc altior in sacerdote postulatur.
3. *Diuturna justitiae observatio,* quae quidem cordis purgatio animique cultura incipere debent « a teneris annis, » et « in primo ad sacerdotium stadio, » eo fine ut sacerdotes « fide et opere sint perfecti, » videlicet, non sola fidei scientia praediti, sed et perfectionis studiosi, et in bonis actibus semper assidui.

II. Ordinandi quidem ad sacerdotium monentur : « *Ut eluceat in eis totius forma justitiae,* quod fieri non potest nisi post diuturnam et arduam virtutis exercitationem, et quod nisi cura sollicita conservari nequit.

Sacerdotium ergo in se recludere debet quidquid est virtutis eminentis in gradibus successivis, quibus ad fastigium tantum ascenditur.

Rogatur denique Deus, *ut innovet in visceribus eorum spiritum sanctitatis*. Neque obliviscendum quod sacerdotes, qui ad munus pastorale deputantur, in adjutorium muneris episcopalis (quod est status perfectionis) vere cooptati sunt.

III. Ut ordinandi onere presbyterii digni habeantur, inquisitio instituitur, et judicium fertur. Triplex nempe adducitur testimonium : —

1. Archidiaconi, qui his verbis testimonium suum profert : *Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii.*
2. Episcopi, qui in sua oratione sic eloquitur : *Eorum conversatio, quantum mihi videtur, probata et Deo placita ; digna, ut arbitror, ecclesiastici honoris augmento.*
3. Populi, cujus suffragium a pontifice rogatur : *Ne unum fortasse, vel paucos, aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum* (ordinandorum) *actibus* (particularibus) *aut moribus* (tota vitae ratione) *noveritis, quid de merito* (qualitatibus nimirum positivis) *sentiatis, libera voce pandatis.*

357. Officia Sacerdotis.

i. Dictum reminiscere pontificis, quod in aliorum jam ordinatione pluries audisti : *Illud* (munus nempe sacerdotale) *digne suscipere, et laudabiliter exsequi studeatis.*

ii. Verba institutionis Eucharistiae in mentem revoca : « Coenantibus eis, accepit Jesus panem... et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum. » M. 26, 26.

iii. Ferventer precare ut studiosa praeparatione ad gratiam sacerdotalem secure tandem perducaris.

I. Muneris sacerdotalis symbola sunt stola, quae significat jugum Domini, casula ad caritatem praefigurandam imposita, quae demum explicatur in signum innocentiae.

II. Sacerdotis officia summa haec recensentur :

a. benedicere et consecrare : (Ad quod manus unguntur totae, consecrantur, sanctificantur, benedicuntur, ut et ipsae valeant alia sacrare : *Ut quaecunque benedixerint, benedicantur.)*

b. baptizare : (Ipse enim ut minister ordinarius homines recipit in gremium Ecclesiae, et ad gratias Christi.)

c. praeese: (Sacerdotum etenim est eminere auctoritatis munerisque honore, sapientia, Evangelii scientia, morum gravitate, virtutum exercitatione, ut vere « sint animabus duces et magistri. »)

d. praedicare : (Oportet ergo sacerdotes, sicut providos cooperatores ordinis episcopalis, verbum Evangelii, seu verbum Dei fidelibus aliisque auditoribus ministrare cum intelligentia, applicatione congrua ad necessitates populi, pietate sincera.)

e. offerre : (Verba illa tremenda cogita : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare.* Quot et quanta sub formula ista sacra reclusa habentur ! Panis coelestis, memoria mirabilium suorum Dei, Sacramentum sacramentorum, mors Domini, Missae sacrificium, communio sacerdotis, distributio Corporis Christi fidelibus, Christi Jesu penes nos praesentia corporalis, Benedictio SS. Sacramenti.)

f. peccata remittere. (Ordinationis fastigium memorare, dum pontifex Spiritum sanctum, Christi ordinatione, communicat ad veniam peccatoribus elargiendam : *Quorum remiseris peccata, remittuntur eis.*)

III. Ordinatione sua sacerdos ad coetum apostolicum aggregatur, id ipso pontifice commonefaciente : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos.*

IV. Sacerdos novellus denique se ad proprium episcopum accingit titulo reverentiae specialis atque obedientiae.

358. Adumbratio vitae sacerdotalis. [1]

i. « Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum. » Heb. 12, 2.

ii. Deum supplex roga, ut in virum vere apostolicum te dignetur efformare.

I. Sacerdotes instruendi sunt disciplinis, *quae Tito et Timotheo Paulus exposuit* : ex quibus tria ad oculos patent. — studium nempe, virtutum exercitium et caritas pastoralis.

---

1. Ex umonitis potificiis in ordinatione sacerdotis.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

II. *In lege Dei die ac nocte meditentur* sacerdotes : ubi notanda praesertim veniunt —

1. materia perpendenda, divina scilicet lex seu doctrina ; adeoque commendatur scientia sacra (et quidem in toto suo ambitu), quae supernaturalis est ratione materiae, finis et auxilii ;
2. studii perennitas seu constantia ; quod non obstantibus impedimentis vitae pastoralis, habitum studendi jugiter conservent ac nutriant ;
3. cordis simplicatis : *quod legerint, credant* (viva et lucida fide), *quod crediderint doceant* (qua de re animadvertenda est connexio intimata inter lectionem et praedicationem), *quod docuerint, imitentur* (monetur sacerdos, ne sub quovis praetextu aliud doceat, et aliud ipse agat) ;
4. intima demum ratio considerationis, sed meditatio, qua indicatur studium profundius, quod non rei tantum corticem respicit, sed ad medullam penetrat.

III. Qui ad presbyterii honorem evectus fuerit, in sese ostendat —

1. *justitiam* (animae sanctitatem, et aequitatem agendi);
2. *constantiam* (ut inter tot vitae hujus difficultates, norma actionis sacerdotalis, qualis ab institutoribus tradita fuit, semper retineatur) ;
3. *misericordiam* (ne inconsiderate vel dure agat in gregem Christi, sed omnes dulcedine et mansuetudine studeat ad Magistrum ducere) ;
4. *fortitudinem* (ne forte in adversis succumbat, ne odiis et inimicitiis deprimatur, ne propter irritos conatus animo despondeat).

IV. Ex ipso suo munere ac professione sacra sacerdotem oportet *virtutes exemplo suo praebere*, et deinde *admonitione confirmare, ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodire.*

359. Monita episcopi mox ordinandis data.

i. Magistri et exemplaris verbum ausculta : « Quis ex vobis arguet me de peccato ? » J. 8, 46.
ii. Humiliter Deum obsecra gratiam fidelitatis et perseverantiae.

---

1. *Agnoscite quod agitis.*
Quid autem est quod agendum habes ?
Corpus et sanguinem Domini tractare.
Crucis ipsius sacrificium incruentum offerre.
Mysterium fidei perficere.
Peccatorum remissionem concedere et salutem animarum operari.
An haec omnia fide clara agnoscis et pio affectu prosequeris ?

2. *Imitamini quod tractatis.*
a/ Mortem Domini quotidie annuntias.
Episcopus igitur his verbis ordinandos monet : *Mortificare membra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis.*
b/ Jesum praesentem super altare ponis, tangis, ore sumis.
Adesto semper muneri tuo. Sanctus et castus sis, qui sanctum sanctorum manibus suscipere audes.
c/ Jesum populo manducandum distribuis.
Accende te zelo animarum, quas tantopere diligit Jesus. Sit principium tuum agendi, « Omnia pro lucro animarum. » Sis populi tui pastor bonus. Te ne quaeras nec tua, sed fructum gregis Christi.
d/ Jesus odit mundum.

Ne quaeras quod displicet magistro tuo.

e. Cibus ejus erat facere voluntatem Patris.

Quaenam sunt praecepta, regulae, statuta secundum quae vitam tuam ordinare teneris ? Cujusnam voluntatem facis ? An amas, an forsan excutere velis jugum obedientiae ?

f. Jesus mitis erat et humilis corde.

Qualis tua mansuetudo erga socios et inferiores ? Qualis humilitas ? an colis eas virtutes primarias ? an crescit in te verus humilitatis sensus ?

Ne fugias ergo labores, dolores, difficultates, incommoda, inopiam. Querelas ne moveas de iis, quae te faciunt Magistro similiorem. Ne quaeras oblectamenta ; ne affectes pretiosiora, delectabiliora.

3. *Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei.*

Scire studeas cor humanum. Nota habeas medicamenta sacrorum eloquiorum. Replearis spiritu Christi.

Ne agas vel loquaris ex frigido muneris debito, sed ex caritate erga animas Christi sanguine redemptas.

4. *Sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi.*

Vita enim sapientis circa se diffundit miram quamdam suavitatem. At vero hujusmodi sanctitas non est mere incipientis ; non est mediocris, sed provecta, bene radicata, qua veluti natura nova induimur.

360. Sacerdos « alter Christus. »

i. Magistrum nostrum Christum ausculta sic Patrem suum pro sacerdotibus, quos ipse instituerat, exorantem : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo. » J. 17, 11.

ii. Sensum Christi ardenter efflagita.

Multiplici ratione sacerdos vocari potest « alter Christus : » nimirum —

1. *missione* a Christo recepta : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. » J. 20, 21.

2. *auctoritate*, de qua apostolus S. Paulus declarare potuit : « Accepimus gratiam, et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus. » R. 1, 5.
« Tu ergo accinge lumbos tuos, et surge, et loquere ad eos omnia quae ego praecipio tibi. Ne formides a facie eorum : nec enim timere te faciam vultum eorum. » Jer. 1, 17. cf. J. 14, 27.

3. *potestate*, quae apostolis eorumque successoribus a Christo omnium pariter Salvatore benigne collata est,—
   a. in Corpus Christi reale : « Hoc facite in meam commemorationem. » L. 22, 19.
   b. in animas poenitentium : « Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. » J. 20, 22. 23.
   c. in praedicatione : quemadmodum enim circuibat Jesus praedicans Evangelium (M. 4, 23), ita apostolis summum commisit opus idem evangelium omnibus gentibus communicandi : « Praedicate evangelium omni creaturae. » Mc. 16, 15 (Quae praedicatio et doctrinam sacram, et virtutes et sanctitatis perfectionem spectat.)
   d. in munere animas salvandi : Sicut enim « Christus venit peccatores salvos facere, » ita ministros suos mediis salutis mirificis instruxit ;

4. *in sanctitate* : nam ad sui imitationem apostolos praesertim invitavit dicendo : Sequere me... Ego sum via... Estote perfecti... Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis.

5. Sicut Christus, ita sacerdos *missus est quam maxime* —

a. ad peccatores : « Non sum missus (dixit Christus) nisi ad oves quae perierunt domus Israël. » M. 15, 24 ; de ministris autem hoc ultimum tradidit documentum : » (Oportet) praedicari in nomine ejus (Christi) poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. » L. 24, 47.

b. ad infirmos : nam sicut omnes ad se peramanter vocavit Magister dicens : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » M. 11, 28 ; ita discipulis dixit : « Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite. » M. 10, 8.

6. Pariter quemadmodum fuit Magister, ita et sacerdos longanimis esse debet : « Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. » M. 18, 22 ; et etiam laboriosus : « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. » J. 10, 11 ; id quod S. Paulus in se illustrabat quando professus est : « Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris. » 2 C. 12, 15.

7. Demum sicut Christus, ita et sacerdos ad munus deputatur boni pastoris, qui oves cognoscit et amat, atque ad pascua cœlestia tandem deducit.

MEDITATIONUM ORDO.

PARS TERTIA. ITER PER LITURGICUM ANNUM.

Caput primum. Gemmae ex Missali collectae et contemplatae.

1. Dominica I. Adventus 9
2. De spiritu Adventus. 10
3. Dominica II. Adventus 12
4. Dominica III. Adventus 13
5. De spiritu Adventus (2) 14
6. Dominica IV. Adventus 16
7. In Circumcisione Domini. 17
8. In Circumcisione Domini (2) 19
9. In Vigilia Epiphaniae Domini 20
10. In Epiphania Domini. 21
11. In Epiphania Domini (2). 22
12. Dominica infra Octavam Epiphaniae . . . 24
13. Dominica II post Epiphaniam 25
14. Dominica III post Epiphaniam. 27
15. Dominica in Septuagesima 28
16. Dominica in Sexagesima. 30
17. Dominica in Quinquagesima 31
18. Feria Quarta Cinerum 33
19. Feria Quarta Cinerum (2) 34
20. Feria Quinta post Cineres 36
21. Dominica I Quadragesimae 37

22. Dominica II Quadragesimae. 39
23. Dominica III Quadragesimae. 40
24. Dominica IV Quadragesimae. 42
25. Dominica Passionis. 43
26 Dominica in Palmis. 44
27. In Coena Domini. 46
28. In Coena Domini (2). 47
29. In Parasceve. 49
30. In Parasceve (2) 50
31. In Sabbato Sancto. 52
32. Dominica Resurrectionis. 53
33. Dominica Resurrectionis (2). 55
34. Dominica Resurrectionis (3). 56
35. Quare Christus resurrexerit ? 58
36. Ex resurrectione quid discendum ? . . . 60
37. De vulneribus Christi resuscitati 61
38. De cicatricibus Christi gloriosis. 63
39. De resurrectione spirituali. 64
40. De resurrectione spirituali (2). 65
41, Flores ex sacra liturgia. 67
42. Dominica in Albis. 68
43. Dominica II. post Pascha. 70
44. Dominica III. post Pascha. 71
45. Dominica IV. post Pascha. 73
46. Dominica V. post Pascha 74
47. In Ascensione Domini. 76
48. In Ascensione Domini (2). 77
49. Suaves affectus erga Christum triumphantem. 79
50. In verba Epistolae ad Hebraeos 13, 8. . . 80
51. Dominica infra Octavam Ascensionis. . . 81
52. In Festo Pentecostes 83
53. In Festo Pentecostes (2). 84

54. De Spiritu sancto. 86
55. De operationibus Spiritus sancti. 87
56. De operationibus Spiritus sancti (2) . . . 89
57. Spiritus sanctus in opere Incarnationis . . 90
58. In Festo SS. Trinitatis 91
59. In Festo SS. Trinitatis (2). 93
60. De sacrosancto Trinitatis mysterio. . . . 94
61. De amore Dei. 96
62. In Solemnitate Corporis Christi. 97
63. De promissione sacratissimi Sacramenti. . . 99
64. Promissionis dominicae adimpletio. . . . 100
65. De institutione Sacratissimi Sacramenti . . 102
66. De Sacratissimo Sacramento. 103
67. De sublimitate SS. Eucharistiae 104
68. De nominibus Sanctissimi Sacramenti. . . 105
69. Eucharistici doni summa convenientia. . . 107
70. Eucharistia ut memoriale Salvatoris . . . 108
71. Quare Corpus Christi detur velatum . . . 110
72. De tribus mirabilibus in Corporis Christi consecratione. 112
73. De qualitate praeparationis nostrae. . . . 114
74. Donum maximum cibi coelestis. 115
75. Donum maximum cibi coelestis (2). . . . 117
76. Corpus Christi medicamentum vitae et immortalitatis 118
77. De anima ad Eucharistiam praeparanda. . 120
78. Dominica I. post Pentecosten. 121
79. Dominica II. post Pentecosten. 122
80. Dominica III. post Pentecosten 123
81. Dominica IV. post Pentecosten 124
82. Dominica V. post Pentecosten. 126
83. Dominica VI. post Pentecosten 127

84. Dominica VII. post Pentecosten 129
85. Dominica VIII. post Pentecosten . . . 130
86. Dominica IX. post Pentecosten 132
87. Dominica X. post Pentecosten 133
88. Dominica XI. post Pentecosten 135
89. Dominica XII. post Pentecosten 136
90. Dominica XIII. post Pentecosten . . . 138
91. Dominica XIV. post Pentecosten . . . 139
92. Dominica XV. post Pentecosten 141
93. Dominica XVI. post Pentecosten. . . . 142
94. Dominica XVII. post Pentecosten . . . 144
95. Feria IV Quatuor Temporum Septembris . 145
96. Feria VI Quatuor Temporum Septembris . 147
97. Sabbato Quatuor Temporum Septembris . 148
98. Dominica XVIII. post Pentecosten . . . 150
99. Dominica XIX. post Pentecosten . . . 151
100. Dominica XX. post Pentecosten. . . . 153
101. Dominica XXI. post Pentecosten. . . . 154
102. Dominica XXII. post Pentecosten. . . . 156
103. Dominica XXIII. post Pentecosten. . . 157

FESTA DOMINI INFRA ANNUM OCCURRENTIA.

104. In Festo Sanctissimi Nominis Jesu. . . 159
105. In Festo Sanctissimi Nominis Jesu (2). . 160
106. « Jesu rex admirabilis. » 162
107. Laus nominis Jesu 163
108. De sanctissimo nomine Jesu. 165
109. In Festo Orationis D. N. J. C. . . . 166
110. In Festo Passionis D. N. J. C. . . . 167
111. In Festo Spineae Coronae D. N. J. C. . 169
112. In Festo Lanceae et Clavorum D. N. J. C. 170

113. In Festo SS. Sindonis D. N. J. C. . . 172
114. In Festo Quinque Plagarum D. N. J. C. 173
115. De Quinque Vulneribus. 174
116. In Festo Inventionis S. Crucis 176
117. In Festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. 177
118. In Festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. (2) 179
119. In Festo Pretiosissimi Sanguinis D.N.J.C.(3) 180
120. De Sanguinis Christi multiplici effusione . 182
121. De valore Sanguinis Christi. 184
122. De virtute Sanguinis Christi. 185
123. De virtute Sanguinis Christi (2). . . . 187
124. De virtute Sanguinis Christi (3). . . . 189
125. De utilitate Sanguinis Christi. 190
126. In Festo Exaltationis S. Crucis 192
128. De Cruce Domini 193
129. De pretio in cruce soluto 194
130. De Sanctissimo Redemptore 196
131. Qualitates redemptionis. 198
132. In Festo SS. Redemptoris. 199
133. In Festo SS. Redemptoris (2). 201
134. In Festo Omnium Sanctorum. 202
135. In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum. 203
136. In Festo Dedicationis Ecclesiae 205
137. In Festo Dedicationis Ecclesiae (2) . . . 207
138. Hymnus angelicus 208
139. Symbolum nicaenum 210
140. Symbolum nicaenum (2) 211
141. Symbolum nicaenum (3) 213
142. Symbolum nicaenum (4) 215
143. Symbolum nicaenum (5) 216

Caput II. gemmae ex breviario collectae et contemplatae.

144. Beatus vir. . . . . Ps. cxi . 221
145. Beatus vir (2). 222
146. Confitebor tibi Domine . . . Ps. cx. . 224
147. Confitebor tibi Domine (2). 225
148. Confitemini . . . . . Ps. cxvii. 227
149. Confitemini (2) 228
150. Confitemini (3) 229
151. Confitemini (4) 231
152. Confitemini (5) 232
153. Confitemini (6) 234
154. Conserva me . . . . . Ps. xv. . 235
155. Conserva me (2) 237
156. Credidi. . . . . Ps. cxv . 238
157. Credidi (2). 239
158. Cum invocarem . . . . . Ps. iv. . 241
159. Cum invocarem (2) 242
160. Deus, Deus meus. . . . . Ps. xxi . 243
161. Deus, Deus meus (2). 245
162. Deus, Deus meus (3). 246
163. Deus, Deus meus (4). 248
164. Deus, Deus meus (5). 249
165. Deus, Deus meus (6). 250
166. Deus, Deus meus (7). 252
167. Deus, judicium tuum regi da . Ps. lxxi . 254
168. Deus, judicium tuum regi da (2) 256
169. Deus, judicium tuum regi da (3) 257
170. Dilexi quoniam . . . . . Ps. cxiv . 258
171. Dixit Dominus . . . . . Ps. cix . 260

172. Dixit Dominus (2) 261
173. Dixit Dominus (3). 263
174. Ecce nunc benedicite . . . Ps. cxxxiii 264
175. Fundamenta ejus. . . . . Ps. lxxxvi. 266
176. Fundamenta ejus. 268
177. In exitu Israël. . . . . Ps. cxiii . 269
178. In exitu Israël (2) 270
179. In exitu Israël (3) 272
180. In te Domine speravi . . . Ps. xxx . 273
181. Judica me, Deus . . . . . Ps. xlii . 275
182. Judica me, Domine . . . . Ps. xxv . 277
183. Laetatus sum . . . . . Ps. cxxi . 278
184. Laetatus sum (2). 280
185. Lauda Jerusalem Dominum. . Ps. cxlvii. 281
186. Laudate Dominum omnes gentes. Ps. cxvi . 283
187. Laudate pueri Dominum 285
188. Memento Domine David . . Ps. cxxxi. 286
189. Memento Domine David (2) 288
190. Memento Domine David (3) 290
191. Memento Domine David (4) 291
192. Nisi Dominus. . . . . Ps. cxxvi. 292
193. Nisi Dominus (2). 294
194. Qui habitat. . . . . Ps. xc . 296
195. Qui habitat (2) 297
196. Qui habitat (3) 299
197. Qui habitat (4) 300
198. Salvum me fac, Deus . . . Ps. lxviii. 302
199. Salvum me fac, Deus (2). 303
200. Salvum me fac, Deus (3) 305
201. Salvum me fac, Deus (4) 306
202. Salvum me fac, Deus (5) 308
203. Salvum me fac, Deus (6) 309

204. Salvum me fac, Deus (7) 311
205. Salvum me fac, Deus (8) 312
206. Canticum. Benedictus 314
207. » Benedictus (2) 315
208. » Benedictus (3) 317
209. » Benedictus (4) 318
Canticum. Isaiae. 12, cf. 1. 323. 412,
Canticum. Magnificat . cf. n. 233.
Canticum. Nunc Dimittis.. cf. n. 240.
210. Doxologiae in fine quinque librorum Psalmorum. 320
211. Doxologiae (2) 331

PARS QUARTA. DE SANCTIS DEI.

CAPUT PRIMUM. DE BEATA DEI MATRE.

212. De Immaculata Conceptione B. M. V. . 325
213. De Immaculata Conceptione B. M. V. (2). 326
214. De Immaculata Conceptione B. M. V. (3). 328
215. De Immaculata Conceptione B. M. V. (4). 329
216. De Immaculata Conceptione B. M. V. (5). 330
217. De Immaculata Conceptione B. M. V. (6). 332
218. De Immaculata Conceptione B. M. V. (7). 333
219. De Nativitate B. M. V. 334
220. De Nativitate B. M. V. (2) 336
221. De Nativitate B. M. V. (3) 337
222. Sanctissimum Nomen Mariae. 338
223. Sanctissimum Nomen Mariae (2). 340
224. Sanctissimum Nomen Mariae (3). 341
225. De Praesentatione Beatae Mariae in templo 343

226. De Praesentatione Beatae Mariae in templo (2) 344
227. De Desponsatione B. M. V. 346
228. De Annuntiatione B. M. V. 347
229. De Annuntiatione B. M. V. (2) 348
230. De Annuntiatione B. M. V. (3) 350
231. De Visitatione B. M. V. 351
232. De Visitatione B. M. V. (2) 353
233. De Visitatione B. M. V. (3) 354
234. Expectatio Partus 356
235. De Purificatione B. M. V. 357
236. De Purificatione B. M. V. (2) 359
237. De Purificatione B. M. V. (3) 360
238. De Purificatione B. M. V. (4) 362
239. De Purificatione B. M. V. (5) 363
240. Canticum Simeonis 364
241. Prophetia Simeonis. 366
242. Dolores B. M. V. 367
243. Dolores B. M. V. (2) 368
244. Dolores B. M. V. (3) 370
245. Dolores B. M. V. (4) 371
246. In Festo Dolorum B. M. V. 372
247. In Festo Dolorum B. M. V. (2) . . . 374
248. Dormitio Beatæ Mariæ Virginis 375
249. Assumptio Beatæ Mariæ Virginis. . . . 376
250. Assumptio Beatæ Mariæ Virginis (2). . . 377
251. Maternitas Beatæ Mariæ Virginis. . . . 379
252. Maternitas Beatæ Mariæ Virginis (2) . . 381
253. Maternitas Beatæ Mariæ Virginis (3) . . 383
254. Maternitas Beatæ Mariæ Virginis (4) . . 384
255. Puritas B. M. V. 386
256. De Castitate 387

257. Puritas Virginis Matris. 389
258. Patrocinium B. M. V 390
259. Patrocinium B. M. V. (2). 391
260. In Festo Beatæ Mariæ de Mercede . . . 393
261. De Rosario. 394
262. De Rosario (2) 396
263. Methodus pie recitandi Rosarium. . . . 397
264. De speciali invocation B. M. V 399

Caput II. De Angelis et de Apostolis.

265. De Angelis Dei 401
266. De Angelis Dei (2) 403
267. De Angelis Custodibus 404
268. Munia et actiones Angelorum Custodum. . 406
269. De vocatione Apostolorum 407
270. De vocatione Apostolorum (2). 409
271. De vocatione Apostolorum (3). 410
272. Apostolorum conditio 412
273. Apostolorum dignitas 413
274. Apostolorum munera. 415
275. Apostolorum missio. 416
276. In Festo S. Petri. 418
277. De fide S. Petri. 419
278. De ardore S. Petri. 421
279. De lapsu et pœnitentia S. Petri 422
280. Ex epistola prima S. Petri. 424
281. In Festo S. Joannis. 425
282. In Festo S. Joannis (2). 427
283. In Festo S. Andreae. 428
284. In Festo S. Andreae (2). 430
285. In Festo S. Andreae (3). 431

286. In Festo S. Andreae (4). 433
287. In Festo S. Philippi. 435
288. In Festo S. Bartholomaei 437
289. In Festo S. Bartholomaei (2) 438
290. In Festo S. Matthaei 439
291. In Festo S. Matthaei 440
292. In Festo S. Thomae. 442
293. In Festo S. Jacobi (Minoris) 443
294. In Festo SS. Simonis et Judae 445
295. In Festo SS. Simonis et Judae (2) . . . 446
296. In Festo S. Matthiae 448
297. In Festo Conversionis S. Pauli 450
298. In virtutibus S. Pauli 451
299. De humilitate S. Pauli 453
300. De Vocatione S. Pauli 454
301. S. Paulus ut « Vas electionis. » 456
302. In Festo S. Lucae 457
303. In Festo S. Lucae (2) 458
304. In Festo S. Barnabae 459

CAPUT. III. DE MARTYRIBUS DEQUE CETERIS SANCTIS.

305. In Festo S. Ambrosii 462
306. In Festo S. Antonini. 463
307. In Festo S. Bedae 465
308. In Festo S. Caeciliae 466
309. In Festo S. Caeciliae (2) 468
310. In Festo S. Caeciliae (3) 469
311. In Festo S. Caeciliae (4) 471
312. In Festo S. Caroli 472
313. In Festo S. Caroli (2) 474
314. In Festo S. Catharinae. M 475

315. In Festo S. Catharinae. M (2). 476
316. In Festo S. Catharinae. M (3). 478
317. In Festo S. Catharinae. M (4). 479
318. In Festo S. Francisci Assisii 480
319. In Festo S. Francisci Assisii (2) 482
320. In Festo S. Francisci Xaverii. 483
321. In Festo S. Francisci Xaverii (2). . . . 484
322. In Festo S. Gregorii Nazianzeni. . . . 486
323. In Festo S. Joseph Sponsi Beatae Mariae Virginis. 487
324. De ortu S. Joseph. 489
325. De gaudiis et doloribus S. Joseph. . . . 490
326. De obedientia S. Joseph. 491
327. De aliis virtutibus S. Joseph. 493
328. In Festo Patrocinii S. Joseph. 494
329. In Festo S. Luciae. 496
330. In Festo SS. Martyrum Anglorum . . . 498
331. In Festo SS. Patronorum. 499
332. In Festo S. Thomae Aquinatis. 501
333. In Festo S. Thomae Aquinatis (2). . . . 502
334. In Festo S. Thomae Episcopi et Martyris. 504
335. In Festo S. Timothei. 505
336. In Festo S. Timothei (2). 507
337. In Festo S. Titi. 508

PARS V. DE SINGULIS ORDINIBUS.

338. De Prima Tonsura. 513
339. Officia clerici. 515
340. Admonitio pontificis clericis facta. . . . 516
341. De officio Ostiariorum. 517
342. De munere Lectoratus 519

343. De munere Lectoratus (2). 520
344. De Exorcistatu. 522
345. De Acolythatu. 523
346. Vita Acolythorum. 524
347. Gratia Acolythatus. 525
348. De Subdiaconatus 527
349. Subdiaconatus onera. 528
350. Officia Subdiaconi. 529
351. Gratia Subdiaconatus. 531
352. De Officio Divino. 533
353. De ordine Diaconatus. 534
354. De moribus Diaconorum. 536
355. Exemplum S. Stephani diaconi. 537
356. De sanctitate prærequisita ad sacerdotium. 539
357. Officia Sacerdotis. 541
358. Adumbratio vitae Sacerdotalis. 542
359. Monita Episcopi. 544
360. Sacerdos « alter Christus. » 545

LIBRAIRIE

ATELIER DE PEINTURE ET DE SCULPTURE

DE CH. BEYAERT A BRUGES, (BELGIQUE)

Bibliotheca Theologica ad usum Cleri.

MGR GIBIER. **Conférences aux hommes.** 10 volumes in-8, each volumes 3/3, bound 4/3.

I. *Objections contemporaines contre la religion.* 2 vol.

II. » » *contre le catholicisme.* 2 vol.

III. » » *contre l'Eglise.* 2 vol.

IV. *L'Eglise et son œuvre. Constitution et combats de l'Eglise.* 2 vol.

V. *Nos plaies sociales ; la profanation du Dimanche ; L'alcoolisme ; La désertion des campagnes.* 1 vol.

VI. *La désorganisation de la Famille. Devoirs des parents.* 1 vol.

La nécessité des conférences et des sermons apologétiques se fait sentir partout. Il convient que le prêtre, dans ses instructions, et les réunions d'œuvres, puisse, après une préparation sommaire, défendre l'Eglise et le Dogme catholique et, tout en s'appuyant sur des données ayant une valeur scientifique, mettre les fidèles en état de répondre aux arguments de l'impiété moderne.

Bibliotheca Ascetica Mystica. Memoriale vitae sacerdotalis auctore Claudio Arisenet. De sacrificio Missae auctore Joan., Card. Bona. 1 vol. 2/10, bound 3/8.

Examen ad usum cleri in gratiam præcipue sacerdotum sacra exercitia obeuntium concinnavit P. J. De Harbe S.J. et P. Lehmkuhl S. J. Prix : 2/-, relié 2/10.

A new School of Gregorian Chant by the Rev. P. Dom Johner O. S. B. Prix : 2/-, relié 2/10.

Organum Comitans ad Kyriale seu ordinarium missæ quod juxta editionem vaticanum harmonice ornavit Dr Fr. Mathias. Un vol. 4/-, relié 5/8.

The complete Catalogue of Sacred music of the Society of S. Cecily will be sent post free on application.

Stations of the Cross.

M. Beyaert has had the honour of furnishing more than 300 sets of Stations of the Cross in different churches of the United Kingdom. The names of the churches in which Stations have been erected will be sent on application.

The firm has acquired the right to reproduce in handpainting the famous Stations of the Cross in the Cathedral at Antwerp, which is considered to be of the finest in the world.

M. Beyaert invites the Clergy who are thinking of placing a new set of stations of the Cross in their churches to apply for his latest illustrated catalogue, wich will be sent post free on application.

Large Drawing-Room Engravings

17 copper engravings, after the great masters

Measuring 32×24 Inches, at the low price of **1/3 each.**

These engravings by German Masters, were formerly sold at 6/- each.

The collection includes the following subjects:

Raphael. Madonna de la Sedia.— Murillo. Immaculata.— Lochner. Mater Dei. — Gaspar. Martyrdom of S. Stephane. — Van Dyck. Christ on the Cross. — Raphael. The Trans-

figuration. — Raphael. Jesus meets His Mother. — Leonardo da Vinci. The last Supper. — Raphael. The Sixtine Madonna. — Guido Reni. Ecce homo. — Delaroche. Mater dolorosa. — Beaumeister. The Sacred Heart of Jesus. — Beaumeister. The Sacred Heart of Mary. — Andrea del Sarto. The Ascension. — Van Dyck. The sponge presented to Christ. — Jouvenet. The Adoration of the Magi.

7 Large Drawing-Room Engravings

Copper engravings, after Raphaël by Dorigny.
Measuring 35×25 Inches

at the low price of 2/6. instead of 10/. each

The collection includes the sujects :

Jesus give to St. Peter the charge of His flock. — The Death of Ananias. — SS. Peter and John healing the lame Man. — The Preaching of S. Paul. — Elymas. — The Miraculous Draught of Fishes.

3 Very fine engravings by Hofmann for Presbyteries.

Christ blessing the children 32" × 24" Price 7/6 ; Christ in Bethania 32" × 24" price 7/6 ; Christ knocking at the door 42" × 32" Price 12/6.

28 Engravings by Hofmann

measuring 20" × 15 Price 2/6 each.

The Annunciation, The Nativity, The Flight in Egypt, Christ in the desert, The Resurrection of Lazarus, The Last Supper, The Resurrection of Christ, Christ blessing the children, The Holy Family etc. etc.

4 Large Engravings of the Sacred Hearts of Jesus and Mary.

very artistic by Lafond 38×28 in. the two offered at 12/- instead of 16/-

4 Chromos (Millet)

The Angelus. — The Gleaners. — The Sower. — The Sherherdess. (The four masterpieces of the great French painter Millet).

Each chromo without frame measures 20 /2×16 inches.

These are perfect imitations of te great painter. The cost is only 10/- for te four.

Breviarium Romanum.

Editiones novissimæ

Bound with Flexible Back and in Leather Case. Editiones Ratisbonenses with supplement for England, Ireland, Scotland, and the religious orders.

	Size	Thickness	In morocco red edges	In morocco gilt edges	Extra rich
Breviarium 4 vol. in-24	5 1/2×3 1/2	1 inch.	32/.	35/.	40/.
4 vol. in-18	6×4	1 1/2 »	36/	39 .	48/.
4 vol. in-12	7×5	1 »	48/.	52/.	60/.
2 vol. in-4	10 1/2×8		52/.	60/.	72/.
4 vol. in-4	10 1/2×8		80/.	100/.	120/.
Horæ diurnæ	5×3 1/2		5/.	6/.	7/.

Breviarium for travellers in one volume 6"×3" 1/2, thickness 1", with leather case and proper, morocco, red edges 17/- best morocco, gilt edges 19/-

Breviarium for travellers 4 volumes 4" 1/2×3", thickness 3/4". Morocco red edges £ 1. 6. best morocco, gilt edges £ 1.15.

Miniature Diurnal 48mo India paper, real morocco, red edges 5/3. best morocco, gilt edges 7/6. Proper for England 10d, for Scotland 9d, for Glasgow 3 1/2d, for Ireland 3d.

Horae Diurnae in large type 4 1/8"×4" India Paper, real morocco, red edges 7/6 best morocco, gilt edges 10/-

Missale Romanum.

New edition 1905 with supplements for England, Ireland, Scotland, and the religious orders.

N. B. *The binding will be found so perfect that the missal will open completely without any pressure.*

In-folio $14^1/_2 \times 10^1/_2$ inches. Black morocco red edges 34/.
In-folio $14^1/_2 \times 10^1/_2$ inches. Black morocco gilt edges 41/.
In-folio $14^1/_2 \times 10^1/_2$ inches Red morocco gilt edges 54/.
In-quarto $12^1/_2 \times 9^1/_2$ inches. Black morocco rede dges 27/.
In-quarto $12^1/_2 \times 9^1/_2$ inches. Black morocco gilt edges 33/.
In-quarto $12^1/_2 \times 9^1/_2$ inches. Red morocco gilt edges 45/.
Small-quarto 11×8 inches. Black morocco red edges 18/.
Small-quarto 11×8 inches. Black morocco gilt edges 23/.
Small-quarto 11×8 inches. Red morocco gilt edges 26/.
In-octavo 9×6 inches. Black morocco red edges 12/.
In-octavo 9×6 inches. Black morocco gilt edges 16/.
In-octavo 9×6 inches. Red morocco gilt edges 20/.

Epistolæ et Evangelia.

In-folio $14^1/_2 \times 10^1/_2$ inches. Black morocco red edges 27/.
In-folio $14^1/_2 \times 10^1/_2$ inches. Black morocco gilt edges 33/.
In-folio $14^1/_2 \times 10^1/_2$ inches. Red morocco gilt edges 45/

Missale pro defunctis.

In-folio. Black morocco 10/. In-quarto 8/.

Missale ad usum Caecucentium

In-fol. bound 18/.

Cantus ecclesiasticus Passionis D. N. J. C.

In 3 fasciculis. Bound in 3 vol. 12/. in morroco £ 1.0.

LARGE FURNITURE FACTORY

FOR CHURCH, SACRISTY & PRIVATE HOUSE FURNITURE.

Statues, stalls, altars, confessionals, altar-rails, pulpits, canopies, arm-chairs, lecterns, prie-dieu, sacristy-presses, beds, tables, sideboards, book-cases, chairs, etc.

M. Beyaert is able to supply promptly and at a very low price altars designed and executed in a thoroughly artistic manner.

All furniture supplied by him is designed according to the true principles of mediaeval art.

He has supplied many churches, presbyteries and sacristies with carved furniture.

The Rood Cross for the new Westminster Cathedral supplied by him has been admired by all who have seen it.

He also fitted up the library of the Bishop's House, Southwark, and the great library of the Archbishop's House, Westminster.

He lately furnished the New Blessed Sacrament Chapel and Altar of the St Mary's Cathedral, Middlesborough.

His firm, so favourably known in England, is in a position to supply the above articles at prices lower than those of any other firm.

The weekly service between Bruges, Goole, and Tilbury, and most advantageous contracts made with these companies, enable him to despatch goods at much reduced rates. *All customers who have ordered furniture from him have found by experience that he is able, notwithstanding the cost of transit, to supply articles at* 50 *per cent below the prices of English firms.*

Designs, sketches of furniture in any style and estimates will be sent on application.

The firm, wishing to keep the copyright of its designs, has published no illustrated catalogue.

All designs supplied by customers and architects, readily executed.

Oak Pulpit.



Gothic Stations of the Cross of Antwerp

EXECUTED IN UPRIGHT FORM.

Gothic Stations of the Cross of Antwerp

EXECUTED IN THE WIDTH.

Oak Altar





248.32
P16

Parkinson, H.
AUTHOR

Refectio Spiritualis
TITLE

vol. 2

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED